THEOLOGIA
DOGMATICO-POLEMICA,

QUA

ADVERSUS VETERES NOVASQUE HAERESES

EX

SCRIPTURIS, PATRIBUS, ATQUE ECCLESIASTICA HISTORIA,

CATHOLICA VERITAS

DEFENDITUR.

AUCTORE

P. CAROLO SARDAGNA

SOCIETATIS JESU,

IN EPISCOPALI LYCEO AD D. PAULI RATISBONÆ

THEOL. DOGMATICO-POLEMICÆ PROF. ORD.

ET EXAM. SYNODALI.

TOMUS V.

COMPLECTENS

TRACTATUM V. DE GRATIA CHRISTI,

JUSTIFICATIONE, ET PRÆDESTINATIONE.

Editio Secunda.

POLOCIÆ

TYPIS COLLEGII SOC. JESU. 1810.

CENSURA
ET
APPROBATIO.

Theologiæ Dogmatico-Polemicæ Tomus hic V^tus^ a R. P. Carolo Sardagna, Societatis Jesu Presbytero, atque in hocce Episcopali Lyceo Profeſsore Publico Ordinario compositus, graviſsimas & intricatiſsimas quæſtiones de Gratia Chriſti, Juſtificatione, & Prædeſtinatione accurate discutit, & explicat, nihilque contra Fidem Orthodoxam ac bonos mores continet; prælo itaque committi poteſt. Datum in Curia Episcopali Ratisbonensi, die XVI. Auguſti 1770.

ADAMUS ERNESTUS,
Episc. Abilenæ, Suffrag. & Præses Consiſt. Cons. Int. Actual. & Cathedr. Eccles. Canonicus Capitularis, m. p.

L. S.

Joannes Bapt. Kleirl.
SS. Theol. & J. U. Licent. Consil. Eccl. Act. Director Canc. Authrte Aplca & Curiæ Episc. publ. ac juratus Notarius,
m. p.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

493914

K.594/77

INDEX
CONTROVERSIARUM,

quæ

in Tractatu V. de Gratia Christi, Justificatione, & Prædestinatione continentur.

Præviæ Dissertationes Historicæ.

Dissertatio I. De Jansenianis. Num. 1.
Dissertatio II. De Pelagianis. 25.
Dissertatio III. De Semipelagianis. 42.
Dissertatio IV. De Prædestinatianis. 62.
Dissertatio V. De Controversiis circa auxilia divinæ gratiæ. 83.

ARTICULUS I.
DE GRATIA CHRISTI.

CONTROVERSIA I.
DE GRATIA EFFICACI.

AN VIS ET EFFICACIA GRATIÆ REPETI DEBEAT EX DELECTATIONE INDELIBERATA RELATIVE VICTRICI? 103.

Conclusio I. Vis & efficacia gratiæ repeti non potest ex delectatione cœlesti indeliberata superiore, seu per gradus relative victrici. 104.

Conclusio II. Neque ex delectatione moraliter determinante ad actum bonum. 107.

CONTROVERSIA II.

AN EFFICACIA GRATIÆ REPONENDA SIT IN MOTIONE NECESSITANTE ET IRREPUDIABILI: ET AN VOLUNTAS HUMANA RESISTERE NEQUEAT GRATIÆ INTERIORI? 113.

Conclusio I. Efficacia gratiæ reponi nequit in motione voluntatem physice necessitante, irrepudiabili, & cui a voluntate resisti nequeat. 115.

Con-

Conclusio II. In ſtatu etiam naturæ lapsæ interiori gratiæ resisti poteſt, & ſæpe ab homine resiſtitur. 116.

CONTROVERSIA III.

AN GRATIA EFFICAX EX NATURA SUA INFALLIBILEM ET ESSENTIALEM CONNEXIONEM HABEAT CUM ACTU SALUTARI? 151.

Conclusio. Gratia efficax non ex natura ſua, ſed dependenter a Scientia media, eſsentialem & infallibilem connexionem habet cum actu ſalutari. 168.

CONTROVERSIA IV.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

AN IN STATU NATURÆ LAPSÆ DETUR GRATIA PURE, SED TAMEN VERE SUFFICIENS? 193.

Conclusio. In ſtatu naturæ lapsæ datur gratia pure quidem, ſed vere ſufficiens, quæ relate etiam ad præsentes circumſtantias, voluntati confert veram ac completam potentiam eliciendi actum ſalutarem. 199.

CONTROVERSIA V.

AN OMNIBUS JUSTIS, URGENTE PRÆCEPTO, DETUR GRATIA AD IMPLENDUM PRÆCEPTUM PROXIME AUT REMOTE, VERE TAMEN AC RELATIVE SUFFICIENS? 221.

Conclusio. Juſtis omnibus, urgente præcepto, dantur gratiæ ad implendum præceptum proxime vel remote, vere tamen ac relative ſufficientes. 224.

Quæsitum I. An ſeria illa voluntas Dei ut omnes homines ſalvi fiant, ſufficienter per hoc explicetur, quod Deus omnibus præparaverit quidem, ſed non omnibus concedere dicatur gratias vere ſufficientes? 229.

II. An omnibus juſtis detur gratia vere ac relative ſufficiens ad perseverandum in ſtatu juſtitiæ? 230.

CONTROVERSIA VI.

AN DEUS PECCATORIBUS ETIAM OBSTINATIS, QUI SEMEL JAM JUSTIFICATI FUERUNT, DET GRATIAS PROXIME VEL REMOTE SALTEM SUFFICIENTES VERE AC RELATIVE AD CONVERSIONEM ET POENITENTIAM? 238.

Conclusio. Deus Fidelibus peccatoribus, etiam induratis & obſtinatis, dat gratias proxime vel remote ſaltem, vere ac relative ſufficien-

ficientes ad ſeriam conversionem, & mandata divina observanda. 241.

CONTROVERSIA VII.

AN INFIDELIBUS OMNIBUS DENTUR GRATIÆ PROXIME VEL REMOTE, VERE AC RELATIVE SUFFICIENTES AD FIDEM ET JUSTIFICATIONEM? 253.

CONCLUSIO I. Deus aliquibus ſaltem infidelibus, hæreticis, apoſtatis, ſchismaticis &c. gratiam confert vere ac relative, proxime vel remote ſaltem ſufficientem ad fidem & juſtificationem. 255.

CONCLUSIO II. Omnes extra Eccleſiam conſtituti, tam poſitive quam negative infideles, hæretici, apoſtatæ &c. habent gratiam vere ac relative, proxime vel remote ſaltem ſufficientem ad fidem & juſtificationem. 259.

QUÆSITUM. Quis ſenſus ſit veriſimi atque indubitati illius axiomatis Theologici: *Deus facienti quod eſt in ſe non denegat gratiam?* 264.

CONTROVERSIA VIII.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

AN AD QUEMLIBET ACTUM SALUTAREM, ATQUE ETIAM AD INITIUM FIDEI ET PIUM CREDULITATIS AFFECTUM NECESSARIA SIT GRATIA SUPERNATURALIS? 282.

CONCLUSIO. Ad quemlibet actum ſalutarem, atque etiam ad initium fidei, & pium credulitatis affectum, neceſsaria eſt gratia ſupernaturalis. 282.

APPENDIX.

VARIA QUÆSITA DE NECESSITATE GRATIÆ.

QUÆSITUM I. An gratia ad actus ſalutares neceſsaria debeat eſse intrinsece ſupernaturalis quoad entitatem & ſubſtantiam ſuam? 301.

II. An gratia ad quemlibet actum ſalutarem neceſsaria, debeat eſse actualis, vel an ſufficiat habitualis? 302.

III. Ad ad quemvis actum ſalutarem neceſsaria ſit gratia non tantum illuſtrationis, ſed etiam inſpirationis? 304.

IV. Utrum non ſolum gratia actualis, ſed etiam ſanctificans neceſsaria ſit ad eliciendum actum bonum & ſupernaturalem? 305.

V. An homo ſine gratia ſupernaturali actuali poſsit cognoscere veritates naturales? 308.

VI. An homo poſsit veritates ſupernaturales apprehendere ſine gratia interiori ſupernaturali? 309.

VII. An in ſtatu naturæ lapsæ poſsit homo potentia etiam morali absque gratia ſupernaturali Deum ſuper omnia amare? 310.

VIII.

VIII. An homo in ſtatu naturæ lapsæ ſine gratia ſupernaturali poſsit potentia physica observare totam legem pure naturalem, & vincere omnes tentationes graves victoria non ſalutari? 313.

IX. An in ſtatu naturæ lapsæ homo habeat potentiam moralem completam diu observandi totam legem naturalem, & vincendi graves tentationes, victoria quamtumvis non ſalutari, absque gratia interiori? 316.

X. An DEUS in hac providentia, ſpectando legem ordinariam, gratias actuales ad ſervandam diu totam legem naturalem neceſsarias conferre ſoleat non habentibus gratiam fidei, & ſanctificantem? 324.

CONTROVERSIA IX.

AN HOMO JUSTUS CITRA SPECIALE PRIVILEGIUM ET GRATIAM EXTRAORDINARIAM, HABEAT POTENTIAM MORALEM DIUTURNO TEMPORE VITANDI OMNIA PECCATA VENIALIA? 326.

CONCLUSIO. Homo, etiam juſtus, non poteſt potentia morali, citra ſpeciale privilegium & gratiam extraordinariam, per diuturnum tempus vitare omnia prorsus peccata venialia. 326.

QUÆSITUM. An nullus homo purus, præter B. Virginem, abſtinuerit umquam toto vitæ ſuæ tempore ab omni peccato veniali? 331.

CONTROVERSIA X.

AN HOMO ABSQUE GRATIA SUPERNATURALI, ET ABSQUE GRATIA FIDEI THEOLOGICÆ, POSSIT EXERCERE ACTUM ALIQUEM NATURALITER ET MORALITER HONESTUM? 338

CONCLUSIO. Poteſt homo per ſolas vires naturæ, absque gratia fidei Theologicæ, aut alia quacunque ſupernaturali, exercere actum aliquem naturaliter bonum & honeſtum, ſaltem quando nulla in oppoſitum urget gravis tentatio. 341.

ARTICULUS II.

DE JUSTIFICATIONE IMPII.

CONTROVERSIA I.

AN IN JUSTIFICATIONE IMPII VERA FIAT PECCATORUM REMISSIO? 363.

CONCLUSIO. Peccata in juſtificatione vere tolluntur ac delentur, ita ut homo poſt juſtificationem non amplius maneat injuſtus & peccator. 366.

QUÆ-

Quæsitum I. An gratia ſanctificans ita peccatum mortale excludat, ut de potentia Dei abſoluta nequeat ſimul eſse cum eo? 370.

II. An gratia ſanctificans ſit aliquid realiter diſtinctum ab habitu charitatis? 371.

CONTROVERSIA II.

AN HOMO FORMALITER JUSTIFICETUR PER SOLAM REMISSIONEM PECCATORUM, AN PER JUSTITIAM DEI, AUT CHRISTI, VEL PER JUSTITIAM INHÆRENTEM, QUÆ DICITUR GRATIA SANCTIFICANS? 375.

Conclusio I. Formalis causa juſtificationis noſtræ non eſt juſtitia Dei eſsentialis ac divina. 378.

Conclusio II. Neque ſola remiſsio peccatorum. 379.

Conclusio III. Aut imputatio juſtitiæ Chriſti. 380.

Conclusio IV. Impius formaliter juſtificatur per juſtitiam inhærentem, ſeu gratiam juſtificantem, qua interius renovatur, & fit intrinsece juſtus. 381.

Quæsitum. An juſtitia, qua formaliter juſtificamur, habitualis ſit an actualis? 385.

CONTROVERSIA III.

AN, ET QUÆNAM FIDES PRÆREQUIRATUR AD JUSTIFICATIONEM? 403.

Conclusio I. Ad juſtificationem in adultis requiritur fides. 405.

Conclusio II. Fides juſtificans non eſt fiducia, qua quis credit ſibi eſse remiſsa peccata ob merita Chriſti; ſed eſt aſsensus firmus ac certus ad ea quæ Deus credenda proponit. 406.

Conclusio III. Objectum materiale fidei juſtificantis non eſt ſpecialis misericordia, ſed omnia quæ Deus revelavit. 407.

CONTROVERSIA IV.

AN SOLA FIDES JUSTIFICET? 420.

Conclusio I. Sola fides non juſtificat. 422.

Conclusio II. Non ſola fides, ſed alii etiam actus juſtificationem antecedentes, ad eamdem disponunt, & dispositive juſtificant. 423.

Conclusio III. Timor Dei, ſpes, charitas, aliique actus qui juſtificationem præcedunt, non ſunt tantum fructus fidei, & conditio ſine qua non, ſed una cum fide influunt & cooperantur ad juſtificationem. 431.

CON-

CONTROVERSIA V.

AN GRATIA SANCTIFICANS SIT ÆQUALIS IN OMNIBUS JUSTIS? 441.

CONCLUSIO. Gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis, sed inæqualis infunditur pro inæqualitate dispositionum. 442.

CONTROVERSIA VI.

AN QUIS FIDE DIVINA TENEATUR CREDERE, AUT CERTO SCIRE POSSIT, REMISSIONEM PECCATORUM, ET GRATIAM SANCTIFICANTEM SE ESSE CONSECUTUM? 448.

CONCLUSIO. Nullus sine speciali Dei revelatione certus esse potest certitudine fidei, cui nullo modo potest subesse falsum, remissa sibi esse peccata, & in statu gratiæ se esse. 451.

QUÆSITUM I. An homo justus, secundum ordinariam Dei legem, habere possit certitudinem stricte moralem de sua justitia, quæ potentiam formidandi de opposito excludat? 456.

II. An non saltem quilibet, qui bona fide studuit gratiam acquirere per ea media quæ gratiam conciliare valent, neque sibi conscius est pravi affectus erga peccatum aliquod mortale, possit habere cognitionem probabiliter seu conjecturaliter certam de sua justitia? 457.

ARTICULUS III.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

CONTROVERSIA I.

AN IN DEO DETUR CERTA ET IMMUTABILIS ALIQUORUM PRÆDESTINATIO AD GRATIAM ET GLORIAM? 465.

CONCLUSIO I. Datur in Deo vera aliquorum prædestinatio ad gratiam & gloriam. 472.

CONCLUSIO II. Prædestinatio est certa atque immutabilis. 473.

QUÆSITUM I. Quinam sint effectus prædestinationis completæ & adæquatæ? 474.

II. An prædestinatio adultorum ad gloriam, saltem ordinarie, alligata sit certis mediis? 475.

III. Quantus sit numerus hominum prædestinatorum? 476.

CON-

CONTROVERSIA II.

AN QUIS INFALLIBILITER CERTUS ESSE POSSIT DE SUA PRÆDESTINATIONE, ET PERSEVERANTIA FINALI? 486.

CONCLUSIO I. Nullus ſine ſpeciali Dei revelatione poteſt, aut debet infallibiliter eſse certus de perseverantia ſua finali in gratia. 488.

CONCLUSIO II. Nullus ſine ſpeciali Dei revelatione poteſt, aut debet infallibiliter certus eſse de ſua prædeſtinatione. 490.

CONTROVERSIA III.

AN PRÆDESTINATIO AD PRIMAM GRATIAM SIT MERE GRATUITA, ATQUE INDEPENDENS A MERITO HOMINIS? 494.

CONCLUSIO I. Prædeſtinationis ad gratiam & gloriam causa non ſunt opera bona quæ animæ fecerunt, antequam ad corpora detruderentur. 496.

CONCLUSIO II. Prædeſtinatio ad primam gratiam eſt omnino gratuita, atque independens a bonis operibus absolute aut conditionate prævisis. 497.

CONTROVERSIA IV.

AN PRÆDESTINATIO AD GLORIAM FIAT ANTE PRÆVISIONEM CONDITIONATAM ET ABSOLUTAM MERITORUM GRATIÆ? 506.

CONCLUSIO I. Prædeſtinatio formalis ad gloriam eſt poſterior Scientia media, qua Deus actus liberos ſub conditione futuros cognoscit. 145.

CONCLUSIO II. Prædeſtinatio formalis ad gloriam eſt in ſigno rationis poſteriori ad absolutam prævisionem meritorum: adeoque fit propter merita gratiæ absolute prævisa. 517.

CONTROVERSIA V.

DE CAUSA REPROBATIONIS POSITIVÆ. 542.

CONCLUSIO I. Reprobatio positiva formalis eſt in ſigno rationis poſteriori ad demerita absolute prævisa, ſeu quod idem eſt, fit propter demerita absolute prævisa. 546.

CONCLUSIO II. Reprobatio positiva radicalis non fit propter demerita absolute prævisa, ſeu quod idem eſt, nulla datur causa ex parte hominis reprobi, cur Deus voluntatem positivam habeat dandi aliquibus auxilia finalia prævisa inefficacia; ſed id ſoli Dei beneplacito, atque imperscrutabili Dei judicio tribuendum eſt. 551.

CON-

CONTROVERSIA VI.

DE CAUSA REPROBATIONIS NEGATIVÆ. 559.

CONCLUSIO I. Deus nullum positive, aut etiam negative excludit a gloria ante peccatum absolute prævisum: adeoque reprobatio negativa formalis, sive exclusio a gloria, aut negatio prædestinationis ad gloriam causam habet ex parte hominis reprobi. 562.

CONCLUSIO II. Peccatum tamen originale non est causa reprobationis negativæ formalis baptizatorum. 563.

CONCLUSIO III. Reprobatio negativa radicalis, sive omissio prædestinationis ad gratiam finalem congruam, non habet causam ex parte hominis reprobi; sed dependet ex solo beneplacito Dei, uni decernentis, & alteri denegantis gratiam congruam. 567.

QUÆSITUM I. Quinam sint effectus reprobationis adæquate sumptæ, nimirum tam positivæ quam negativæ? 569.

II. An Deus reprobos, quos jam decrevit æterno odio prosequi, vere possit amare amore benevolo & amicabili, dum sunt in statu gratiæ? 570.

III. Qualis sit ordo Actuum divinorum in reprobatione hominum juxta nostrum systema? 571.

THEOLOGIÆ
DOGMATICO-POLEMICÆ
TRACTATUS V.
DE GRATIA CHRISTI,
JUSTIFICATIONE, ET PRÆDESTINATIONE.
PRÆVIÆ DISSERTATIONES HISTORICÆ.

DISSERTATIO I.
DE JANSENIANIS.

Jansenii vita, & abitus.

1. In explicanda Gratiæ ſufficientis & efficacis natura graviſsime ævo nostro errarunt Janseniani, quorum bella atque procellas in Ecclesia Dei excitatas compendio damus. Cornelius Jansenius Batavus, in pago Accoyensi haud procul Leerdamo A. 1585. natus, Lovanii Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit, Magiſtro usus Jacobo Jansenio, ſtrenuo Bajanæ doctrinæ propugnatore. Parisiis dein nobilis cujusdam adolescentis moderatorem egit; indeque cum Joanne Vergerio Abbate Sancyrano, quocum amicitiam jam Lovanii contraxerat, Bajonam ſeceſsit, duodecim annorum ſpatio lectioni ac meditationi Operum S. Augustini ibidem aſsidue intentus; cujus tamen mentem, judice Ecclesia, minime aſsecutus est. Lovanium tandem reversus A. 1617. ſuprema Theologiæ laurea ornatur, ac Collegio S. Pulcheriæ præficitur: demum A. 1630. a Philippo III. Hispaniarum Rege Sacrarum Litterarum in Lovaniensi Academia Profeſsor renuntiatur. Ab Academia bis in Hispaniam ad Regem legatus commiſsa ſibi negotia feliciter geſsit, editoque ſub ementito nomine

mine Alexandri Patricii Armacani Theologi famoso adversus Galliæ Reges libello, qui *Mars Gallicus* inscribitur, Hispanorum suffragatione ad Iprenses in Belgio insulas promotus est. Diœcesi suæ non solido triennio præfuit, peste quæ urbem invaserat, extinctus VI. Maii A. 1638. annos natus LIV. Sepulcrum ejus insigni epitaphio, & magnifico elogio exornatum fuit, quod tamen paulo post jubente Summo Pontifice Alexandro VII, probante Archiduce Leopoldo Belgii Gubernatore, a Francisco Roblesio, Jansenii in Sede Iprensi Successore, sublatum est. Legebantur in eo hæc verba marmori insculpta: *Funeri tamen suo superstes vivit in Augustino, arcanorum cogitationum ejus, siquis umquam, fidelissimus interpres.*

Ejus Augustinus.

2. Paulo ante mortem librum suum absolverat Jansenius, cui titulum præfixerat, *Augustinus.* Continet id volumen libros octo de hæresi Pelagiana, unum de ratione & authoritate in rebus Theologicis, unum de Gratia primi hominis & Angelorum, quatuor libros de statu naturæ lapsæ, tres de statu naturæ puræ, decem de Gratia Christi Salvatoris, & parallelum erroris Massiliensium, & opininionis quorundam Recentiorum. Tabulis suæ supremæ voluntatis Capellano suo Reginaldo Lamæo omnia sua scripta ad explicationem S. Augustini pertinentia legavit, ea lege, ut typis ea mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo in Lovaniensi Cathedra successore suo, & Henrico Caleno Archidiacono Mechliniensi. Et quamquam in epilogo sui operis scripserit: *Quidquid ab ista Petri Cathedra, in cujus communione a teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ universæ capite, moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum, improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo;* merito tamen a multis dubitatur, num Jansenius sincera mente librum suum judicio Ecclesiæ submiserit; an potius iis verbis usus fuerit ad eliciendam facilius Romanam approbationem.

tionem. Certe ignorare non potuit, renovari a se ipsam Baii doctrinam, a Pio V. & Gregorio XIII. legitimis Pontificibus diserte ac solemniter damnatam: quod vel ex eo manifestum est, quia initio constituerat in libri fronte mentem suam aperire his verbis: *Ad excusandas propositiones Magistri Michaelis Baii*, uti deprehensum fuit in celebri ejus autographo, quamquam postea periculi magnitudine deterritus, consilium mutaverit. Ipse Jansenius Epist. CXXXVI. ad Abbatem Sancyranum scripta A. 1635. ait, *Se adduci non posse, ut credat opus suum a Judicibus* (Romano nempe Pontifice) *approbandum umquam fore.* Epist. XVI. scripta A. 1621. ait: *Non audeo dicere, quid sentio de prædestinatione & gratia, ne forte, antequam omnia parata, & matura sint, mihi etiam quod aliis, accidat, ut Romæ damner, sicut damnatus fuerat Bajus.* Epist. XIII. A. 1620. scripta asserit, *doctrinam, quam in S. Augustino reservavit, omnibus stuporem incussuram.*

Romæ ab Urbano VIII. proscribitur.

3. Cum in edendo Augustino Jansenii prælum Lovaniense sudaret, singula folia recenter impressa Romam ad examen transmittebantur. Unde factum est, ut opus vix editum in lucem, & Pontifici dicatum, ab Urbano VIII. data Constitutione, cujus initium est, *In eminenti*, damnatum fuerit A. 1641. die IV. Maji, gemina potissimum de causa. I. Quia liber is editus fuerat contra Pauli V. decretum de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis divinæ Gratiæ libris. II. Quia in eo libro multæ propositiones Michaelis Baji renovabantur, a Pio V. & Gregorio XIII. jam proscriptæ, quorum Constitutiones Apostolica authoritate confirmavit & approbavit in eadem Bulla Urbanus VIII. Hac Pontificis Constitutione contentiones adeo sopitæ non sunt, ut in Galliis & Belgio vehementius exarserint. Eodem anno Romam missi sunt a Baji Janseniique fautoribus bini Lovanienses Doctores, Joannes Sinnichius & Cornelius Papius, qui Pontificem urgerent, ut Bullam illam vel revocaret, vel mitigaret. At vero Urbanus adeo nihil ipsorum petitioni detulit, ut formulam

lam ad Internuntium ſuum in Belgium miserit, cui Doctores omnes Lovanienses ſubscriberent, eique Bullæ obedientiam ſponderent.

Quinque famosæ Janſenii propoſitiones.

4. Inter alias Janſenii opiniones, quæ diſsidiorum materiam ministrabant, quinque potiſsimum excerptæ ſunt, quæ novam libri ejus doctrinam quodam veluti compendio continerent; ſuntque celebres illæ propoſitiones Janſenii omnibus notiſsimæ. I^ma. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia: deeſt quoque gratia, qua poſsibilia fiant.* II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* III. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſsitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſse, cui poſset humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſse, aut ſanguinem fudiſse.*

Romæ examinantur.

5. Has quinque propoſitiones LXXXV. Galliarum Episcopi tamquam atrocis discordiæ ſegetem A. 1650. ſolemni Epistola, Isaaci Haberti Vabrensis Episcopi manu exarata, & reliquorum nominibus ſubscripta, ad Innocentium X. detulerunt tamquam causam majoris momenti, enixe flagitantes, ut de unaquaque earum certam ac perspicuam ſententiam ferret. Acceptis his litteris, Innocentius X. anno ſequente, videlicet 1651. Congregationem instituit, nominatis ad negotium hoc pertractandum Cardinalibus Julio Roma, Bernardino Spada, Martino Ginetto, Dominico Sechino, Pamphilio, & Fabio Chigio, qui postea Alexander VII. fuit, viris ſcientia, probitate, ac longo rerum usu toti orbi notiſsimis, additis Consultoribus XIII. ex variis Religiosis Familiis, factaque utrique parti, quæ ex Galliis Romam venerat, ad tuendas & impugnandas quinque Janſenii propoſitiones, libera potestate causæ ſuæ momenta vel oretenus coram Congrega-

gregatione exponendi, vel ſcripto tradendi, ut eo accuratius a deputatis Cardinalibus ac Conſultoribus expendi poſſent: publicam tamen cum adverſariis diſputationem, quod enixe flagitabant Janſeniani, ut litem protraherent, cauſamque magis involverent, Pontifex numquam induci potuit ut permitteret, cauſatus, publicas hujuſcemodi concertationes in jurgia plerumque ac rixas deſinere.

Ac ſolemni decreto damnantur ab Innocentio X.

6. Tandem celebratis duorum annorum ſpatio XXXVI. Congregationibus, ſive Seſſionibus, quarum X. poſtremis per quatuor ſemper horas protractis, Pontifex ipſe ſumma patientia & voluptate interfuit, præmiſſa diligentia qua major deſiderari non potest, indictis præterea publicis privatisque precibus, & implorata ope Divini Spiritus, die XXXI. Maji A. 1653. Innocentius X. Conſtitutionem edidit, cujus initium eſt: *Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus: Auguſtinus Cornelii Janſenii*, qua quinque propoſitiones damnantur, I^ma. ut temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica. II^da ut hæretica. III^tia pariter ut hæretica. IV^ta ut falſa & hæretica. V^ta ut falſa, temeraria, ſcandalosa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impia, blaſphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica. Conſtitutionem hanc transmiſit Pontifex ad Imperatorem, aliosque Reges Catholicos, præcipue ad Regem Chriſtianiſſimum, eaque toto Galliarum regno juſſu Ludovici XIV. promulgata eſt, plaudentibus Gallicanis Epiſcopis, qui datis litteris die XV. Julii Innocentio & gratias egerunt, & gratulati ſunt, quod peſti graſſanti, certamque perniciem allaturæ ſtrenue obſtitiſſet.

Janſeniorum fraudibus & cavillationibus.

7. Roma reſcripta venerunt: cauſa finita eſt; error tamen nondum eſt extinctus. Janſeniani hoc fulmine proſtrati paulo poſt collegerunt ſeſe; utque pondus authoritatis, qua damnabantur, effugerent, ſolemni hæreticorum more judicem a quo damnatos ſe ſciebant, maledictis laceſſere cœperunt, aſſerentes, Cardinales ad examen propoſitionum delectos, eorumque

Consultores in Augustino parum versatos fuisse, reique Theologicæ discutiendæ minus idoneos: distinctos non fuisse varios propositionum sensus, neque servatam legitimam judicii formam, rem præcipitanter deproperatam: Pontificem Theologia leviter imbutum esse, ac præ senectute multum provecta omnino imparem sustinendo tam longo ac laborioso examini rei adeo difficilis & implicatæ. Tum ad alias cavillationes ac versutias conversi, qui Romam Legatos miserant ad Jansenium defendendum, lata jam a legitimo Judice sententia, mox negare quinque damnatas propositiones esse Jansenii, aut in sensu a Jansenio intento esse proscriptas: aserereque, quo sensu damnatæ sint propositiones, esse quæstionem facti, in qua decidenda infallibilis non sit Ecclesia. Nolebant nimirum Innocentianæ Constitutioni se subjicere, aut ab Ecclesia palam discedere: hinc arcano distinctionis juris & facti utebantur. Admonitus hac de re a Gallicanis Episcopis Innocentius X. respondit A. 1654, damnatam a se fuisse in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam in ejus libro contentam, qui inscribitur *Augustinus*.

Opponit se Alexander VII.

8. Alexander VII. Innocentii Successor, A. 1656. adversus Jansenianos insurgens, quos *filios iniquitatis*, & *publicæ tranquillitatis perturbatores* vocat, declaravit quinque illas propositiones ex libro prænemorati Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, iterumque a se damnari. Subinde vero idem Alexander VII. A. 1664. rogantibus Galliarum Episcopis, alteram edidit Constitutionem, cujus initium est, *Regiminis Apostolici*, qua, ut aditum omnem Apostolicas definitiones eludendi intercluderet, formulam præscribit juramenti, ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque inferioris notæ Ecclesiasticis præstandi, quod a Gallis *Formularium* appellatur. *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii A. 1653, & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris A. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cor-*

Cornelii Jansenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Mandatum Pontificis de ſubscribenda ab omnibus Ecclesiasticis hac formula, ut in toto Galliarum regno executioni mandaretur, authoritate regia cautum est.

Janseniana Formularii interpretatio.

9. Janseniani uti in distinguendis variis propositionum ſensibus erant fœcundi, ita & in interpretando formulario ſteriles non fuerunt. Rigidiores quidem ex illis, quos inter Antonius Arnaldus, fanaticæ hujus factionis antesignanus, censebant neutiquam poſse absolute ac ſimpliciter formulæ huic ſubscribi, in qua damnabantur quinque propositiones in ſensu a Jansenio intento; ſed neceſsario exprimendam eſse distinctionem juris & facti, idque ad vitandum periurium fieri debere vel in ipsa ſubscriptione, vel ſaltem oretenus, protestando nimirum, ſe non nisi quoad dogma ſubscribere formulario. Alii molliores, iique plurimi, licet & ipsi ſeveriorem morum doctrinam exterius profiterentur, ac ne ipsum quidem restrictionis mentalis, aut æquivocationis nomen patienter ferrent, ne tamen a Sacris Ordinibus, aut pinguibus Beneficiis Ecclesiasticis repellerentur, censebant etiam ab eo, qui interius judicat, ſensum a Jansenio intentum non eſse hæreticum, tuta conscientia, & absque ulla limitatione aut restrictione exterius manifestata, ſimpliciter ſubscribi poſse formulario, ſufficereque ad evitandum perjurium, modo quis intendat circa ſensum Jansenii ſervare ſilentium obsequiosum. Laxiſsimæ hujus opinionis rationes conquirebantur ineptæ ſane ac frivolæ, quarum merito pudere deberet Jansenianos, doctrinæ moralis prætensos reformatores. Aliqui ajebant, discrimen juris & facti tam apertum eſse, & e re ipsa ſic ſponte nasci, ut ſuperfluum plane ſit illud exprimere, quod in omnium oculos ſtatim incurrit. Alii contendebant, jurantem nec aſserere, nec negare, quod propositiones in ſensu a Jansenio intento ſint hæreti-

cæ; ſed tantum affirmare, eas in hoc ſenſu damnatas fuiſſe a Pontificibus. Alii rursus aſſerebant, Eccleſiam nil aliud exigere, quam ut damnentur quinque propoſitiones in ſenſu obvio, quem verba ipſa præſeferunt, omiſſa illa quæſtione, an ſenſus obvius ſit ſenſus a Janſenio intentus. Neque erubescebant in pertinaciæ ſuæ defenſionem advocare Conſtitutionem Innocentii XII. ad Belgii Epiſcopos, a quo reformatas fuiſſe Conſtitutiones Alexandri VII. per ſummam eamque Janſenianam omnino impudentiam criminabantur; cum tamen Innocentius in eadem Conſtitutione diserte declaret, ſe firmiſsime inhærere Conſtitutionibus Prædeceſsorum ſuorum Innocentii X. & Alexandri VII, ſenſumque obvium quinque propoſitionum, quem ipſe damnat, eſse illum ipſum, quem damnaverunt Innotius X. & Alexander VII, ſolumque prohibeat addi aliquid formulario, quod a Belgii Epiſcopis bono quidem zelo factitatum fuerat; qui tamen Innocentio displicuit, ne novæ diſsenſiones idcirco in Belgio excitarentur.

Et Casus conscientiæ resolutio proſcribitur a Clemente XI.

10. Ex hac molliorum Janſeniſtarum ſententia prodiit A. 1702. famoſa illa *Casus conſcientiæ* reſolutio, in quo inducitur neſcio quis Clericus, cui Sacramentalis abſolutio denegata fuerat, eoquod declaraſset, *ſe revera quinque propoſitiones ſimpliciter & abſolute damnare, ac formulario Alexandri VII. ſe quidem ſubſcripſiſse; nihilominus quantum ad quæſtionem facti, ſeu attributionem illarum quinque propoſitionum libro Janſenii, exiſtimare ſe, religioſum ſufficere ſilentium.* Janſeniani, Doctores Theologos Pariſienses omnino quadraginta, & quidem ex eis aliquos non ſine malis artibus, adduxerunt ad ſubſcribendam propoſiti in dicto conſcientiæ casu articuli reſponſionem his verbis: *Doctores infra ſcripti, viſa casus expoſitione, cenſent hujus Eccleſiaſtici viri ſententiam nec novam eſse, nec ſingularem, nec ab Eccleſia damnatam; neque talem, ut Confeſſarius poſsit ipsi Sacramentalem denegare abſolutionem, niſi eam retractaverit.* At reſponſio illa ad memoratum casum, A. 1703. damnata fuit a Clemente XI, miſso ad Regem Chriſtianiſ-

simum

simum Brevi, atque ab ipso etiam Parisino Archiepiscopo Cardinale Noallio Censoria virgula perstricta est, jussis Parisiensibus illis Theologis, qui subscripserant responsioni, sententiam suam revocare.

Qui declaravit solum obsequiosum silentium minime sufficere.

11. Tandem A. 1705. Idem Clemens XI. solemni edita Constitutione, cujus initium est, *Vineam Domini Sabaoth;* declaravit: *obsequioso illo silentio minime satisfieri obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur; sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed & corde, rejici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate, supra dictæ formulæ subscribi licite posse.* Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus eodem anno Lutetiæ congregatus, Pontificiam hanc Constitutionem solemniter promulgandam, plenaque cum obedientia ab omnibus recipiendam curavit, datis ad cæteros Galliæ Episcopos encyclicis litteris. Unus tamen inventus est Ægydius de Wite Presbyter Gandavensis, Pastor quondam B. Mariæ Mechliniæ, qui inaudita audacia, atque amentissimo furore hanc ipsam Clementis Constitutionem A. 1709. universæ Ecclesiæ denuntiaret, *velut inimicam Gratiæ Dei, & fautricem Pelagianæ superbiæ, ut calumniatricem insignis Episcopi* (Jansenii nimirum) *cum eximiæ eruditionis laude, & odore Sanctitatis in Ecclesiæ gremio vita functi: ut destructricem hierarchici Ordinis, per ea quæ extorqueri mandat perjuria; ut omnis boni obtruncatricem, omnis mali iliadem, animarum ruinam, salutis excidium, apertamque & inevitabilem Ecclesiæ stragem.*

Sancyrani flagitia & doctrina.

12. Ex Jansenianis tres præcipue hic commemorandi sunt, quorum unus Sancyranus Abbas, novæ factionis Patriarcha: duo reliqui, Antonius Arnaldus, & Paschasius Quesnellus, Ordinis, ut vocant, Abbates fuerunt, opercula digna sane hac patella. Joannes Vergerius de Hauranne Abbas S. Cyrani, Bajonæ in Vasconia natus est A. 1581. Lovanii cum Theologiæ operam daret, amicitiam cum Jansenio contraxit, quem per

per annos aliquot ſtudiorum & mensæ ſocium habuit in patria, primaque cum illo Janſenismi fundamenta jecit. Pariſiis dein ſedem fixit, ut in illo orbis theatro inclaresceret, atque in multorum amicitiam ac benevolentiam obreperet, quam dolis malisque artibus ſibi comparavit, magnam dogmatum ac vitæ austeritatem ſimulando. Frequentior illi non erat ſermo, quam de restauranda pœnitentia, innovandis antiquis canonibus, & primitivo Ecclesiæ ſpiritu: de cæcitate hominum, ac profunda ſanctiſsimarum veritatum ignorantia ſæpiſsime conquerebatur. Hac ſimulatione multos decepit, Andyllium præcipue cum omni Arnaldorum familia, quam veterator ſemper impense coluit. Amicitia hæc aditum ipsi in Portum Regium aperuit, in quo duæ Andyllii ſorores religiosæ vitæ institutum amplexæ fuerant. Nihil illo in contegenda doctrinæ fœditate fuit oculatius, ne unico obtutu deprehensa horrorem incuteret; non enim antea ad graviora promovebat gradum, atque animis insinuabat, quam leviora quædam pronis auribus, magnaque veneratione excipi animadverteret. Tum denique animis rite dispositis ac præparatis utendum ratus, dogmata ſua ſensim instillabat, docebatque peccata venialia confiteri eſse inutile, ac praxim novellam: actum dumtaxat eſse Christianæ demiſsionis, qui poſsit etiam laico fieri: non eſse neceſsarium in Confeſsione exponere numerum peccatorum mortalium, aut circumstantias ſpeciem mutantes: per absolutionem non remitti peccata, ſed eam ſignum tantum eſse, quod ſint remiſsa per contritionem perfectam, quam neceſsariam omnino eſse docebat: ſatisfactionem præmittendam eſse Confeſsioni, & Sacramentali absolutioni: Communioni plus virium ineſse ad delenda peccata, quam Confeſsioni; neque tamen ad Euchariſticam Mensam prius accedendum eſse, quam de peccatis nostris perfectam egerimus pœnitentiam; ita ut nec voluntario mentis ſensu, nec ex incuria aut negligentia erga rem ullam, quæ Deo displicere poſsit, afficiamur, illique adhæreamus. Eos qui voluntarie hærent in minimis nævis & imperfectionibus,

bus, indignos esse Eucharistiæ Sacramento; & quæ sunt hujusmodi ad extinguendam Christianam pietatem, arcendosque a Sacramentorum usu fideles perquam accommodata. Ne autem enormes istæ doctrinæ in publicum erumperent, generosus hic pugil, priscis Martyribus, si Superis placet, exæquandus, sedulo cavit, prohibuitque discipulis suis, ne arcana ista revelarent; secus se negaturum omnia. Epistolas etiam a se ad alios scriptas de rebus istis comburi jussit, ne hæc doctrinæ flagitia forte deprehensa sibi noxæ forent, graveque incommodum earum Scriptori crearent.

Ejus fata, & obitus.

13. Non multum interceſsit temporis, cum de frequentibus in Portu Regio conventiculis fama percrebuit; quæ cum a clandestinis coitionibus nihil diversi haberent, vehementer offendebant Armandum Cardinalem Richelium. Cumque is alioquin multa de disseminatis a Moderatore Portus Regii novis opinionibus intellexisset, præcipue quod sub Seguenotii Oratoriani Presbyteri nomine Epistolam S. Augustini de Virginitate, quam Gallice reddiderat, publici juris fecisset Sancyranus variis adnotationibus inquinatam, quibus cratsi errores contra vota, præsertim castitatis, disseminabantur, novum hunc dogmatistem Regio nomine comprehendi jussit. Obtemperatum est imperio ab iis, quibus id negotii datum erat, & Sancyranus XV. Maii in carcerem Vincennensem conjectus est. Dum carcere detinebatur, quæstio de ejus doctrina est habita, testibusque multis omni exceptione majoribus convictus est de gravissimis erroribus, ex quibus, uti etiam ex ineptissimis & contradictoriis ejus responsis constat, numquam fuisse hominem magis vanum, arrogantem, fallacem, vindictæ avidum. Post mortem Cardinalis Richelii a Chavignio Secretario Status, & Molano Præside impetrata illi fuit liberatio a carcere, certis tamen conditionibus. At eodem anno 1643. die II. Octobris apoplexia oppressus, ultimisque morientium Sacramentis minime munitus, ex hac vita decessit, annos natus LXII. Fratres Sammarthani in sua *Gallia Christiana* Sancyranum splendidissima

sima *summe orthodoxi, & sanctissimi nostra ætate viri* appellatione exornarunt. Verum gravissimo Cleri Gallicani decreto diserte cautum fuit, ut commentitium hoc elogium expungeretur.

De Ecclesia pessime sensit.

14. Quid de Concilio Tridentino, ipsaque Ecclesia Sancyranus senserit, memoriæ prodit Illustrissimus Ludovicus Abellyus Episcopus Ruthenensis in Vita S. Vincentii a Paulo, Congregationis Missionariorum S. Lazari fundatoris. Cum enim Sancyranus in familiari cum sancto hoc viro congressu, cujus amicitiam captabat, disputando incaluisset, summaque vehementia doctrinam tueretur a Tridentino Concilio inter falsas & hæreticas relatam, ad Sancyranum ait S. Vincentius: *Quæso mi Domine, quo pacto audes tuum unius judicium præferre judicio tot præstantissimorum virorum, ac Præsulum in Tridentino Concilio congregatorum, qui rem hanc communi voce & consensu definierunt? Ne verbum mihi amplius de hoc Concilio, reposuit Sancyranus: erat Concilium Papæ & Scholasticorum, in quo omnia factionibus, coitionibus, & suffragiorum prensationibus agebantur.* Idem Ill^mus refert, Sancyranum alias dixisse eidem S. Vincentio: *Ingenue confiteor tibi, magna mihi lumina largitum esse Deum, & adhuc largiri: is docuit me, nullam amplius in terris existere Ecclesiam; & cum videret Vincentium ex hoc sermone totum subito stupore defixum, nulla, repetiit, nulla amplius in terris existit Ecclesia. Authore Deo didici, plura quam quinque aut sex sæcula fluxisse, ex quo illa collapsa, & inter ruinas suas sepulta est. Antehac Ecclesia ingentis fluvii speciem gerebat, qui ab ipso fonte puris & limpidis aquis fluebat: at modo id, quod nobis videtur Ecclesia esse, non nisi limus & cœnum est. Alveus tam nobilis fluvii idem etiamnum est, sed non sunt eædem aquæ.— Verum quidem est, JESUM Christum Ecclesiam suam ædificasse supra petram: sed modo prostituta est, & adultera; propterea eam Christus respuit & abjecit, vultque ut ei substituatur alia, quæ integram sibi fidem præstet.*

Ant. Arnaldi ingenium.

15. Antonius Arnaldus Andyllii frater, natus est Parisiis A. 1612. Theologiæ operam dedit in Sorbona,

bona, Magistrum nactus in Tractatu de Gratia Escotum, postea Episcopum Carnotensem, novitatum omnium osorem. At brevi repudiato homine veteris doctrinæ tenaciſsimo, totum ſe Arnaldus tradidit Sancyrano, cujus opiniones tam alte imbibit, ut hic aliquando palam profiteri veritus non ſit, habere ſe ſub disciplina ſua ſingularis meriti juvenem, qui, quibus a ſe imbutus eſset, opinionibus adhæreret mordicus: eum fore potiſsimum, qui plurimum illis afferre ſplendoris, & contra omnes hodiernas ſcholas ac Scholasticos, qui vanis ſuis argutiis pleraque religionis ac disciplinæ & doctrinæ capita inficiſsent, non conſtanter minus quam fortiter tueri poſset, ac vellet. A. 1641. ætatis anno XXIX. Theologiæ Doctor renuntiatus est, ac biennio post inter Sorbonæ ſocios adlectus. Librum ſcripsit Arnaldus de frenquenti Communione, qui magnos in Gallia ſtrepitus excitavit ob doctrinam erroneam, atque a communi aberrantem circa administrationem & usum Sacramentorum Eucharistiæ & Pœnitentiæ, atque perfectam æqualitatem inter Apostolorum Principem Petrum, & Gentium Apostolum Paulum, damnatas postea ab Innocentio X. & Alexandro VIII. Duas quoque propoſitiones ex Epiſtola illius ad Ducem & Parem Franciæ excerptas, quod Janſenianam doctrinam aperte tuerentur, cum aliis ejus Opuſculis & Apologiis Sorbona ſolemni decreto proſcripsit XXXI. Januarii A. 1656: aſſertiones vero ſuas revocare detrectantem nomine ac privilegiis Doctoris Sorbonici privavit, ejectis ſimul LXX. aliis Doctoribus, qui Arnaldo adhærebant. Latuit postea aliquamdiu apud Moniales Portus Regii, quod geminas ibi ſorores haberet, Agnetem & Angelicam, quas a Sancyrano jam præparatas, ut pro hoſpitio præbito gratias rependeret, Janſeniana peſte ad intimas usque fibras infecit adeo, ut monaſterium illud Virginum fatuarum, merito Janſenismi arx appellari potuerit. Gallia dein excedere compulsus, Belgium adiit, Delphos, Leodium, Bruxellas, atque exiguam ibi ignobilis plateæ domum conduxit, in qua per plures annos cum Paschasio Quesnello

fortuna & obitus.

nello delitescens, totum id temporis conscribendis in Jansenianæ doctrinæ favorem libris contrivit. Tandem Bruxellis A. 1694. die IV. Augusti, ætatis suæ anno LXXXII. obiit, vir magnæ eruditionis & ingenii, sed in tuendo errore pertinacissimus, aliorum contemptor, sui æstimator immodicus. Janseniani demortuum maximis laudibus extulerunt. Alii Athanasium alterum, alii Eliam nostrorum temporum, ac Jeremiam Gallicanum vocabant: alii titulo *Beati Patris nostri* illum honorabant, ejusque corpus, quod *magnum reliquium* appellabant, peregrinationibus illuc institutis venerabantur. Cor Arnaldi ad Monasterium Portus Regii a Quesnello transmissum est, gestientibus gaudio fatuis illis Virginibus, ac Quesnellum alterum Elisæum, rapto Elia, duplicis illius spiritus hæredem inclamantibus.

Quesnelli molitiones in Gallia & Belgio.

16. Defuncto Arnaldo in Præfectura Ordinis successit Paschasius Quesnellus, Oratorii Berulliani Presbyter, Parisiis natus A. 1634. Vir erat doctus quidem, at impotentis animi, projectæ audaciæ, turbulenti ingenii, ac duræ cervicis. Decretum fuerat in Comitiis Oratorii Berulliani Generalibus A. 1678, certam ab omnibus formulam adversus Baji Janseniique doctrinam subscribendam esse. Renuit Quesnellus, relictisque Parisiis primo Aurelianm, tum anno 1685. pœnarum metu in Belgium migravit ad Arnaldum, novitatum illuc pestem simul, & dissidiorum faces inferens. Ut autem noceret securius, assumpta Sacerdos veste laica latuit, & a solito hominum commercio segregatus, locum incoluit vix paucis amicis notum, ac paucioribus pervium. In Hollandiam subinde profectus, illic statim Clerum novitatibus imbuere, & a Sedis Apostolicæ reverentia, atque obedientia abstrahere cœpit, eo successu, ut Missio illa, qua vix alia solebat esse in Ecclesia illustrior constantia in fide, pietate, charitate, Sedis Apostolicæ & omnium decretorum ejus veneratione, ubique concussa sit dissensionibus, novitatibus corrupta, in fide titubans, variis in locis Schismatica. Plus illic libellorum infamium contra Religio-

sos

sos viros, contra Episcopos Jansenio adversantes, contra Nuntios Apostolicos, Cardinales, ipsumque Romanum Pontificem paucorum annorum spatio in lucem protrusit Quesnelliana factio, quam Calviniana ibidem secta utroque sæculo. Ex ejus autem præcipue latibulo, velut ex equo Trojano, prosilierunt tot opera tenebrarum, & scripta incendiaria, quibus non sola Batavica, sed omnes quodammodo Ecclesiæ Belgicæ conflagrarunt.

17. Tandem Bruxellas in Belgium Austriacum reversus, quod jam A. 1690. a Marchione de Castagna Belgii Gubernatore cum Arnaldo purgare jussus fuerat, die XXX. Maji, A. 1703. a Regis simul, & Archiepiscopi Mechliniensis satellitibus cum Brigodio capitur, & custodiæ traditur, ex qua, amicorum ope, XII. Septembris ejusdem anni evasit, effracto per subornatos homines pariete, ac paulo post Bataviam repetiit. Evadere tamen non potuit Mechliniensis Archiepiscopi Humberti de Precipiano justam damnationis sententiam A. 1704. latam, qua pronunciatus est sacris interdictus, & ab Ecclesiæ corpore segregatus, perpetuo carceri mancipandus, si quando in Diœcesin Mechliniensem reverti, vel quidquam in ea typis edere tentaret. Ut vero Jansenistarum fraudes, & molitiones contra Sedem Apostolicam omnibus innotescerent, idem Archiepiscopus totam causam, omniaque causæ monumenta, chartas nimirum ac litteras cum ipso Quesnello priori anno interceptas, quibus Jansenianæ perfidiæ mysterium reserabatur, luce publica donari, ac per universum orbem latissime disseminari jussit. Ipse Quesnellus quamquam eam monstrum horrendum, informe, ingens, appellaret, & veluti contextam ex meris calumniis criminationem maledico dente laceraret, numquam tamen transcripta ex ipsius chirographis documenta & testimonia falsi insimulare est ausus.

Bruxellis capitur.

18. Imprimi curaverat Quesnellus jam A. 1693. libros Observationum moralium in novum Testamentum, nomenque suum celaverat, quo facilius in fraudem impelleret incautos, & ne in sinistram opinionem sententias

Liber Observationum in Gallis damnatur.

tias ſuas apud Catholicos induceret, qui probe norant, Janſeniani illum agminis ducem eſſe. Libelli hi cum admodum artificiosi ſint, plenique ſimulationis, neque ullam dogmatici, ſed ascetici potius opusculi ſpeciem præſeferant, ſine ſufficiente primum examine probati fuere a pluribus Censoribus, diligenterque conquisiti, non ſine graviſsimo Galliæ, vicinarumque Provinciarum damno. Tandem major quibusdam de iis injectus est ſcrupulus. Germanus Fromageau Doctor Sorbonicus jam A. 1694. articulos CXCIX. ex eo libro collegerat tamquam erroneos & reprehensione dignos. Non nulli etiam Episcopi, ut Mechliniensis, Aptensis, Lugdunensis, Viennensis, Maſsiliensis &c. pestilentem hunc Quesnelli librum damnarunt, atque in eo toti fuerunt, ut fideles de periculo commonerent. Ipse Jacobus Benignus Bossuetus Meldensium Episcopus, qui totum opus approbaſse jactabatur, quod aliquas propositiones ex Quesnelli libro excerptas, quas illi ad eliciendum ſuffragium Janseniani obtulerant, innocuas declaraſset, detecta fraude, qualemcunque approbationem ſuam revocavit, aperte profeſsus, puros & apertos Janſenii errores in Quesnelliano eo libro contineri.

Romæ examinatur, et proscribitur.

19. Tumultu porro magis, magisque increbrescente Clemens XI. unanimi eorum quos ad hoc examen vocaverat calculo, anathema dixit libro, ejusque lectionem ſevere Christianis omnibus prohibuit, declarans in Constitutione ſua A. 1708. edita, quam vitiosa primum perversaque ſit exhibita in eo Novi Testamenti versio, quam in multis consentiens damnatæ olim Montensi: quam longe a Vulgata atque authentica devians; quam fraudulentæ item & malignæ ſint observationes, quæ ſub ſpecie pietatis alio plane abducunt, ſcatentque propositionibus ſeditiosis, ſæpe jam damnatis, atque hæresin Janſenianam manifeste ſapientibus. Non placuit Noallio Parisiensi Archiepiscopo hæc Observationum a ſe olim, dum Catalaunensi Ecclesiæ præſeſset, approbatarum damnatio, eo quod in illa nullus libri designaretur articulus, nullum dogma,

ma, quod damnatio impeteret. Quapropter Ludovicus XIV. Rex Christianiſsimus, qui diſsidia & hæresin in regno ſuo extinguere conabatur, precibus ſæpe iteratis Romanum Pontificem ſollicitavit, ut novum Observationum examen instituerét, quo articuli censura digni excerperentur, ſolemnisque ederetur Constitutio, non librum ſolummodo, ſed & doctrinam, & ſingulares ejus cõfigens articulos. Quare Clemens XI. gliscenti morbo, qui etiam aliquando poſset in deteriora quæque proruere, obviam ire decernens, propositiones centum & unam ex Observationum libris excerpsit, quas maxima diligentia & maturitate, omni ſtudio ac labore, iteratis Congregationibus, longoque temporis ſpatio discuſsas, cumque ipso libri textu accuratiſsime collatas, reprobandas tamen eſse omnes judicavit ſub variis respective censuris, quarum ſaltem aliquam ſingulæ mererentur; idque præstitit VIII. Septembris A. 1713. celeberrima illa Constitutione, cujus initium est: *Unigenitus Dei Filius.*

Conſtitutio Unigenitus recipitur ab Episcopis, et Sorbona

20. Tota Christi Ecclesia Petro per Clementem loquenti obtemperavit, atque Apostolicam ejusdem Constitutionis doctrinam debito obsequio & obedientia ſuscepit. In Galliis XL. Episcopi, quibus præerat Card. Armandus de Rohan, Parisiis congregati unanimi consensu Bullam acceptarunt, quibus brevi acceſserunt XL. alii. At aliam longe viam ſibi ineundam putavit Card. Noallius Archiepiscopus Parisinus, qui Mandatum Pastorale A. 1714. edidit, in quo damnabantur quidem Observationes Quesnellianæ; ſimul tamen ſub pœna ſuspensionis ipso facto incurrendæ vetabatur, nequis Ecclesiasticorum Parisinæ Archidiœceseos Bullam *Unigenitus* absque ſua authoritate recipiat, aut actum aliquem jurisdictionis respectu illius exerceat. Rex Ludovicus XIV. Edictum pro Bullæ observatione expediri juſsit, petiitque per Cardinalem Rohanium, ut Sorbona quoque Constitutionem *Unigenitus* diserte acceptaret, ſuoque Registro inferret. Doctóres aliqui, quamvis Sorbona a jurisdictione Archiepiscopi eſset exempta, Quesnellianæ factioni addicti, mandatum Pastora-

le

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

le Noallii obtendebant. At Ludovico Habert, aliisque renitentibus jussu Regio relegatis, Bulla V. Martii A. 1714. fuit acceptata, & Registro illata, Decano Facultatis conclusum his verbis pronuntiante omnium nomine: *Censet Facultas Constitutionem recipiendam cum reverentia, & Commentariis una cum duabus litteris Regiis inscribendam.* X. Martii hoc Conclusum approbatum fuit sine ullius contradictione, XIV. vero ejusdem mensis die Doctores XII. deputati Versalias profecti sunt, nuntiatum Regi, ejus voluntati fuisse obtemperatum. Laudavit Rex promptum Regiis mandatis obsequendi studium Sorbonæ: at vehementer improbavit Noallii pertinaciam, quem Romam mittere decreverat, juxta Canones puniendum. Exemplum Sorbonæ secutæ sunt aliæ per Gallias Academiæ omnes, spesque erat Quesnellianam factionem brevi omnino opprimendam.

Appellantium furor & temeritas.

21. Verum Ludovici XIV. obitus spem hanc evertit. Mortuo Rege A. 1715. die I. Novembris, quod eo vivente non ausa est, cœpit hæresis caput altius attolere. Janseniani tot cladibus protriti Clementinam Constitutionem injustitiæ ac proditionis more suo accusare non sunt veriti; immo eo tandem se abripi passi sunt, ut hæretica sane atque infrunita licentia a Bulla *Unigenitus* ad proximum futurum Concilium Oecumenicum appellarent, *Appellantes* idcirco dicti. Optime nimirum perspectum habent, Generale Concilium aut numquam, aut non nisi difficillime, ac post multorum annorum decursum convocandum esse; hacque appellatione munitis sperant licitum fore in Catholicam religionem quam diutissime impune grassari: neque exceptiones sibi defuturas, quamvis a Generali Synodo damnentur. Animum atque audaciam illis addidit paucorum aliquot Galliæ Episcoporum temeritas, Mirapicensis, Montispesulani, Boloniensis, ac Sanitiensis, a Constitutione appellantium ad Concilium Oecumenicum libere & legitime celebrandum; cui appellationi adhæsere Cardinalis Noallius, aliique XII. Episcopi. Accessit & Rector totius Universitatis Parisiensis, quatuor Facultatum nomine, pluribus Regni Academi-

demiis exemplum ſequentibus. Auro quoque & argento in appellationis ſocietatem tracta multitudo, ejusque, ut terrori eſset, grandis contextus catalogus. Ipse Paschasius Quesnellus appellationem quarto ante obitum ſuum die, vocatis etiam duobus testibus, ſcripto innovavit, ac confirmavit, eique immortuus est Amstelodami die II. Decembris, A. 1719. ætatis LXXXV.

22. Appellatio quatuor Episcoporum, aliorumque A. 1718. a Congregatione Sacri Officii Romæ fuit proscripta tamquam ſchismatica, & continens propositiones hæreticas; appellatio vero Noallii tamquam ſchismatica, & proxima hæresi. Cardinales de Rohan, Biſsius, & Tremollius omnem impenderunt operam, ut Noallio ſaniora persuaderent: at irrito conatu; unde Clemens XI. hac obstinatione commotus, edita Constitutione *Paſtoralis Officii* Noallium a communione fidelium removit, qua ille denuntiatione minime perterritus novam instructionem pastoralem edidit, quæ cum prioribus deterior eſset, Romæ pariter fuit damnata. A. 1723. Ludovicus XV. Rex Christianiſsimus Constitutionem *Unigenitus* tamquam legem non Ecclesiæ minus quam Regni proposuit, eademque iterum commendata est A. 1725. tum in Concilio Romano ſub Benedicto XIII, tum in Avenionensi; rursusque A. 1727. in Ebredunensi, procurante præcipue Jll^mo Petro de Tencin, illius Sedis Archiepiscopo, postea S. R. E. Cardinale. In hac posteriori Synodo Episcopus Sanitiensis, cum nullis ſuorum Collegarum adhortationibus ac precibus ad obedientiam Constitutioni Apostolicæ præstandam flecteretur, præmiſsa trina monitione Canonica, declaratus fuit ſuspensus ab omni officio, & jurisdictione Episcopi, & ab omni exercitio Ordinis tum Episcopalis, tum Sacerdotalis: quam ſententiam Benedictus XIII. confirmavit, & Rex Christianiſsimus probavit, qui querelas Appellantium hac ſuper re ad ſe delatas constanter rejecit.

Regis, & Cleri ſtudia excitant.

13. Tandem illustri Divinæ miserationis exemplo A. 1728. Cardinalis Noallius, posita tot annorum

Noallii pœnitentia

rum contumacia, interjectam olim a se appellationem palam revocavit, & Constitutionem *Unigenitus* simpliciter, absque conditione ulla ac restrictione, acceptavit, & per universam Parisiensem Diœcesin acceptari præcepit, constans deinceps ad mortem usque. Hac ordinatione & instructione Archiepiscopi sui permoti sunt multi, integri cœtus, & numerosæ communitates, torrente renitentium ante abreptæ, ut Bullam acceptarent, atque ad unitatem & veritatem redirent. Exemplo præluxit Capitulum Cathedrale Parisinum A. 1729. Secuta est brevi Sorbona die X. Decembris ejusdem anni, rem præcipue promovente Honorato Tournely, Theologicis suis lucubrationibus celeberrimo, & XCVI. Doctorum suffragiis contra XIII. prævalentibus, Decretum condidit, quo suam appellationem revocavit, & Clementinam Constitutionem simpliciter recepit. Acta hæc Sorbonæ typis fuere impressa, atque ab omnibus Europæ Academiis approbata, ab ipso etiam Summo Pontifice per Breve peculiare confirmata. Firma deinceps huic Decreto suo inhæsit Facultas, non exiguo omnium recte sentientium solatio, & unitatis in Gallia restaurandæ emolumento.

Jansenianorum fraudes, simulatio, & studia.

24. Hæc brevi compendio de Jansenianis dedimus. Omnia enim, quæ tum ante tum post Quesnelli obitum, quæque posterioribus hisce temporibus gesta sunt, fusiori calamo describere si vellem, infiniti propemodum laboris res foret. Illud dixisse sufficiat, vix ullam in Ecclesia Dei exortam fuisse hæresin, Jansenianæ pestilentem magis & exitialem, quæ omnes nocendi fallendique artes sinu suo complectatur. Scribere litteras, libellos spargere, criminari quos adversarios habent, Semipelagianismi, laxitatis, corruptæque morum doctrinæ accusare, Jansenianis solemne est. Errores suos Augustini esse doctrinam, ab Ecclesia approbatam, mentiuntur. Quinque propositiones Jansenii publice damnant, clam in corde retinent, & quamvis obsequens silentium promittant, ubi occasio se dederit, easdem disseminant. Summorum Ecclesiæ Antistitum Constitutiones eludunt, effugia quærunt, ad altius tribu-

tribunal provocant, Sedem Apostolicam per ſæculum integrum cum umbris & phantasmatis depugnaſse criminantes. Prothei instar in omnes formas ſe transmutant; jamque ſub larva pietatis & zeli, pro disciplina, in Gynæceum ſe insinuant, & more jam olim Pelagianis & Priscillianistis familiari, per mulierculas venenum ſpargunt: jam ſub ſpecie doctrinæ Patrum, maxime Augustini, incautos fallunt: jam per calumnias, dolos, factiones, aliasque malas artes agunt cuniculos: atque eam in rem infinitos libellos famosos dispergunt, pinguiſsimorum mendaciorum peritiſsimi fabricatores, quibus ſuos in cœlum extollunt, ceu viros doctrina, religione, integritate ſummos; eorum vero quos adversarios habent, nulla charitatis, justitiæ, aut conscientiæ habita ratione, famam lacerant, deridendosque proponunt. Coram populo ſanctimoniæ ſamam affectare, attenuata coma, talari veste, diuturna in templis genuflexione uti, inter loquendum oculos frequenter ad cœlum erigere, trahere ſuspiria, de laxitate & abusibus ingemiscere, illis consuetum est: cum tamen, ut vel ex ſolis eorum libellis famosis constat, pleni ſint ſuperbia, arrogantia, fastu, invidia, odio, maledicentia, calumniandi conviciandique libidine, phariſaica turgentes hypocrisi, toti ad fallendum compoſiti. Collatitio aere non modico emiſsarios alunt, qui venenum per provincias incautis inſtillent; donec paulatim corde receptum: Catholicas de Sacramentorum usu, prædestinatione, gratia, libertate, morte Christi pro omnibus, veritates extinguat. Initio quidem meram pietatem & devotionem ſpirant; ſensim vero de cœlesti illa ſua & terrena delectatione victrice dicere exorsi, auram pesilentem afflant. Vide, quæ de Jansenianis diſserunt Josephus Biner in Apparatu Eruditionis, Parte VIII. toto Libro IV. & Parte X. toto Cap. IV. per X. Articulos. Honoratus Tournely Parte I. de Gratia Christi. Josephus Gautier in Prodromo ad Theologiam Diſsert. II. Cap. IV. Art. II. a Num. CCCLII. Jacobus Fontaine in Prologomenis ad Tom. I. Conſtitut. *Unigenitus* Theologice propugnatæ.

DISSERTATIO II.

DE PELAGIANIS.

Pelagii doctrina. 25. Pelagius ex majori Britannia oriundus, professione Monachus, ex eorum nempe numero qui religiosam suis in ædibus vitam agebant, & sæculi contemptum modestiore corporis habitu moribusque profitebantur, homo versipellis, mirusque fallendi artifex, pestilentissimum adversus Gratiam Christi dogma concepit animo, quod initio sæculi V. arte multiplici variisque flexibus, per se & Discipulum suum Cœlestium disseminare aggressus est. Initio quidem nulla facta mentione gratiæ, asseruit vires naturales liberi arbitrii sufficere ad implenda omnia præcepta, superandas quasvis tentationes, exercendaque, sicut oportet, virtutum omnium officia, & obtinendam salutem æternam. Hunc in finem tria inter se distinguebat, quibus mandata divina impleantur, possibilitatem nempe, voluntatem, actionem: possibilitatem qua potest homo esse justus; voluntatem qua vult esse justus; actionem qua justus est. Possibilitatem in libero arbitrio consistentem ajebat nobis datam esse a Conditore naturæ, nec esse in nostra potestate: duo reliqua vero, voluntatem & actionem, soli libero arbitrio tribuebat. At vero cum hoc doctrinæ monstrum exhorrescerent Catholici, ad declinandam publicam invidiam, necessitatem gratiæ admittere visus est: sed gratiæ nomine liberum arbitrium intelligebat, eo quod illud gratis, nullis nostris præcedentibus meritis, nobis a Deo in ipsa creatione concedatur. Cum autem neque per hoc Catholicis satisfaceret Pelagius, aliud gratiæ genus, sed externæ tantum, nempe legem, doctrinam, & exempla Christi admisit. Verum ista externa tantum sunt, quæ absque gratiæ interioris adjutorio negotium justificationis & salutis neque conficiunt, neque incipiunt. Postremo admisit etiam gratiam aliquam internam illustrationis, qua, cum doctrina legis & Evangelii, atque exempla Christi exterius proponuntur, intellectus etiam illustretur. Hanc tamen interiorem illustratio-

nis

nis gratiam contendebat esse tantum secundum quid necessariam, id est, ad facilius dumtaxat agendum, eamque meritis naturalibus obtineri posse. Porro gratiam illam, per quam voluntas excitata & roborata ea faciat quæ Lex facienda esse ostendit, constanter negavit.

A veteribus Hæreticis præformata.

26. Errorum suorum præformatores habuit Pelagius veteres Philosophos, Stoicos & Pythagoreos, Origenem, ac Theodorum Mopsuestenum, communem illum Hæreticorum suæ ætatis parentem. Magistro usus est Ruffino Aquilejensi, suis cum Hieronymo concertationibus celeberrimo, cujus errores adeo alte combibit Pelagius, ut Magistrum etiam superaret. Ex S. Augustino Lib. de Dono perseverantiæ, Cap. XX. discimus, Pelagio Romæ commoranti jam sub annum 405. quantumvis animi sui sensa studiose reconderet, multa tamen contra Gratiam excidisse. Evenit certe, ut cum sub hunc annum Episcopus Catholicus ex B. Augustini Confessionibus verba ea referret: *Da quod jubes, & jube quod vis*, Pelagius præsens, abruptis velut omnibus patientiæ frænis, prope in apertum jurgium proruperit. Adeo vel vaferrimis hominibus arduum est animum in potestate habere, ipso ut reor Numine subitos eos animi motus immittente, quo grassatura tacitis alioquin artibus impietas in lucem proferatur.

Pelagii fraudes.

27. Hæ Pelagio erant artes hæresim disseminanti. Nihil de suis mysteriis aperte vulgo credere, sed fidis tantum auribus. Si quid dogmatum emanasset in publicum, negare palam quod in cubiculis doceret. Si aperte proponendus error, alienam inducere personam. Si suo nomine loqui cogeretur, dubitantis more, timideque afferre, de quo simularet se velle doceri. Si ex libris argueretur cujusdam assertionis, libros causari vel non esse suos, vel prius subreptos quam emendarentur. Si ex confessis urgeri contingeret, sententias interpretari verbis perplexis & in speciem Catholicis. Si necessitas foret, Ecclesiæ non nulla damnanti consentire, damnare libenter omnia, sed, ut ajebat, Ecclesiæ sensu, id est, eo quem postea fin-

geret ad arbitrium. Si aliquando fidem exponere deberet, copiose prosequi plurima, de quibus non interrogaretur; de re, vel nihil vel ambiguum quiddam eloqui; imitari serpentes, qui, ut ait Orosius Apolog. Cap. I. *Cum tuendi solius capitis causa reliquum concisioni atque injuriæ corpus opponunt, nihil damni arbitrantur, ea tantum sui parte a periculo libera, quæ multimodas, venenatasque in se obtinet linguas, etiamsi membris omnibus amputentur.* Præterea virorum nobilium & Sanctorum, piarum & illustrium Matronarum, Virginum, & Viduarum benevolentiam litteris suis, laudibus, assentationibus aucupabatur Pelagius. Testes sunt Paulinus, Pammachius, & Oceanus, Proba, Juliana, Demetrias, Albina, Pinianus, & Melania, quorum in amicitiam irrepere tentavit Hæresiarcha versipellis, ut iis errorem afflaret, eorumque ope Secta propagaretur, ac foveretur.

Et simulata probitas.

28. Quod vitæ rationem moresque Pelagii ac Sociorum ejus attingit, singularem quamdam pietatis, probitatis, severiorisque disciplinæ opinionem, minime tamen probandæ, magnopere sibi conciliare satagebant. Hinc abhorrentes illæ a communi sensu, insolentesque sententiæ in eorum ore resonabant: *Non debere omnino jurari. Gloriam vestium & ornamentorum esse Deo contrariam. Christianum debere esse illius patientiæ, ut si quis sua auferre voluerit, gratanter amittat. Divitem viventem in divitiis suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem, si forte ex ipsis divitiis mandata fecerit.* Qua ratione, Evangelica consilia ita interpretabantur, ut non suaderent, quemadmodum par erat, sed in præcepta converterent. Neque vero apud simplicem tantum rudemque multitudinem, sed apud egregios etiam eximiosque sanctitate, doctrina & prudentia viros, ab initio præsertim novæ, quam susceperant, institutionis, nempe Augustinum, Paulinum Nolanum, Joannem Jerosolymitanum, Zosimum, Severum Sulpicium, aliosque plures, singularem virtutis laudem commendationemque sunt assecuti. Erant itaque Pelagiani

giani Pharisaico de grege pecudes, ut cæteri fere omnes hæretici, homines fallacis severitatis, probitatisque venditores, simulatoresque nequissimi. His artibus utebantur ad comparandam sibi undique singularis cujusdam, minimeque communis probitatis sanctitatisque famam, quo faciliorem aditum ad multitudinem, severitatem vitæ præ virtutibus cæteris suspicere & admirari solitam, sibi pararent, atque in universorum animos influerent occultius, quos ad extremum doctrinis pestiferis, severitatis sale conditis, corrumperent, & depravarent.

Cœlestii gesta Carthagine.

19. Gothis sub Alarico Rege Italiam vastantibus, Pelagius cum Cœlestio Discipulo suo relicta Roma, in Siciliam, Messanam & Syracusas, ac demum A. 411. in Africam navigavit, Hipponem Regium initio veris, absente tunc Augustino, appulsus, tum deinde Carthaginem: ipse relicto ibi Cœlestio, paulo post in Palæstinam se contulit, perniciem illaturus Orienti. Cœlestius nova dogmata late per urbem disseminavit: utque quibusdam excellentioris scientiæ homo videretur, ad Sacerdotium promoveri conatus est; sed a Paulino S. Ambrosii antea Diacono accusatus, quod impia dogmata spargeret, repulsam tulit. A. 412. coactum est Carthaginense Concilium, præsidente Aurelio primæ illius Sedis Episcopo, absente vero, ut de se ipse narrat, Augustino. In hoc damnati fuere Cœlestii errores; ipse vero, quod eos tamquam hæreticos damnare recusaret, Ecclesiastica communione fuit privatus. Ne vero ut hæreticus palam traduceretur, utque latam adversus se ab Afris sententiam declinaret, teste Mario Mercatore, ad Romanam Sedem appellationem interposuit, qua mox neglecta, Ephesum Asiæ minoris urbem contendit, ibique Presbyterii honorem sufuratus est.

Jerosolymis Pelagio tarvam detrahit Orosius.

30. Pelagius interea Sectæ Magister, Jerosolimis benigne a Joanne Urbis illius Episcopo exceptus est, quod adversus Hieronymum opportuno præsidio sibi futurus videretur. Et vero egregiam Patrono suo navavit operam, scriptisque Hieronymum perstrinxit, qui superbi

bi hominis inverecundia provocatus, Epistolam ad Ctesiphontem, tresque adversus Pelagianos libros conscripsit. A. 415. Orosius Presbyter Hispanus, in Palæstinam ab Augustino missus, Hieronymum statim adiit, cuncta quæ Carthagine contra Cœlestium peracta fuerant exponens: libros etiam de peccatorum meritis & remissione ab Augustino contra Pelagium elucubratos prodidit, litterasque exhibuit, quas S. Doctor nuper ad Hilarium Syracusanum miserat. Hæc ubi a Hieronymi amicis per Palæstinam vulgata sunt, Pelagii fides in suspicionem vocabatur. Neque enim viri cordatiores sibi persuadere poterant, Hieronymum & Augustinum, quos veluti Christianæ Reipublicæ Consules Catholicus orbis suspiciebat, Pelagium impugnandum suscepisse, vera & sana docentem. Joannes Jerosolymitanus, qui Pelagium Catholicum credebat, ægre ferens hæc de amicissimo sibi homine spargi, judicio agere decrevit. Urbanam itaque Synodum coegit, in qua examinatus est Pelagius, qui acres ac vehementes Orosii oppositiones artificiosis, fraudumque plenis responsionibus feliciter amolitus est, Joannis Episcopi favore tutus; adeo ut aliud nihil decretum fuerit, nisi ut ad Beatum Innocentium Papam Romanum Fratres & Epistolæ mitterentur, universis quod ille decerneret secuturis.

Synodus Diospolitana.

31. Interea eodem anno 415, Eros Arelatensis, & Lazarus Aquensis Episcopi, ab Ecclesiis suis, quas Clero ac populo contradicentibus olim invaserant, depulsi, eorum depositionem ratam habente Pontifice Romano, in Palæstinam se contulerant ad corroganda aliorum Catholici orbis Episcoporum suffragia pro recuperanda dignitate. Ubi vero Pelagii conatus intellexerunt, libellum, in quo capitula quædam ex Pelagii Cœlestiique libris decerpta continebantur, Eulogio Cæsariensi Palæstinorum Primati obtulerunt, a quo Synodus etiam indicta est Lyddæ, sive Diospoli habenda. Convenere Episcopi XIV, atque hos inter Joannes etiam Jerosolymitanus. Accusatores Pelagii Erotem & Lazarum gravis unius ægritudo, ne Synodum accederent,

rent, prohibuit. Interrogatus Pelagius quid de gratia ſentiret, ut erat mirus fallendi artifex, turpi æquivocatione Patribus illusit, eoque facilius, quod ipse Latine loquens coram Græcis, ab illis non intelligebatur nisi per interpretem, qui ejus verba aut fideliter non reddebat, aut ejus favebat personæ. Quapropter illi Episcopi nihil fraudis ſuspicati, atque nomine Gratiæ, quam admittebat Pelagius, eam intelligentes quam Ecclesia Catholica ſolet intelligere, Pelagium errore facti, ipsa tamen hæresi damnata, tamquam innocentem dimiserunt. Unde S. Hieronymus hanc Synodum merito appellat *miserabilem*, & S. Augustinus Lib. de Peccato Originali, Cap. XV. Pelagio idcirco triumphum canenti respondet: *Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuiſti: ſed illud absolutum eſt, quod tenere deluiſti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es ſentire laudanda, cum te Judices non intelligerent occultare damnanda.*

Pelagianorum impia facinora, & jactantia.

32. Pelagiani hac victoria feroces, correptis armis ignem primùm monasteriis, quæ in Bethlehemitica urbe B. Hieronymus institutione ſua ſanctiſsima regebat, ſubjecerunt, & non paucos viros fœminasque, & unum etiam Diaconi dignitate præfulgentem occiderunt. Hieronymus, qui unus præcipue petebatur, fuga ſe in turrim ſubduxit multo firmiorem, quam quæ impetu expugnari poſset. Cædes incendiaque hæc ſub oculis pene Joannis Jerosolymitani edita ſunt, adeo immoti, ut pene juſsa viderentur. Certe Romanus Pontifex Innocentius ad Joannem, ubi tanto eum partium favore imbutum intellexit, plenas justiſsimarum querelarum litteras dedit, eique denuntiavit, illata damna jure Ecclesiastico ab eo præstanda, & compensanda eſse, niſi eos quos poſset & deberet, ab injuriis vindicaret. At dum cædibus incendiisque vindictam ſuam explent discipuli, Pelagius ad familiares ſibi artes fraudes & mendacia versus, victorem ſe jactabat, datis plurimis litteris, quibus & a XIV. Episcopis ſuam comprobatam ſuiſse ſententiam, & eos qui invidiæ ſtimulis acti diem ſibi dixiſsent, cum probro rejectos fuiſse gloriabatur.

batur. Ausus quin immo est impostor vaferrimus, per Hipponensem civem vela in Africam facientem, Augustino perscribere, defensionem suam a Patribus admissam, comprobatamque fuisse. Sed Augustinus probe alioquin gnarus, mendaciis solis omnia incrementa Pelagium debere; adhæc adventu Orosii, litterisque S. Hieronymi certior redditus, quam conventus illi speciem nullam Concilii ex Ecclesiæ more acti prætulerint, tum suo tum reliquorum Africæ Episcoporum nomine ad se transmitti Acta Concilii a Joanne Jerosolymitano petiit; sed huic voluntas primùm, rem cum suo indubie dedecore conjunctam exequendi, tum vita defuit. Verum nulla re suam magis impudentiam prodidit Pelagius, quam dum per laicos Italos e Palæstina Romam repetentes, Acta Synodi ausus est transmittere, non desperans, quin Innocentius approbatione sua robur his actis additurus esset.

Pelagiana hæresis damnatur in Africa, & Romæ.

33. Eros & Lazarus, cum inanem operam se posuisse cognoscerent, Pelagio per dolum absoluto, litteras per Orosium, qui reditum in Africam adornabat, miserunt ad Africanos Episcopos, quibus quæ Diospoli acta fuerant, nuntiabant. His cognitis Augustinus indoluit Palæstinos Episcopos hæretici arte deceptos fuisse. Quare Orosio author fuit, ut Aurelium Primatem Carthaginensem, qui primus Cœlestium anathemate percussserat, conveniret, eique gestorum in Palæstina seriem exponeret. Aurelius rem ad Provinciæ Proconsularis Synodum referendam duxit, quæ ubi Carthagine convenit, Pelagianorum causa ab Episcopis LXVIII. cognita est A. 416. Patres re serio agitata, Pelagii ac Cœlestii personæ parcentes, eorundem errores anathemate confixerunt. Quo major autem decreto vis inesset, illud per litteras Innocentio Pontifici subscribendum Romam misêre, una cum Epistolis Erotis & Lazari, quas in litteris synodalibus testabantur se ab Orosio accepisse. Eodem anno celebrata est a Numidiæ Episcopis LXI. Milevitana Synodus, cui præfuit Silvanus Zummensis, verius Zamensis Episcopus, Numidiæ Primas. In hac iterum proscripta est Pelagiana doctri-

doctrina, & Augustino provincia imposita utriusque Synodi Carthaginensis & Milevitanæ gesta litteris mandandi, eaque Romam ad Innocentium mittendi. Innocentius acceptis a Julio Episcopo Afrorum litteris, congregatoque Romæ Episcoporum Concilio, anathema pronuntiavit in Cœlestium & Pelagium A. 417. mense Januario. *Pelagium, Cœlestiumque*, scribit in Epist. ad Patres Milevitanos, *Apostolica communione privari, Apostolici vigoris authoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem, eosque interim ovili Dominico non recipi.* Paulo post Innocentius ad Superos evocatus est.

34. Fama damnationis in Asiam perlata, Pelagius litteras continuo ad Innocentium dedit, quibus injuste se infamari questus, Erotem ac Lazarum tamquam publicos calumniatores accusabat, eaque quæ in Africa contra se gesta fuerant, iisdem accusatoribus impellentibus, sine consultatione, nec sine præcipiti deliberatione decreta esse affirmabat. Quo vero facilius id Romano Pontifici persuaderet, libellum suæ fidei, quem Symbolum dixit, ad eumdem transmisit, in quo, ut scribit S. Augustinus Lib. de Gratia Christi, Cap. XXXII, ea de quibus non interrogabatur, pluribus prosecutus, late suam fidem deduxit; illa autem, quæ præcipue ab eo petebantur, paucis iisque ambiguis verbis inclusit. Praylius Episcopus Jerosolymitanus, qui in demortui Joannis locum suffectus fuerat, commendatitias pro Pelagii causa litteras Romam una cum Pelagii libello transmisit.

Pelagius datis litteris.

35. Iisdem ferme temporibus Cœlestius Epheso, ubi virtutis simulatione ad presbyteralem dignitatem adrepserat, CPolim se recepit, ubi hæresis suæ semen spargere aggressus est. Quod cum ad aures Attici illius Urbis Episcopi pervenisset, is protinus coacta Synodo Cœlestium damnavit, ejusdemque Episcopi opera, teste Mario Mercatore in Commonitorio, Cap. I, veterator a Theodosio juniore Urbe regia depulsus est. CPoli itaque ejectus, Romam ad Apostolicam Sedem, ad quam quinquennio ante a judicio Carthagi-

Et Cœlestius Romæ Zosimo conantur imponere.

thaginensis Synodi provocaverat, convolavit; ubi in vacua Sede Innocentii, qui diem obiit XII. Martii A. 417, Zosimum die XVIII. ejusdem mensis & anni collocatum invenit. Continuo veteres amicos adiit, clamitans se festinato judicio, inauditum, indefensum, tum in Africa tum in Urbe damnatum fuisse: Catholicam se doctrinam docere, nec latum unguem se ab illa umquam discessisse. Contexuit dein pari, qua Pelagius, astutia fidei suæ libellum, quem Zosimo Innocentii Successori obtulit. In hoc pessimus veterator ajebat, sequi se in omnibus sententiam B. Innocentii, & si qua ex humana ignorantia errata obrepserint in fidei suæ libellum, ea se Apostolicæ Sedis correctioni ultro subjicere: adhuc se dubitare de originali peccato, de quo instrui se velle ab Apostolica Sede, paratum respuere quod ipsa improbaret. His auditis Zosimus, in Basilica S. Clementis ex Romanis Clericis, peregrinisque Episcopis, qui ex diversis regionibus aderant, Synodum convocavit, ad quam accersitus Cœlestius, & a Zosimo interrogatus, an damnaret ea quæ sibi a Diacono Paulino A. 412. Carthagine coram Aurelio fuerant objecta, & an Sedis Apostolicæ litteris, quæ ab Innocentio manaverant, præberet assensum? respondit se omnia damnaturum, quæ Sedes illa damnaret, datisque in Pelagiana causa Innocentii litteris se consensurum. Zosimus nihil fraudis suspicatus, propitius magis Pelagianis redditus est, cœpitque addubitare, an non ex concepto fortasse in Pelagium odio non nulli suo Antecessori Innocentio glaucoma objecissent: crediditque teneri se novam instituere disquisitionem, num Pelagius & Cœlestius doctrinam illam sinu foverent, cujus ab Afris accusabantur. Quare omni interim suspenso judicio, neque idcirco absolutis Pelagio & Cœlestio, ut ipse Zosimus scribit in Epistola ad Episcopos Africæ, gesta omnia in illo judicio, cum litteris per Basilicum Subdiaconum ad Afros transmisit, in quibus acrius invectus est in Erotem & Lazarum, tamquam turbarum præsentium authores, eos Ecclesiæ turbines & procellas vocans; jubetque

intra

intra bimestre Romam venire accusatores, ut illis præsentibus nova suscipi discussio posset.

Sed detecta per Africanos improbitate.

36. Africani Episcopi, acceptis Zosimi litteris, ineunte anno 418. Carthaginem confluxere CCXIV. ex omnibus Africæ provinciis, omnibusque iterum in Pelagii & Cœlestii causa quam diligentissime retractatis, Innocentii adversus Pelagianos decreto standum esse, plenis suffragiis censuere, ac statim per Marcellinum Subdiaconum Acta Synodalia Romam ad Zosimum miserunt. Rogarunt etiam Africani Patres Pontificem, ut iis quæ Innocentius contra Pelagium Cœlestiumque constituerat, firmiter insisteret, donec Cœlestius præsens, absensque Pelagius per litteras, aut coram Romano Pontifice, si eo evocaretur, professus fuerit, Gratiam Dei per JESUM Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam faciendam justitiam, nos per singulos actus adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Demum nihil eorum, quæ vel repetitam Pelagii & Cœlestii damnationem promovere, vel stabilem eorum conversionem spondere poterant, omiserunt; Romam enim miserunt, quid Innocentius de Actis Palæstinæ Synodi, qua absolutum se gloriabatur Pelagius, sensisset, quid fraudum ejus dolosa fidei professio obtegat aperuerunt, minutimque perscripserunt.

Proscribuntur a Zosimo.

37. Zosimus cum ex Africanorum Patrum litteris de cute & intus, ut ajunt, Pelagianam hæresin cognovisset, facile se a Pelagio & Cœlestio deceptum fuisse animadvertit. Præterea, teste Augustino Lib. de Peccato originali, Cap. XXI, post reddita Africani Concilii testimonia, studio & opera fidelioris Romani Cleri, plurima eaque perspicua Pelagianæ hæresis monumenta Romæ reperta sunt, ubi Pelagius diutissime vixerat, per annos nempe facile XXIV. Quapropter cum nulla amplius dubitatio restaret de mala fide, doloque malo Pelagii & Cœlestii, apud pleniorem Synodum Cœlestius in judicium a Zosimo vocatus est, ut verbis perspicuis ex suo libello decerpta, & a Paulino

lino Diacono in Carthaginensi Synodo A. 412. objecta sibi capitula, sine ulla cunctatione, ambiguitate, & tergiversatione damnaret. Verum ille, cum se detectum convictumque sciret per Africanos, Synodi expectationem elusit, & clandestina fuga se ab Urbe subripuit. Itaque Zosimus cognita Cœlestii fuga & perfidia, malisque dolis & fraudibus Pelagii, A. 418. mense Aprili exeunte, convocato iterum in Basilica S. Clementis frequentiori Clero, cum suburbanis peregrinisque Episcopis, publico solemnique judicio iterum post Innocentium, tamquam hæreticos Pelagium atque Cœlestium damnavit, oblata tamen spe veniæ, si repudiatis erroribus subeundæ debitæ pœnitentiæ oneri se subjecissent. Præterea Zosimus e Synodo amplissimam, prægrandis voluminis instar, ad universos Christiani orbis Episcopos epistolam dedit, quæ *Tractoria* Zosimi est nominata, in qua universa Pelagiana & Cœlestiana causa continebatur: universisque Christiani orbis Episcopis denuntiabatur, ut omnes & singuli damnationi Pelagii & Cœlestii tamquam hominum hæreticorum subscriberent. Tum vero cum Honorio Imperatore egit Zosimus, ut Pelagiani Cæsareis legibus toto Romano Imperio pellerentur: quod statim piissimus Princeps executus, eodem anno 418. Ravennæ Rescriptum dedit ad Junium Quartum Palladium Præfectum Prætorio Italiæ, quo Hæreticos illos jubet *inexorati exilii deportatione damnari.*

Pelagiani frustrà ad Generalem Synodum provocant.

38. Frustra Pelagiani conquesti sunt, particularia duntaxat fuisse Concilia, nec aliunde satis libera, a quibus damnati fuerant: frustra ex eorum numero XVIII. Episcopi, novo & inaudito hactenus exemplo, ad Oecumenicum Concilium provocarunt. Vanam & inutilem fuisse hanc provocationem probat S. Augustinus Lib. IV. contra duas Epist. Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. ult. *Quid Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ*

quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos, Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cæterum Pelagianorum damnationi non defuit Concilium Oecumenicum. Enimvero Epbesina Synodus A. 431. contra Nestorium congregata, amicorum etiam ejus Pelagii & Cœlestii erroribus, damnationis notam inusit Actione VII. Can. IV. *Siqui autem Clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publice Nestorii Cœlestiive sequi dogmata, sancitum est a Sancta Synodo, istos quoque depositos esse.*

Quis fuerit Cœlestius.

39. Inter Pelagii discipulos præcipui fuere Cœlestius, Annianus, & Julianus. Cœlestius quibusdam Scotus, verisimilius Romanus aut Campanus, claris natalibus ortus erat, naturæ aberrantis vitio Eunuchus, inde a prima juventute monasterio se devovit, amplosque adeo in litteris progressus fecit, ut Gennadius testetur, ab eo adhuc adolescente epistolas librorum in modum ad parentes conscriptas, e quarum lectione singularia prorsus emolumenta despondere sibi omnes possunt, qui vitæ melioris desiderio tenentur. Acerrimi fuit ingenii, Dialecticus subtilis atque contortus: unde factum est, ut magistrum suum Pelagium audacia superaret, totiusque Pelagiani exercitus ductor fuerit.

Annianus.

40. Annianus, Celedensis Ecclesiæ Diaconus, ob Latinæ Græcæque linguæ peritiam magna in æstimatione a Pelagianis habebatur. Pelagii lateri adhærens in Asiam se contulit, suamque eidem operam in Diospolitana Synodo præstitit. In Italiam reversus, Hieronymi Epistolam ad Ctesiphontem, editis contra illam libris impugnavit. In Latinam linguam vertit octo priores Homilias S. Joannis Chrysostomi in Matthæum, &

septem

septem alias ejusdem S. Doctoris de laudibus Pauli. Priores præfixa epistola inscripsit Orontio Episcopo Pelagiano; posteriores vero Evangelo ejusdem sectæ Presbytero.

Et Julianus Eclanensis?

41. Julianus, Eclanensis in Campania Episcopus, Memorii Capuani, postea Episcopi, filius, ex nobilissima ortus erat familia. Hic demortuo Innocentio, sub ejus successore Zosimo, objecta Catholici Episcopi larva, in luce palam, oculisque omnium A. 418. Pelagianæ hæreseos fere jam profligatæ patrocinium suscipere aggressus est; licet aliquam Pelagiani dogmatis partem desereret, ad executionem boni operis divinæ gratiæ necessitatem agnoscens: qua in re Semipelagianis prælusisse videtur. Sede sua a Zosimo pulsus, ac Cœlestini postea Pontificis opera Italia ejectus, in Ciliciam ad Theodorum Mopsuestenum navigavit, ubi homo lingua promptus & disertus, sed procax ac temerarius, plures epistolas, & Libros IV. adversus primum S. Augustini de Nuptiis & concupiscentia librum, & octo adversus secundum conscripsit, quos Floro Episcopo Pelagiano nuncupavit. Hujus verbosi operis magna pars extat relata ab Augustino in prolixa illa responsione, quam ei opposuit, quaque nondum absoluta, vitæ cursum confecit. Paulo post dum Nestorius ingentes CPoli turbas cieret, turbidis rebus sua promoturus, continuo CPolim advolat Julianus cum Floro, Orontio, Anniano, aliisque Pelagianorum veteranis ducibus, implorans Theodosii Imperatoris patrocinium, atque universam regiam urbem querelis & ejulatibus complens. Aderat eo tempore CPoli Marius Mercator, homo laicus, & S. Augustini amicus, qui Pelagianorum conatibus probe cognitis, veritus ne homines tota arte fallendi præditi, Principi atque Ecclesiasticis fucum facerent, Commonitorium scripsit, in quo, ubique gentium contra Pelagianos gesta tum in Africa & Asia, tum in Europa, paucis exposuit, quod Theodosio postea, & Clero obtulit. Quo factum est, ut Pelagiani CPoli pellerentur, ac paulo post ab Ephesino Concilio illorum error proscriptus fue-

fuerit. Julianus diu errabundus tandem in Siciliam delatus est, ubi ex Episcopo factus ludi magister, in vico quodam ignobili, ærumnis & egestate pressus obiisse dicitur circa annum 453. Vide quæ de Pelagiana Hæresi scripserunt Viri clarissimi, Henricus Cardinalis Norisius in Hist. Pelagiana. Joannes Garnerius in Dissertationibus pertinentibus ad Hist. Pelagianam. Scipio Maffejus Hist. Theolog. Lib. VII. Laurentius Alticotius in Præfatione de Pelagianis rebus & hominibus, præfixa Parti IV. Summæ Augustinianæ. Editores Maurini in Præfatione præfixa Tomo X. Operum S. Augustini. Josephus Pohl in Manuductione ad Hist: Ecclesiast. Sæc. V. Natalis Alexander in Hist. Eccles. Sæculi V. Cap. III. Artic. II. & sequent.

DISSERTATIO III.

DE SEMIPELAGIANIS.

42. Ex Pelagianæ hæresis cineribus enati sunt Semipelagiani. Admittebant illi cum Catholicis tum peccatum originale, tum gratiæ supernaturalis necessitatem ad incipiendum & perficiendum opus bonum; non item ad principium credendi, aut volendi. Statuebant itaque initia quædam fidei, justitiæ, & salutis, quæ non essent a gratia præveniente; sed a solis naturæ viribus, nimirum voluntatem credendi, fidem inchoatam & imperfectam, desiderium sanitatis & salutis, conatus quosdam emergendi e cœno peccati, & actus virtutum exercendi; per quæ initia fidei & salutis, ex solis naturæ viribus elicita, dicebant infallibiliter obtineri primam gratiam, aliasque interiores, necessarias ad servanda mandata, & ad opera salutaria exercenda; ita ut gratia non sit præambula, sed pedisequa bonæ voluntatis. Hæc tamen salutis initia non computabant inter bona opera; quemadmodum in ægro voluntas adhibendi medicum, vel certa de remedio concepta fiducia, nondum pars esse aliqua curationis censetur. *Semipelagianorum doctrina.*

43.

Et Sequelæ.

43. Ex hac Semipelagianorum doctrina sequebantur alii ipsorum errores. Ac I^mo quidem, gratiam Dei secundum merita nostra dari, id est, ob actus solis naturæ viribus elicitos; ideoque gratiam, cujus ope homo se disponit ad justificationem, dari intuitu boni usus liberi arbitrii, adeo ut homo ideo eam accipiat, quia bono naturæ bene usus, ad eam meruit pervenire. Aliqui tamen ex Semipelagianis, quos inter Joannes Cassianus, docebant a Deo quandoque, non tamen ordinarie, gratiam donari etiam illis, qui libero arbitrio bene usi non fuere. II. Quod aliis populis Evangelium prædicaretur, non vero istis, causam esse præscientiam Dei; quod nempe Deus illos credituros esse, istos vero credituros non esse præviderit. III. Prædestinationem ad gratiam & fidem non esse gratuitam, sed a voluntate hominis pendere. IV. Parvulos aliquos baptismo expiatos ex hac vita decedere, alios vero festinantibus quamtumvis Ministris, mori antequam per baptismum renascantur; quia Deus prævidit illos, non autem hos libero arbitrio bene usuros fuisse, si ad annos discretionis pervenissent. V. Deum omnibus hominibus, ex solo vigore naturæ petentibus, desiderantibus, pulsantibus gratiam retribuere, qua adjuti perseverare possint, & si velint, actu perseverent in statu gratiæ: ipsam interim perseverantiam permittendo eorum libero arbitrio; ita ut nihil prædestinatis donetur, quod amittere vel retinere non possint propria voluntate. VI. Deum indifferenter omnes homines vocare ad gratiam baptismi, per legem sive naturalem, sive scriptam, sive Evangelicam; ut qui ex viribus naturæ credere voluerint, merito credulitatis ad hanc gratiam perveniant, ea vero demerito incredulitatis priventur, qui credere noluerint: Atque ita Deum bonitatem suam erga omnes homines ostendere, generaliter & indifferenter volendo omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire per media omnibus communia, & omnibus æque proposita, quibus qui recte uterentur per vires naturales, omnibus ab authore naturæ

turæ conceſsas, ſalutem desiderando, gratiam acciperent neceſsariam ad perseverantiam, & exercitium bonorum operum, ſicque gloriam, velut mercedem, consequerentur. VII. Chriſtum prò omnium ſalute æquali affectu mortuum fuiſse, eo ſensu, quod propter meritum paſsionis & mortis Chriſti omnibus hominibus æqualiter & indifferenter expositus ſit gratiarum thesaurus, ex quo qui vellet, merito naturalis fidei, desiderii, & orationis, hauriret quantum vellet; qui vero nollet, non hauriret; ita ut neque nolenti detur gratia, neque volenti denegetur. Unde ſequebatur, discretionem fidelis ab infideli, & justi ab impio, non a Deo, a Chriſto, vel a gratia; ſed a naturalis fidei, desiderii & orationis merito repetendam eſse. Janſenius equidem, ejusque pediſsequi, ut evincant in ſtatu naturæ lapsæ non dari amplius libertatem indifferentiæ, eoquod humana voluntas Gratiæ in hoc ſtatu resistere nequeat, ajunt, Semipelagianos interioris gratiæ prævenientis neceſsitatem admisiſse ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; ſed idcirco ab Ecclesia fuiſse damnatos, quod aſsererent eam gratiam talem eſse, cui poſsit humana voluntas resistere. At præterquam, quod Innocentius X. & Alexander VII. hanc ipsam propositionem ut falsam & hæreticam proscripserint, commodiore loco, nempe Num. 143. data opera, atque ex instituto ostendemus, Janſenistas, uti alias frequentiſsime, ita etiam id aſserendo ſplendide mentiri.

Semipelagianorum initia in Juliano.

44. Primus omnium, a quo prima ſata ſunt ſemina Semipelagianæ doctrinæ, Julianus Ecclanensis fuiſse perhibetur. Is enim post damnatam definitivo universalis Ecclesiæ judicio hæresin Pelagianam, retento errore de peccato originali, quod ad extremum usque ſpiritum pertinaciter negavit, partem alteram hæresis Pelagianæ, quæ ad neceſsitatem prævenientis gratiæ interioris ad ſingulos pietatis actus pertinet, mitigare aliquantulum, atque emollire est aggreſsus. Etenim Augustino teste Lib. II. contra duas Epistolas Pelagianorum, Cap. VIII, Julianus cum ſatellitibus ſuis

XVII. Pelagianis Episcopis, primam dumtaxat cupiditatem boni, primos ad virtutem conatus, orantis atque credentis voluntatem primam, a necessitate prævenientis gratiæ interioris, datis cæteris, subtrahebat. Secundum hæc naturalia merita exordientis pietatis dari a Deo instar mercedis gratiam confirmans, quæ deinceps cæteros perfectiores pietatis actus adjuvaret.

Et Vitale. 45. Vitalis quidam, non ex populi ordine, sed verisimilius Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, vir magna doctrinæ fama conspicuus, Augustini librum de Gratia & Libero Arbitrio, scriptum ineunte anno 427. ad Valentinum Abbatem, & Monachos Adrumetinos, legerat. Cum autem ex eo intellexisset, docere Augustinum necessitatem prævenientis gratiæ interioris etiam ad initium fidei, hanc Augustini doctrinam palam & publice Carthagine reprehendebat. Ratus itaque liberum hominis arbitrium cum Dei justitia alio modo conciliari non posse, docuit, initium fidei, ad quod etiam initium bonæ piæque voluntatis refertur, non a Dei munere expectari, sed a nobis peti debere: ut adeo fidei primordia nobis debeamus, licet cætera religiosæ vitæ bona ex fide jam petentibus, pulsantibus, quærentibus a Deo obveniant. Re ad Augustinum delata, celeberrimam S. Doctor dedit ad Vitalem Epistolam, quæ ad exeuntem annum 427. pertinere videtur, in qua multo copiosius atque robustius, quam in Libro de Gratia & Libero Arbitrio, argumentum illud pertractat, petitum ab inveteratis & publicis Ecclesiæ precibus ut infideles credant; & ab actione gratiarum, quia crediderunt: quo demonstrat initium fidei donum Dei esse, & ab ejus præveniente gratia profectum.

Caput factionis in Galliis Joannes Cassianus. 46. Infelicis Sectæ incrementa multo magis Massilienses promoverunt. Episcopi quidam & Presbyteri, non virtute minus quam doctrina insignes in Lugdunensi cumprimis & Arelatensi provincia, non assequentes satis sensum quorumdam S. Augustini scriptorum, in eum errorem prolapsi sunt, ut crederent, fidei initia non a Deo, sed a voluntate cujusque proficisci.

cisci. Hi Maſsiliensium nomen nacti ſunt, quod ejus ſectæ facile præcipui vel in hac urbe, vel ab ea haud procul commorarentur. Caput ſe factioni huic præbuit Joannes Cassianus, quem Gennadius e Scythia oriundum fuiſse ſcribit, alii vero Gallum atque e Provincia ortum volunt. Hic, monasticam vitam a prima juventute profeſsus cum eſset, lustratis Ægypti & Palæstinæ monasteriis, CPolim venerat, ubi inter Diaconos a B. Chrysostomo adlectus est. Romam deinde miſsus a Clero CPolitano ad tuendam Chrysostomi causam, qui ab Eudoxia in exilium pulsus fuerat, audita Beati viri morte, Gallias repetiit, & Maſsiliæ ad Sacerdotium evectus, gemina cœnobia, virorum alterum, alterum fœminarum ſtruxit, ad Ægyptiacorum monachorum institutum adeo exacta, ut virtutum ibi florentium fama commotus Castor Aptensium Episcopus Caſsianum rogaverit, ut Monachorum Ægypti institutum litteris consignaret. Annuit petitis Caſsianus, & Collationes Patrum ſcribere exorsus est, quarum priores decem, demortuo interea Castore, Leontio Episcopo & Helladio monacho inscripsit, quibus ſubin alias quatuordecim addidit, prioresque ſeptem dicavit Honorato Lerinensi tunc Abbati, posteriores vero diversis monachis, qui in Stoechadibus Insulis degebant. Collatio præcipue XIII, in qua primas partes Chæremon Abbas ſustinet, Semipelagianismum magis ſpirat, quam ut excusari poſset. Eam S. Prosper Aquitanus, in libro contra Collatorem, nempe Caſsianum Collationum Scriptorem, impugnavit, errorumque revicit, qui tamen non obstiterunt, quo minus festus Caſsiani dies, verisimiliter A. 432. demortui, ſingulis annis Maſsiliæ celebretur die XXIII. Julii ſub ritu duplici cum Octava. Neque mirum: nam Maſsiliensium error non ante Synodum Arausicanam II. in hæresin abiit.

In Semipelagianos insurgunt Prosper et Hilarius.

47. Maſsilienses itaque Presbyteri ut errores ſuos de initio fidei ex ſolis naturæ viribus, & de prædestinatione ad gratiam ex prævisis meritis naturalibus primæ fidei tuerentur, non ſolum ſtare pro ſe contende-

bant antiquos Patres; verum etiam ad authoritatem ipsiusmet Augustini provocabant, cui se consentaneos esse in antiquioribus ejusdem disputationibus gloriabantur, maxime vero in eo Augustini opusculo, quod inscribitur, *Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos*, ad propositionem LX. Eisdem temporibus Massiliensibus Prosper & Hilarius invictissime repugnabant. Prosper natione Aquitanus, acer ingenio, ordine laicus, sacris profanisque litteris in primis eruditus, disputandi vi atque copia, pietate, & tuendæ religionis studio conspicuus habebatur. Is Augustinum de facie, ut fatetur ipse, non noverat, sed officiosis dumtaxat litteris salutaverat, perlatore Leontio Diacono, a quo S. Doctoris litteras, cujus doctrinam & sanctitatem maxime admirabatur, acceperat. Hilarius & ipse laicus ordine, & natione fortasse Gallus, Augustini non modo familiaris, sed discipulus etiam alumnusque, in propugnanda contra Massilienses Semipelagianos Augustini doctrina sociam Prospero adjunxit operam. Uterque igitur communi consilio S. Augustinum per litteras de Massiliensium Semipelagianorum placitis certiorem fecerunt, ut plenam atque dilucidam propositis a se quæstionibus responsionem a S. Doctore impetrarent.

Atque ipse S. Augustinus gemino edito libro.

48. Acceptis a Prospero & Hilario litteris, in quibus universa Semipelagiana doctrina continebatur, S. Augustinus, anno fortasse 429. exeunte, respondit utrique, duplici libro de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ. In primo libro contra Massilienses Semipelagianos demonstrat Augustinus primam fidem; in secundo autem contra eosdem, ultimam in fide perseverantiam Dei dona esse, quæ ex necessaria præveniente gratia supernæ illustrationis, quæ ad mentem pertinet, & inspirationis, quæ pertinet ad voluntatem, proficiscuntur. Hi enim duo quasi cardines erant, in quibus omnis vertebatur Semipelagiana controversia. Quoniam vero gratuita fides, & gratuita perseverantia ita colligata & complicata sunt cum utriusque doni præscientia, & prædestinatione Dei, ut

mutuo

mutuo separari omnino nequeant; hinc S. Doctor duplici eo libro pariter demonstrat gratuitam electorum prædestinationem tum ad fidei, tum ad perseverantiæ gratiam. Ne vero Massilienses ad authoritatem ipsius Augustini amplius provocarent, Libro de Prædestinatione Sanctorum, Cap. III. sincere aperteque fatetur, se olim cum adhuc esset Presbyter, in eodem fuisse errore, in quo versabantunr tunc Massilienses illi Presbyteri, quod ex eo maxime opusculo, nempe Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos perspicuum erat. At Semipelagianum errorem initio Episcopatus sui deposuisse se S. Doctor testatur, illapsa sibi divinitus luce, cum auream illam quæstionem IIdam Libri I. ad Simplicianum pertractaret: atque idcirco ad eam sedulo ac diligenter perlegendam Massilienses illos Presbyteros adhortatur, quod in ea omnis eorum de gratia & prædestinatione error funditus evertitur.

Sed eorum pertinaciam non frægit.

49. At vero Massiliensium audaciam postremi hi S. Augustini libri ad Prosperum & Hilarium scripti adeo non compresserunt, ut potius in Sanctum Doctorem acrius insurgerent, ausi criminari, Augustinum disputandi ardore longius quam oporteret provectum, ac libero arbitrio iniuriorem esse. Demortuo paulo post, Anno nempe 430. Hæresum domitore Augustino, doctrinam illius de necessitate Gratiæ interioris prævenientis tum primam fidem, tum ultimam perseverantiam, & de mere gratuita ad eamdem gratiam prædestinatione reprehendebant; perinde ac si Sanctus Doctor sub necessitate prævenientis gratiæ fatalem quamdam cum Paganis necessitatem eversivam liberi arbitrii, & sub gratuita electorum prædestinatione duas cum Manichæis naturas adversas propugnaret. Hinc quidam Semipelagiani Galli Augustinianæ doctrinæ vituperatores A. 430. exeunte, vel 431. ineunte, quindecim sententias erroneas evulgaverunt, tamquam excerptæ fuissent ex Augustini libris, quas *Objectiones* appellarunt: quæ omnes nihil aliud nisi Prædestinatianas blasphemias continebant. S. Prosper S. Augustini Magistri sui

ſui doctrinam acerrime propugnavit variis editis libellis, qui titulum hunc præſeferunt: *Responsiones ad Capitula Objectionum Gallorum calumniantium. Responsiones ad excerpta Genuensium. Responsiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum.*

Obtrectatoribus Auguſtini S. Cœleſtinus ſilentium indicit.

50. Verum cum ne ſic quidem Semipelagiani Galli a reprehendenda Augustini doctrina ceſsarent, Prosper & Hilarius ſumma ſecum familiaritate conjuncti, & Augustinianæ doctrinæ ſtudioſiſsimi, Romam ſe contulerunt ad Cœlestinum Papam, exeunte anno 431. vel initio ſequentis. Summa accusationis fuit, eſse in Galliis non paucos presbyteros, qui Augustini doctrinam reprehenderent, novamque ab antiquiorum Patrum doctrina discrepantem prædicare auderent. Gallicanos autem Episcopos ab officio muneris ſui deficere, quod monachos & presbyteros intra fines proprii cujuſque gradus non continerent; ſed ſimulatione noxia paterentur eos in Ecclesia docere, quod ad Episcopos ſolos, verosque in Ecclesia magistros doctoresque pertinet. Hanc autem Episcoporum ſimulationem, non leviter ſuspectam eorum ſententiam exhibere. His auditis dedit Cœlestinus epistolam ad omnes Episcopos Gallicanos, brevem quidem, quod majores Nestorianæ discordiæ occupatum eum detinerent, ſed maxime gravem, qua ſevere in illos invehitur, quorum desidia fieret, ut pauculi presbyteri Antiſtiti de re Catholica immortaliter merito impune insultarent, memorandis illis verbis ſubjectis: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis in noſtra communione, ſemper habuimus, nec umquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adspersit: quem taniæ ſcientiæ olim fuiſse meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam ante a meis deceſsoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenserunt; utpote qui utique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde reſiſtatur talibus, quos male crescere videmus.* Decretali huic ſubjiciuntur articuli decem, qui hunc titulum præferunt: *Præteritorum Sedis Apoſtolicæ Episcoporum Auctoritates de Gratia Dei, & libero voluntatis arbi-*

arbitrio. Communior & probabilior hac nostra ætate ſententia est, non Cœlestinum ipsum, ut antea creditum est a Sæculo VI. usque ad initium Sæculi XVI, ſed Prosperum collectorem editoremque fuiſse memoratarum auctoritatum, quas quidem dum Romæ versaretur, a Cœlestino ipso, cujus Legatus erat, acceperit, easque ſedente ac probante Sixto III, Cœlestini Succeſsore, anno 432. Cœlestini epistolæ adjunxerit: eaque de causa jure Cœlestino ipsi poſsunt adtribui.

Causam tamen Semipelagianorum non finivit.

51. Acceptam a Cœlestino epistolam Prosper & Hilarius ab Urbe in Gallias attulerunt anno 432, Cœlestino jam ad Superos translato. Hæc cum per Gallicanas Ecclesias evulgata percrebuiſset, Semipelagiani Presbyteri, ut ejus vim non modo debilitarent, ſed etiam frangerent, de communi consilio ac ſententia constituerunt ſpargere in vulgus, Cœlestinum, quoniam nullius Augustiniani operis expreſsam mentionem fecerat, laudaſse quidem Augustini doctrinam in prioribus ejus libris contentam, non autem doctrinam illam, quæ in posterioribus ejusdem libris continebatur, maximé vero in duobus illis de Prædestinatione, & Dono Perseverantiæ. Atque hæc Maſsiliensium interpretatio maligna quidem fuit, ac falsa, nondum tamen hæretica: neque enim post Cœlestini epistolam Semipelagiana causa finita erat, cum nihil in ea declaratum fuerit contra Semipelagianum errorem, ſed indictum dumtaxat ſilentium reprehensoribus Augustinianæ doctrinæ, eaque generatim laudata. Quod ſignificat Prosper Lib. contra Collatorem, Cap. XXI, ubi ſperare ſe affirmat, Sixtum Cœlestini Sucoeſsorem extremam causæ manum adhibiturum contra Maſsiliensium Presbyterorum placita, qui a neceſsitate prævenientis gratiæ interioris excipiebant tum primam fidem, tum ultimam perseverantiam. Idem S. Prosper in Lib. contra Collatorem, Cap. XXII. ait, Gallos illos Presbyteros Semipelagianos non eſse hæreticos, nec ab universalis Ecclesiæ corpore amputatos, donec ab Ecclesia docente in Episcopis, controversia illa judicio ultimo componatur. *Quorum tamen*, inquit, *dum adhuc*

non

non ſunt a fraterna ſocietate divisi, toleranda magis eſt intentio, quam desperanda correctio; donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum ſuorum miniſtros, hæc quæ per paucorum ſuperbiam, & quorumdam imperitiam ſunt turbata, componat.

Præſtitit ad Arauſicana II. Synodus.

52. Tandem Sæculo VI. in Arausicana II. Synodo anno 529. Semipelagiani protriti ſunt. S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, antea Monachus Lerinensis ſub Abbate Porchario, vir Augustinianæ doctrinæ ſtudioſiſsimus, cum videret Semipelagianam factionem per Gallias radices agere, & propagari, eique resistendo imparem ſe judicaret, Felicis IV. auxilium per litteras imploravit. Itaque Felix ex tabulario Romanæ Ecclesiæ ſententias XXV. conficiendis Pelagianis reliquiis aptiſsimas Cæsario transmisit. Eisdem temporibus Liberius vir Patricius, & Præfectus Prætorio Galliarum, in Arausicana civitate Arelatensis Provinciæ Basilicam ædificaverat. Eo convenerant ad dedicationem Basilicæ ſplendidiori apparatu celebrandam XIV. cum Cæsario Arelatensi finitimi Episcopi; item Liberius ipse, cui ſe comites dederunt ſeptem Illustres viri. Hanc nactus opportunitatem Cæsarius, coacto illorum omnium conventu, XXV. ſententias a Felice IV. acceptas coram omnibus recitavit, atque omnibus cognoscendas, ſubscribendasque tamquam totidem regulas fidei proposuit, quibus Arausicani Patres consensum præbuere, additis etiam duobus canonibus contra erumpentes clanculum novos quosdam Prædestinatianos, qui in contrario a Semipelagiano versabantur errore.

Editis adversus Semipelagianos capitulis.

53. Juvat Arausicanos Canones exhibere, quibus Semipelagianorum jugulum petitur. Posteaquam Concilii Patres præfati ſunt: *Pervenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus caute, & non ſecundum fidei Catholicæ regulam, ſentire velint. Unde id nobis ſecundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, juſtum ac rationabile visum, ut pauca capitula ab Apoſtolica nobis Sede transmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de San-*

Sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus: quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum suum inclinare non differat. Capit. III. inquiunt: *Siquis ad invocationem humanam Gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti, Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant.*

Capit. IV. *Siquis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas a Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

Capit. V. *Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, Beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri* JESU *Christi. Et illud: Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini; Et, Gratia salvi estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem; omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.*

Capit. VI. *Siquis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infu-*

infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium; nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum id, quod sum.

Capit. VII. *Siquis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere; sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere: Et illud Apostoli: Non quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Eadem doctrina repetitur in sequentibus Capitulis.

Quæ rata habuit Synodus Valentina.

54. Cum Arausicani Canones opera Cæsarii Arelatensis per Gallicanas Ecclesias percrebuissent, Episcoporum per Gallias plerique consensione summa eos amplexi sunt; quibusdam tamen, qui Semipelagianismo laborabant, ea Decreta minime probabantur. Criminandi materiam minor Episcoporum qui Arausicæ aderant numerus, ipsumque Dedicationis tempus, tantæ rei non satis ut credebant opportunum, præbebant. Cæsarius proin pervigil in omnia Catholicæ fidei commoda, Valentiæ ad Rhodanum anno 530. Synodum coegit, quam Viennensis Provinciæ, Arelatensi Metropolitano tunc subjectæ, Episcopi frequentes adierunt. Cæsarium adversa valetudo, quo minus ad conditum diem adesset, prohibuit: id solum e Vita S. Cæsarii novimus, S. Cyprianum Telonensem, seu Telonis Martii Episcopum e sacris litteris ibi comprobasse, nihil, cui æternæ vitæ præmium aliquando respondeat, suscipi posse, ad quod præveniens Numinis gratia nos non impulerit: ut adeo, quamtumvis Acta Valentinæ Synodi desiderentur, ambigi haud possit, quin de gratiæ mysterio hic perinde ac Arausici sit actum.

55.

55. Peracta Synodo Valentina, Cæsarius Synodica epistola, quæ amplius non extat, de actis utriusque Concilii Arausicani & Valentini Felicem IV. certiorem facere voluit, ab eoque postulavit, ut Canones in Arausicana Synodo promulgatos, in Valentina autem illustratos & propugnatos, Apostolicæ Sedis authoritate confirmaret. Quod ut facilius expeditiusque a Felice impetraret, totum negotium Bonifacio Romanæ Ecclesiæ Presbytero, diuturna secum amicitia conjuncto, demandavit. Armenius Abbas & Presbyter epistolæ perlator fuit, qui ubi Romam pervenit A. 530. in Felicis Sede paulo ante demortui Bonifacium II. invenit. Itaque juxta inveteratam, constantem, & laudabilem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, coacto de more Presbyterio, lectæ sunt Cæsarii litteræ ad Apostolicam Sedem, quibus diligenter discussis, & ad normam Sacrorum Canonum revocatis, quam primum licuit pro rei gravitate, die XXV. Januarii A. 531. a Bonifacio II. Synodica ad Cæsarium epistola responsum est, qua Arausicana Decreta authoritate Apostolica confirmantur. *Acta utriusque Synodi, a S. Cæsario Romam missa.*

56. Bonifacii epistola ut in Gallias perlata est, lis omnis illico conquievit; Episcopi enim & Presbyteri Semipelagiani, qui adhuc supererant, opera Sancti Cæsarii Arausicanos Canones receperunt. Ex quibus perspicue apparet, Semipelagianos numquam fuisse hæreticos, cum acquieverint omnes Bonifacii II. Epistolæ; & ne unus quidem nominetur, qui ausus deinceps sit eidem pertinaciter repugnare. Itaque Semipelagianum bellum, quod uno & eo amplius sæculo exarsit, anno 531. sedente Bonifacio II, ab Augustini obitu sæculo jam elapso, studio potissimum atque opera S. Cæsarii, tandem aliquando penitus extinctum est. Oecumenica Tridentina Synodus post dena facile sæcula, Sess. VI. de Justificatione, Arausicanos Canones innovavit. Vide quæ de Semipelagianis disserunt Viri clarissimi, Laurentius Alticotius in præfatione de Semipelagianis rebus & hominibus, præfixa Parti V. Summæ Augustinianæ. Scipio Maffeius Hist. Theol. Lib. VIII. Natalis Alexander in Hist. Eccles. Sæculi V. *Rata habuit Bonifacius II.*

V. Cap. III. Artic. VII. Joannes Cabassutius in Notitia Eccles. Josephus Pohl in Manuductione ad Hist. Eccles. Tomo II. & III.

Faustus Rejensis vindicatur.

57. Præter Jansenium & Vossium, eorumque gregales, plures etiam Scriptores Catholici cum Antelmio, Pagio, Maurinis S. Augustini Editoribus, Christiano Lupo, Henrico Card. Norisio, ac Natale Alexandro, Sæculo V. Semipelagiana fuligine infectos fuisse volunt S. Hilarium Arelatensem, S. Vincentium Lerinensem, aurei adversus hæreses Commonitorii Scriptorem, ac Gennadium Massiliensem Presbyterum. Verum ab impacta Semipelagianismi nota egregie eos vindicarunt Laurentus Alticotius loco cit. & Scipio Maffejus Hist. Theol. Lib. XVI. Nullus tamen majori invidia premitur, ac Faustus Rejensis Episcopus, quem plerique, licet Sanctitatem ejus in dubium non vocent, Semipelagianis addictum, immo ut triarium & Imperatorem factionis depingunt, his potissimum rationibus ducti. I^mo. Quia a Gelasio Pontifice ipsius Opuscula rejecta fuere inter apocrypha, paulo post mortem Fausti, circa annum 494. II^do. Quia S. Fulgentius, S. Cæsarius, S. Alcimus Avitus calamum strinxere adversus Faustum: quia S. Isidorus Hispalensis Lib. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Faustum Pelagianæ pravitati consensisse ait; Africani vero Episcopi in Sardinia exules, & Arausicana II. Synodus ejusdem libros & doctrinam damnarunt. III. Quia ipse Faustus Lib. II. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. VI. Semipelagianismum aperte prodit, scribens: *Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?* Ubi nulla fit prorsus mentio gratiæ interioris prævenientis. At vero non defuerunt, neque adhuc desunt viri doctissimi, exactique judicii, qui Faustum ab omni Pelagiana aut Semipelagiana tabe immunem fuisse asserunt, quos inter numerandi sunt Joannes Driedo, & Ruardus Tapperus Doctores Lovanienses, eruditissimus Jacobus Sirmondus in Hist. Prædestinatiana, Cap. VIII, &

nuper-

nuperrime Joannes Stiltingus Bollandi Continuator in Actis Sanctorum, Tomo VII. ad diem XXVIII. Septembris, qui maximo profundæ eruditionis apparatu Faustum tuetur adversus Baronii, Suarii, Norisii, ac Tillemontii exceptiones.

58. Ad I. itaque respondet Stiltingus, quæ de Fausto in Decreto Gelasiano habentur, longe probabilius posterioribus temporibus fuisse addita, prout alia quædam adjecta fuisse creduntur, nominatim de Historia Eusebii Cæsariensis, ac de scriptis S. Cypriani. Eusebii enim historia in eo ipso Decreto primum recensetur inter libros usquequaque non renuendos, & Cypriani opuscula primum generatim approbantur: postea æque generatim declarantur apocrypha. Ratio id de Fausti libris asserendi gravis omnino ac solida est. S. Hormisdas Papa A. 520, adeoque XXVI. annis post Decretum Gelasianum, Possessori Episcopo, qui tumultus a Monachis Scythiæ CPoli excitatos ob doctrinam Fausti nuntiaverat, rescripsit: libros Pausti, utpote privati Scriptoris, non esse pro fidei aut morum regula habendos, sed unice sacras litteras, & Patrum Decreta Synodalia eam habere authoritatem, ut ab iis recedere sit nefas. Atque id ipsum Monachis illis, ante acceptas Hormisdæ litteras, CPoli responderat Possessor Episcopus, ut ex ipsius ad Hormisdam epistola manifeste ostenditur. Jam vero si Gelasiano Decreto libri Fausti declarati fuissent apocryphi, id nec Possessorem, ac multo minus Hormisdam latere potuisset, debuissentque claris verbis damnationem illorum librorum, primum ante annos XXVI. factam manifestare, ut ignorantes docerent, & dissidentes componerent. Quare omnium primus, qui in Fausti libros insurrexit, non Gelasius Pontifex, sed temporibus Hormisdæ fuit Joannes Maxentius, turbulenti ingenii, & projectæ audaciæ Monachus Scytha.

59. Ad II. Respondet Stiltingus. Quamvis S. Fulgentius libros VII. adversus Faustum conscripserit, qui modo injuria temporum deperditi sunt, non idcirco tamen evincitur, Faustum fuisse Semipelagianum.

Certe

Certe in libris ſuis contra Semipelagianos ſcriptis de Fausto nuspiam meminit Fulgentius, ne in illo quidem libro, quo respondebat Petro, qui Faustum anathematizabat. Neque plus probant verba Africanorum Præsulum in Sardinia commorantium in Epistola ad Joannem, Venerium, ſociosque Monachos, in qua attribuunt Fausti libris *commenta veritati contraria, & Catholicæ fidei penitus inimica.* Nullum illi verbum faciunt de damnatione librorum Fausti, nullum de hæresi Pelagiana aut Semipelagiana libris illis inspersa. Potuerunt illi in Fausti libris invenire quæ minus probarent, quamvis hæretica non eſsent: poterant ipsis aliquæ Fausti ſententiæ circa quæstiones incidentes, & ab Ecclesia nondum decisas, etiamsi nec Gratiæ Dei, nec prædestinationis veritati quidquam derogarent, videri commenta veritati contraria, & Catholicæ fidei penitus inimica. Nam talia videntur omnia, quæ in quæstionibus Theologicis creduntur falsa; neque enim oppugnarentur ſerio, si veritati & fidei viderentur conformia. Potuit Faustus, ut Prædestinatianos refutaret, aliqua ſtabilire dogmata, nec Pelagiana illa quidem nec Semipelagiana; quæ tamen falsa, & ſacris litteris ac Patribus contraria credebant cum Fulgentio Africani: potuit aliqua Scripturarum loca aliter interpretari, quam a Patribus exponerentur, aut ſubinde incautius aliqua proferre, quæ benigna indigerent interpretatione, ex clarioribus ejusdem aſsertis petenda. At quotusquisque est ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, qui nihil umquam ſcripserit, quod benigna interpretatione ad ſanum ſensum perduci debeat? Itaque non deerat in libris Fausti, quod S. Fulgentius carperet, etiamsi nec Semipelagianam, nec aliam doctrinam aperte damnatam in illis deprehenderit. Prudentes enim Theologi ſtudent etiam refutare omnia illa, quæ hæreticis dogmatibus vicina ſunt, quæ viam ad hæresin ſternunt, & quæ Catholicæ fidei minus consona judicant.

60. Cæsarium Arelatensem quod attinet, ſcripsit is quidem, teste continuatore Gennadii, librum de Gratia

tia & Libero arbitrio, erroresque Semipelagianorum refutavit: at vero contra Faustum Rejensem librum illum fuisse exaratum, ut passim recentiores Scriptores cum Norisio asserunt, nullo antiquo & idoneo teste comprobari potest. Immo ipse S. Cæsarius in scripto, quod subjunxit epistolæ Joannis II. Papæ, anno 533, adeoque elapso jam quinquennio a celebrata Arausicana II. Synodo, in qua damnati fuerunt Semipelagiani, Fausti, tamquam Sancti Episcopi, authoritatem adducit his verbis: *De quibus & Faustus Episcopus Sanctus in epistola sua dixit: perdit gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti.* S. Isidorus Hispalensis, verisimiliter ex aliorum tantum narratione illa scripsit, nec Fausti libros umquam vidit, utpote quem Catalogo suo illustrium Scriptorum non inseruit. Præterea in Isidori codice manuscripto Antuerpiensi, quo Bollandiani utuntur, post verba illa, *In quibus respondens Fausto Rejensis urbis Episcopo*, desideratur illud, in quo maximam vim ponunt adxersarii, *Pelagianæ pravitati consentienti.* S. Avitus Viennensis in Galliis Episcopus ab Adone in Chronico ad annum 492. numeratur inter eos, qui libros Fausti refutarunt. Verum cum nulla extent, aut umquam innotuerint S. Aviti scripta contra libros Fausti, censendus est loqui Ado de epistola S. Aviti ad Gundobadum Regem Burgundionum, in qua respondet ad Regis quæstionem ex epistola Fausti ad Benedictum Paulinum propositam, nesciens ipse contra quem scriberet: atque ita respondet, ut verba S. Aviti magis indigeant benigna interpretatione, quam verba Fausti. Denique damnatio librorum Fausti, ab Arausicana II. Synodo facta, ab adversariis magnificentius jactatur quam verius; siquidem in ea Synodo nullum de Fausto occurrit verbum, nulla de libris ejus fit mentio, nullus invenitur Canon, in quo sententia aliqua a Fausto adoptata, proscripta fuerit.

61. Ad III. Idem Vir doctissimus respondet. Faustus verbis illis id unum docere voluit, hominem non attrahi violenter, ac tali necessitate cui nequeat resi-

resistere: atque ad id probandum, exponere aggreditur, quibus plerumque modis externis homines ad fidem pertrahere Deus soleat; at minime negat moveri simul illos per gratiam internam: immo eam haud obscure indicat verbis locum illum in objectione laudatum mox sequentibus: *Audi Dominum, non duris nexibus, sed mollibus attrahentem, & dilectionis brachiis invitantem, sicut ait Propheta: Attraxi eos in vinculis charitatis. Et illud: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Et ideo dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, ne ullus excusare se possit exclusus, qui convincitur invitatus. Licet enim non omnes obedientiam exhibituros esse prænosceret, omnibus tamen & velle & posse donaverat.* At quomodo dicere potuit Faustus, omnibus & velle & posse donatum esse, nisi agnovisset vocationem & attractionem per interiorem gratiam? cum certum sit, externam illam attractionem, seu prædicationem Evangelii non fuisse omnibus datam. Multa alia citari possent loca ex libris Fausti, quæ eum Catholice omnino de gratia sensisse ostendunt. Lib. I. de Gratia & Lib. arbitrio, Cap. XI. scribit: *Qui vel initium operis sibi præsumit arrogare, vel finem, ad illum merito dicitur: Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* Et Cap. XV. *Adverte, quia hoc ipsum ad baptismum venire, & desiderare salutem, jam fidei est.* Lib. II. Cap. II. *De suo est, quod dat gratiam; de tuo est, quod prænoscit offensam.* Cap. V. *Quod credunt, gratiæ largitas est; quod professionem creditis non accommodant, mentis improbitas est.* Cap. VIII. *Nihil hic, ut opinor, redolet* (præsumptionis) *cum & hoc ipsum incessabiliter asseram, quod Deo ipsam debeam voluntatem; præsertim cum in omnibus ejus motibus ad opus gratiæ referam vel inchoationis initia, vel consummationis extrema.* Et infra: *De Dei bonitate est, quod vocatur; de propria voluntate, quod promptus obsequitur.* Quare vera scripsisse videtur de Fausto Rejensi Episcopo Gennadius Presbyter Massiliensis in libro de Viris illustribus, seu de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. LXXXV.

LXXXV. *Edidit quoque opus egregium de Gratia Dei, qua ſalvamur, & libero humanæ mentis arbitrio. In quo opere docet, Gratiam Dei ſemper & invitare, & præcedere, & adjuvare voluntatem noſtram, & quidquid ipſa libertas arbitrii labore piæ mercedis acquisierit, non eſse proprium meritum, ſed gratiæ donum.*

DISSERTATIO IV.

DE PRAEDESTINATIANIS.

62. Prædestinatianam Sectam non a Jansenio primum aut Calvino institutam, ſed jam diu ab aliis præformatam fuiſse manifeste constat. Sirmondus quidem in ſua Historia Prædestinatiana erroris hujus originem, vivente adhuc Augustino, Adrumetinis Monachis adscribit, quibus Valentinus Abbas præerat, aliisque per Gallias, contra quos Augustinus, a Prospero & Hilario rogatus, geminum conscripsit librum, unum de Prædestinatione Sanctorum, de Dono Perseverantiæ alterum. Scribit etiam Prosperum & Hilarium, Augustino jam ad Superos translato, dum huic errori in Galliis præſocando ſe impares intelligerent, Romam confugiſse ad Cœlestinum, a quo graviſsimum contra Prædestinatianos Rescriptum ad Episcopos Galliæ datum impetrarint. *S. Augustino vivente nonnulli exorti erant Prædeſtinatiani.*

63. Probat hæc Sirmondus Imo ex epistola S. Augustini CCXIV. alias XLVI. ad Valentinum. *Venerunt ad nos duo juvenes, Cresconius & Felix, de veſtra Congregatione ſe eſse dicentes, qui nobis retulerunt, monaſterium veſtrum nonnulla diſsensione turbatum, eo quod quidam in vobis gratiam ſic prædicent, ut negent hominis eſse liberum arbitrium: et, quod eſt gravius, dicant, quod in die judicii non ſit redditurus Deus unicuique ſecundum opera ſua.* II. Ex Chronico S. Prosperi, quod Pythæus emendatius edidit. *Prædeſtinatianorum hæresis, quæ ab Auguſtini libris male intellectis accepiſse dicitur initium, his temporibus ſerpere exorsa eſt.* III. Ex Appendice libri S. Augustini de Hæresibus, quæ Gennadio

Maſsiliensi tribuitur: *Prædeſtinatiani ſunt, qui dicunt,.. quod Deus personas hominum accipiat, & quod alios etiam invitos poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem, alios poſt bona rejiciat, & compellat in malum, quo pereant in æternum.* IV. Ex Hincmaro Rhemensi, qui in Epist. ad Nicolaum Pontificem ſcribit: *Ex veteri hæresi Prædeſtinatiana, quæ primum in Africa, & poſtea in Gallia per idem tempus, quando & Neſtoriana hæresis eſt exorta, & tempore Cœleſtini Papæ, ipsius authoritate & inſtinctu eſt revincta.* V. Ex authore libri, qui *Prædeſtinatus* dicitur. Is, post relatam hæresin Nestorianam, in ultimo paragrapho Libri I. inter hæreticos illius temporis recenset Prædestinatianos, hoc est, illos qui affirmabant, *etiamsi voluerit bonum facere qui ad malum prædeſtinatus eſt, ad bonum illum pervenire non poſse. Nam qui ad bonum prædeſtinatus eſt, etiamsi negligat, ad bonum perducetur invitus.*

Nec Adrumeti, nec in Galliis temporibus Prosperi & Auguſtini dabantur Prædeſtinatiani.

64. Verum hæc rationum momenta non adeo gravia ſunt, ut ante Lucidum Presbyterum Prædestinatianos extitiſse evincant. Illud facile damus, ex lectione epistolæ S. Augustini ad Sixtum, Adrumetinos monachos in Provincia Byzacena perturbatos fuiſse, indeque inter fratres coortam eſse diſsensionem, dicentibus non nullis, gratiam ſolam ad ſalutem absque humana libertate conferre; aliis vero bonam voluntatem humanæ libertati, ſine qua nemo bonum aut malum operatur, adscribentibus. At vero quam primum Augustinus librum de Gratia & Libero arbitrio ad Valentinum, ejusque monachos misit, eo perlecto Fratres omnes Augustini doctrinæ acquieverunt, ut ipse testatur Valentinus in epistola gratulatoria ad Augustinum: ideoque nullius hæresis insimulari poſsunt Adrumetini, quia non ex pertinacia adversus Ecclesiam, ſed ex inculpabili abstrusæ ac difficillimæ quæstionis ignoratione, brevi tempore aberrarunt a veri cognitione: neque hac de causa quisquam veterum monachos istos dixit Prædestinatianos; præcipue cum id, quod objiciebant Florus, aliique monachi Adrumetini contra

doctri-

doctrinam Augustini pro necessitate gratiæ, nempe fatalem inde necessitatem induci quæ liberum arbitrium perimat, non fuerit propria ipsorum doctrina ac sententia; sed difficultas quædam, quam ipsi ex male intellecta Augustini doctrina necessaria quidem consecutione fluere existimabant, neque tamen eam solvere aut mitigare noverant. Neque negotii quidquam Prospero & Hilario in Galliis facessiverunt Prædestinatiani, sed Massilienses Semipelagiani: qui cum perperam existimarent, Augustini de Gratia doctrinam stare nequaquam posse cum arbitrii libertate, sed invehi fatalem quamdam sive ad bonum sive ad malum necessitatem, idcirco Catholicis affingebant falsissima dogmata, quasi ex Augustini sententiis consectanea, eosque velut hæreticos, & humanæ libertatis profligatores sub nomine Prædestinatianorum impudentissime insectabantur. His Augustini obtrectatoribus ut ora obstruerent, Hilarius & Prosper Romam se contulerunt, & à Cœlestino celebre illud ad Galliæ Episcopos Rescriptum impetrarunt, non adversus Prædestinatianos, sed Semipelagianos, ut facile patet expendenti verba laudati Rescripti: *Necessarium igitur fuit, diligenter inquirere, quid Rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentissimos liberi arbitrii defensores* (Pelagianos utique ac Semipelagianos, non Prædestinatianos.) *quid de gratia Dei sentiendum esse censuerint, ita ut etiam Africanorum Conciliorum quasdam sententias jungeremus, quas utique suas fecerunt Apostolici Antistites, cum probarunt.*

65. Ad 1mam itaque probationem ex Augustini epistola petitam superius respondimus. Ad II. R. Chronicon illud esse opus suppositium, sub nomine Prosperi Aquitani a Semipelagianis evulgatum, aut saltem interpolatum; nam Augustinum hæresis Prædestinatianæ facit authorem. Quam calumniam tunc temporis a Semipelagianis tanto Doctori factam esse, dubitare non sinunt genuina Prosperi scripta. Porro correctio Pythæana facta est contra fidem Manuscriptorum, ut fa-

tetur Sirmondus, quæ ita habent: *Prædeſtinatianorum hæresis, quæ ab Auguſtino accepiſse dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa eſt.* Quis autem ſanæ mentis hæc Prosperum de Magistro ſuo Augustino, cujus ſtudiosiſsimus erat, ſcripsiſse credat? Ad III. R. Cum Gennadius vitam protraxerit ad finem usque Sæculi V, posteaquam jam a pluribus annis doctrina Lucidi Presbyteri ab Ecclesia damnata fuit, ex iis verbis non evincitur, Prædestinatianos ante Lucidum extitiſse. Ad IV. R. Hincmarum lapsum eſse, ut patet ex laudato Cœlestini Rescripto, quod ſuperius exhibuimus, atque etiam ex eo, quod Hincmarus Lib. de Prædestinatione, Cap. XV. Semipelagianos cum Prædestinatianis confundat. Ad V. R. Incertam eſse ætatem, authoremque *Prædeſtinati.* Lucas Holstenius, Nicolaus Rigaltius, Joannes Mabillonius Opus *Prædeſtinati* tribuunt S. Primasio Afro, Episcopo Adrumetino in Byzacena Provincia, Augustinianæ doctrinæ ſtudiosiſsimo, qui floruit circa annum 550. Jacobus Sirmondus, Petavius, Harduinus, aliique ſuspicantur, Arnobium gente Gallum, qui vixit circa annum 461. ſcriptorem eſse *Prædeſtinati*, eo maxime ex capite, quod ſimiles prorsus ſententias, iisdemque ferme conceptas verbis habeant tum Author *Prædeſtinati*, tum Arnobius junior. Maffejus denique Hist. Theol. Lib. XVI. putat authorem *Prædeſtinati* non Arnobium ipsum juniorem, ſed Arnobii aliquem fuiſse discipulum. Quæ si vera ſunt, mirum non est, authorem libri illius Prædestinatianorum mentionem feciſse, cum ſaltem temporibus Lucidi Presbyteri vixerit.

Author Prædeſtinati non fuit Semipelagianus.

66. Respondent alii, authorem *Prædeſtinati* Semipelagianum hominem fuiſse; ideoque calumniam adoptaſse fratrum ſuorum Maſsiliensium, qui Augustinianæ doctrinæ vindices tamquam Prædestinatianos traducebant. Verum accusationem hanc nulla legitima ratione ſuffultam eſse arbitror; Author enim *Prædeſtinati* in præfatione ad librum II. universam Augustini doctrinam, ſine ulla prorsus exceptione tamquam orthodoxam, & ab omni labe Prædestinatiana puram commen-

mendat. *Quis enim nesciat*, inquit, *Augustinum Orthodoxum semper fuisse Doctorem, & tam scribendo quam disputando omnibus hæreticis obviâsse?* Semipelagiani autem Augustini doctrinam, eamque maxime, quæ in posterioribus ejus libris continetur, qua funditus Semipelagianus error evertitur, admodum oderant, ac vituperabant, ut ex Prosperi & Hilarii litteris ad Augustinum est manifestum. Præterea idem Author Lib. III. scribit: *Instaurata nobis libertate per Christum, universa nostra jura sunt reddita, non natura dominante, ut Cœlestius & Pelagius definivit, sed Christi gratia condonante: Non suis viribus imputando, sed de Dei adminiculis præsumendo: Non sibi aliquid usurpando, sed totum Dei gratiæ imputando: Totum, inquam, Totum, dixi: Totum, repeto: Totum, sed bonum. Malum autem ex nostro vitio, ex nostra negligentia, ex nostra incurrimus voluntate.* At quomodo totum bonum gratiæ Dei imputasset, siquidem author hic in Semipelagianorum castris militasset, qui operis boni initium & finem divinæ gratiæ imputandum esse negabant? Quod si formulæ quædam in hoc Scriptore inveniuntur, quæ Pelagianis vel Semipelagianis aliquo modo favere videantur, propter testimonia supra commemorata, interpreti non inhumano & acerbo datur dicendi locus, authorem hunc non satis feliciter ubique & semper mentem suam explicasse.

Sæculo V. natos fuisse Prædestinatianos ostenditur ex Epistola Fausti, & libello emendationis Lucidi.

67. Verum quamvis haud gravate demus, primis ab Augustini obitu annis, multoque magis eodem adhuc vivente, nullos extitisse Prædestinatianos, indubitatum tamen nobis videtur, non multo post, eodem Sæculo V. circa annum 473. errorem hunc propugnatum, atque ad complures infelici contagione propagatum fuisse a Lucido Presbytero Gallo. Probatur assertio Imo ex epistola Fausti Rejensis Episcopi ad Lucidum, & ex libello emendationis, quem Lucidus Episcopis Gallicanis obtulit. Cum Galliarum Episcopi meditarentur graviora contra Lucidum, Faustus per epistolam graviter eum monuit, ut saniora saperet; eidemque proposuit fidei articulos quos profiteri debebat,

bat, ut cum Ecclesia Catholica sentiret. *Hujus autem epistolæ exemplar*, inquit Faustus, *mecum retineo, in conventu Sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quod si eam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, aperte adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam. Et ideo secundum hæc, quæ a me sunt directa, rescribe, utrum ea, remotis circuitionibus, aut agnoscas, aut respuas.* Lucidus, accepta hac Fausti epistola, errores suos revocavit, misso ad XXX. Episcopos Gallicanos emendationis suæ libello, quem ita orditur: *Dominis beatissimis, & in Christo reverendissimis Patribus, Leontio, Euphrenio, Fontejo, Viventio, Mamerto &c. Episcopis Lucidus Presbyter. Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione me diluam. Proinde juxta prædicendi statuta Concilii* (Arelatensis) *damno vobiscum sensum illum: qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum; Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum; Qui dicit, quod Christus & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit; Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt; Qui dicit, quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur, quicunque deliquerit; Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos; Qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint; Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel summos quosque Sanctorum, etiam ante redemptionis tempora, intra Paradisum deguisse: Hæc omnia, quasi impia & sacrilegiis repleta, condemno - - - Orate pro me Domini Sancti, & Apostolici Patres. Lucidus Presbyter hanc epistolam manu propria subscripsi: & quæ in ea adstruuntur, asero, & quæ sunt damnata, damno.*

68.

Ex Synodo Arelatensi, Lugdunensi.

68. Probatur aſsertio II^do ex duobus Conciliis Arelatensi & Lugdunensi circa annum 475. celebratis authoritate Leontii Arelatensis Episcopi, qui ab Hilario Papa juſsus erat quot annis, si fieri poſset, cogere Synodos Episcoporum ex Provinciis Lugdunensi, Viennensi, Narbonensi prima, ac ſecunda. Arelatensis Synodus epistolam Fausti ad Lucidum calculo ſuo approbavit, atque XI. Episcoporum ſubscriptionibus communivit, damnatisque Prædestinatianorum erroribus, Fausto Rejensium Episcopo provinciam demandavit, edito libro de Gratia & Libero arbitrio novitium hunc errorem impugnandi, eaque uberius explicandi, quæ in Arelatensi Synodo contra Prædestinatianos decreta fuerant. Testem habemus ipsum Faustum, qui in Præfatione librorum de Gratia & Libero arbitrio ad Leontium Arelatensem ita ſcribit. *Domino Beatiſsimo, ac Reverendiſsimo Leontio Papæ Fauſtus. Quod pro ſollicitudine paſtorali, Beate Papa Leonti, in condemnando prædeſtinationis errore concilium Summorum Antiſtitum congregaſtis, universis Galliarum Ecclesiis præſtitiſtis. Quod vero ad ordinanda ea, quæ collatione publica doctiſsime protuliſtis, operam infirmis humeris, curamque mandaſtis; parum, ut reor, tanto negotio, parum ſanctæ exiſtimationi veſtræ conſuluiſtis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis oneraſtis.* Et in fine Præfationis ſubjungit: *In quo quidem opusculo, poſt Arelatensis Concilii ſubscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua, Synodus Lugdunensis exegit.* Itaque duorum Conciliorum authoritate Faustus Opus illud composuit.

Et Arauſicana II.

69. Monumentum etiam Prædestinatianæ hæresis Sæculo VI. per Galliam præsertim ſerpentis, habemus ex Synodo Arausicana II. A. 529. celebrata; post damnatos enim Semipelagianorum errores, Arausicani Patres his verbis Prædestinatianam hæresin jugulant Capit. XXV. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſsint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Ali-

Aliquos vero ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Deinde utrumque contrarium errorem, Semipelagianum & Prædestinatianum, uno quasi ictu præcidunt proxime sequentibus verbis: *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius aspirat, ut & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus.* Neque ex eo, quod Arausicani Patres dicant, *Si sunt qui tantum malum credere velint*, inferri potest, eos dubitasse, ullo uspiam fuerint homines Prædestinatiani: satis enim verisimile est, post Arelatense ac Lugdunense Concilium, & repudiatos publice a Lucido Presbytero errores, ab affirmanda impia sententia illa, divinæ sanctitati inimica, quæ flagitiorum omnium Deum autorem facit, Prædestinatianos abstinuisse, nimirum Deum ratione suæ potestatis prædestinare homines ad peccandum: atque idcirco Arausicani Patres verba illa addiderunt, *Si sunt, qui tantum malum credere velint.* Contra vero, cum non eodem modo se gesserint Prædestinatiani in reticendis erroribus humanæ libertati contrariis, hac de causa iidem Arausicani Patres, omni dubitatione remota, contra Prædestinatianos definiverunt: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia &c.* ut supra. Habetur itaque ex Arelatensi, Lugdunensi, & Arausicano II. Concilio, Sæculo V. & VI. extitisse in Galliis Prædestinatianos, eosque non adeo paucos, ac quidam nostrorum temporum Scriptores vellent; alienum est enim ab invetarata disciplina & consuetudine Ecclesiæ celebrare Concilia contra hæreses vel commentitias, vel quovis nomine contemnendas, a quibus aut nullum, aut fere nullum timeatur malum: vel si quod gravius ex illis malum impendeat, subsidiis facilioribus, præter Concilio-

ciliorum celebrationem, hujusmodi malo ſubveniri poſsit.

Uſserii & Jansenii argumenta enervantur.

70. Jacobus Uſserius, & Cornelius Jansenius Iprensis, ejusque Apologistæ, ne ſe in errore jam diu proscripto eſse fateantur, contendunt hæresin Prædestinatianam commentitiam eſse, ac fabulam a Semipelagianis inventam; ajuntque 1mo articulos, quos Lucidus Presbyter retractavit, nihil aliud eſse, quam argumenta quibus Semipelagiani doctrinam Augustinianam oppugnabant. II. Nullam fidem adhibendam eſse Fausto Rejensi, Semipelagiano Episcopo, Augustinianæ doctrinæ hosti. III. Lucidum Presbyterum verum fuiſse Semipelagianum, quia in ſuo emendationis libello vult aliquos per legem naturæ, quam primam gratiam vocat, ſalvos fieri potuiſse. IV. Quæ narrantur in causa Lucidi, ficta omnia ac ſimulata fuiſse a duobus hominibus Semipelagianis, Fausto, & Lucido, ad infamandam Augustini doctrinam de prædestinatione gratuita. V. Epistolam Fausti ad Lucidum a Synodo Arelatensi nec approbatam, nec ſubscriptam fuiſse; cum Henricus Canisius Tomo V. Antiquarum Lectionum aſserat, in manuscripto codice Monasterii S. Galli non reperiri ſubscriptiones illas Episcoporum, quæ in vulgatis editionibus leguntur, ſed unius Fausti. VI. Duo illa Concilia, Arelatense & Lugdunense conflata fuiſse ex Episcopis Semipelagianis, aut omnino commentitia eſse. Florus enim Magister Sæculo IX. in libro, quem contra Joannem Scotum Erigenam ſcripsit juſsu & nomine Ecclesiæ Lugdunensis, ita de Prædestinatiana hæresi loquitur Cap. IV. *Non poteſt inveniri toto tempore, quod fuit inter Auguſtinum & nos, aliquam talem hæresin in Ecclesia extitiſse, nisi quod vel ipsum, vel nos, qui eum ſectamur, iſtius erroris accusant.* VII. Denique ajunt, Faustum a Concilio Arelatensi juſsum contra Pelagianos ſcribere, neque contra illos, neque contra Prædestinatianos de gratia & libero arbitrio ſcripsiſse, ſed contra S. Augustinum.

71. Verum evanidas, caſsasque eſse has adversariorum exceptiones, patebit ex responsis. Ad I. itaque

que Resp. Quamvis Prædestinatianorum dogmata eadem fuissent, quæ a Pelagianis vel Semipelagianis falso ac temere opponebantur doctrinæ S. Augustini; ex eo tamen legitime inferri nequit, nullos revera fuisse, qui ea tamquam vera, & Augustini doctrinæ consentanea defenderent. Catholici certe ab Arianis accusabantur Sabellianismum, ab Eutychianis Nestorianismum, a Pelagianis Manichæismum invehere: nulline idcirco extitere Sabelliani, Nestoriani, Manichæi? Ad II. R. Faustum nec Augustini hostem, nec Semipelagianorum fautorem fuisse, ut præcedente Dissertatione ostendimus. Et quamvis etiam Massiliensium errores bona fide amplexus fuisset, utpote ab Ecclesia tunc temporis nondum clare reprobatos, quemadmodum a Joanne Cassiano id factum esse constat; neutiquam tamen verisimile est, Faustum, virum illum doctrina & sanctitate celebrem, quem Gallicana Ecclesia a pluribus jam sæculis ut Sanctum colit, in re tam obvia & aperta splendide mentitum fuisse. Ad III. R. Semipelagianismum Lucidi prorsus commentitium esse. Is enim in suæ emendationis libello ad XXX. Episcopos inter alia id etiam profitetur: *Ita asſero gratiam Dei, ut ad nisum hominis & conatum, gratiam ſemper adjungam.* Qui autem in negotio salutis gratiam Dei adjungit semper ad nisum hominis & conatum, satis aperte declarat, gratiam Dei esse priorem & præcedentem, ad nisum autem & conatum hominis posteriorem & subsequentem; quo tota evertitur Semipelagiana doctrina. Quod vero Lucidus olim docuerit, ante adventum Christi aliquos ex Gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in adventu Christi fuisse salvatos; neque Pelagianus, neque Semipelagianus idcirco fuisse evincitur. Verba enim illa tantum significant, quod aliqui ante Christi adventum salutem sine lege scripta, Mosaica & Evangelica; consecuti sint per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ, conjunctam scilicet cum gratia interna accepta ex prævisis Christi venturi meritis: quam ipsam doctrinam tradit S. Augustinus Epist. CLVII. ad Hilarium, & Epist. CXC. ad Optatum. Ad

IV.

IV. R. Hæc ſine testibus, absque ulla verisimilitudinis umbra ab adversariis ſpargi; ut adeo risu magis digna ſint, quam seria refutatione. Quis enim ſanus ſibi facile persuadeat, Lucidum ipsum ſe gratuito illorum errorum reum conſeſsum fuiſse, ac XXX. Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis, non utique obesæ naris hominibus, fucum feciſse? Ad V. R. Epistolam Fausti ad Lucidum munitam fuiſse ſubscriptionibus XI. Episcoporum, Fausti, Auxenii, Pauli, Eutropii, Pragmatii, Patientis, Euphronii, Megetii, Claudii, Leucadii, Juliani, tantum non omnia exemplaria etiam antiquiſsima testantur, quamvis ſubscriptiones illæ deſuerint in codice Sangallensi, quem ipse Henricus Canisius fatetur omnino perturbatum fuiſse. Ad VI. R. Absque ullo fundamento, nec ſine manifesta injuria, Patribus Arelatensis & Lugdunensis Synodi, quorum aliqui ſanctitate etiam illustres fuere, Semipelagianismi notam inuri poſse. Duo vero Concilia, Arelatense & Lugdunense, contra Prædestinatianos habita fuiſse ambigi nequaquam potest. Qua enim fronte Faustus in præfatione librorum ſuorum de Gratia & Libero arbitrio ad Leontium Arelatensem, Metropolitam doctiſsimum, ausus fuiſset luculentam horum Conciliorum mentionem facere, quæ paulo ante in luce totius Galliæ celebrata fuere, ipso præsente Leontio? Florum quod attinet CD. annis Lucido posteriorem, ajo in rebus facti fidem habendam eſse coævis Scriptoribus, quam iis, qui longe post vixere. Ad VII. R. In Arelatensi & Lugdunensi non Semipelagianos, ſed Prædestinatianos fuiſse damnatos; ideoque Faustum juſsum fuiſse ab utriusque Concilii Patribus contra Prædestinatianos calamum acuere. Manifeste id testatur ipse Faustus in præfatione ad Leontium Arelatensem, quam ſupra exhibuimus. Jam vero si Fausto demandata fuiſset provincia Pelagianos aut Semipelagianos impugnandi, numquid a Leontio, aliisque Episcopis comprovincialibus, qui utrique Synodo interfuerant, Faustus in re adeo recenti ſcribens demandatam ſibi fuiſse a Concilii Patribus Prædestinatiani erroris impugnationem, manifesti

unde-

undequaque mendacii argui potuiſset? Miror profecto tam absonam fabulam potuiſse a viris doctis adoptari.

Gothescalci errores.

72. Prædestinatianam hæresin fere extinctam instauravit, eamque latius propagavit Sæculo IX. Gothescalcus, gente Saxo, monasticam vitam in Orbacensi Monasterio Sueſsionensis Diœceseos profeſsus. Elapsus hic monasterio ad ſimilitudinem transfugæ, absque ulla ſui Abbatis facultate, magnam Europæ partem, præsertim vero Italiam peragravit, objecta falsa ſpecie Christianæ religionis vindicandæ & propagandæ, etsi perversa Prædestinatianæ hæresis diſseminandæ cupiditate. Errores ejus recensent Hincmarus Rhemensis in epistola ad Nicolaum I. Papam; Rabanus Maurus Moguntinus Lib. de Prædest. ad Nothingum Episcopum Veronensem, aut ut alii volunt Brixiensem, in epistola ad Eberhardum Comitem Forojuliensem, & in epiſtola Synodica ad Hincmarum Rhemensem; Amolo Lugdunensis in epistola ad Gothescalum, aliique. Præcipuos brevi compendio dabimus. Docebat Gothescalcus 1mo. Nolle Deum ullo modo ſalvos fieri, nisi ſolos prædestinatos. II. Christum Dominum nullo modo mortuum eſse, aut ſanguinem fudiſse, & oraſse, nisi pro ſolis prædestinatis. III. Hinc nulla eſse in reprobis vera Ecclesiæ Sacramenta, nullamque eis gratiam per illa conferri, utpote quæ fructus ſunt Dominicæ mortis & redemptionis. IV. Deum quosdam prædestinare ad culpam & pœnam, quemadmodum quosdam prædestinat ad gratiam & gloriam. V. Dei prædestinationem eſse antecedentem neceſsitatem ſalutis eis, qui ſalvantur; & perditionis eis, qui pereunt. VI. Hinc nullum eſse hominis liberum arbitrium, quod in ſtatu naturæ lapsæ non est liberum nisi ad malum; quale est arbitrium dæmonum, quod nisi malum velle non poteſt. In patrocinium ſuæ hæresis, ut ſcribit Rabanus in epiſtola ad Eberhardum Comitem, producere ſolebat Gothescalcus S. Augustini ſententias; quod & modo præstant Jansenii aſseclæ, ætatis nostræ Prædestinatiani.

Gothescalcus damnatur Mo-

73. Rabanus Moguntinus certior factus a Nothingo Veronensi de erroribus a Gothescalo in ea provincia diſse-

diſseminatis, eodem Nothingo ſuadente, librum edidit de Prædestinatione contra Gothescalcum, gravemque epistolam ſcripsit ad Eberhardum Comitem Forojulienſem, ad quem tamquam hospes diverterat Gothescalcus, eumque hortatur, ut novum Prædestinatianum cohibeat. Itaque Rabani opera Gothescalcus Italia expulsus Eberhardi Comitis juſsu videtur, qui ſe ad extremum Moguntiam recepit, ut ab objectis erroribus, oblato fidei ſuæ libello, coram Moguntinis Patribus ſe purgaret. Congregata erat A. 848. Synodus Moguntina II, cui præerat Rabanus Maurus Moguntinus Metropolita. Frequentes ad eam convenerant Germaniæ Episcopi, quibuscum consedit Ludovicus Germanorum Rex, Lotharii Imperatoris Frater. In hac Synodo auditus & examinatus Gothescalcus, hæreticus Prædestinatianus declaratus est; & quia in ſua hæresi pertinax, damnatus, atque ad Hincmarum Rhemensem, ad cujus diœcesin pertinebat, cum litteris ſynodalibus miſsus a Patribus Moguntinis, quibus juratus promisit, numquam ſe deinceps in Ludovici regnum recepturum. *guntiæ a Rabano.*

74. Anno 849. in Palatio Carisiaco habita est Synodus, quæ Carisiaca I. ex loco nominatur. Ad eam convenerant ex Belgica, Rhemorum, & Galliarum provinciis Episcopi XIII. Chorepiscopi II. Abbates III, Carolo Calvo Francorum Rege convocante, & cum eis considente. Synodum ingreſsus Gothescalcus, cum contumelias & maledicta, omni reverentia posthabita, contra Moguntinos & Carisiacos Episcopos, ſuos legitimos judices, pleno ore evomeret, Episcoporum judicio Sacerdotali honore privatus est: tum Prædestinatianæ doctrinæ ſuæ libellum, in quo divinarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum testimonia perperam intellecta continebantur, in ignem coram Patribus conjicere coactus, eodemque tempore verberibus affectus est. Postremo in ergastulum Altivillarensis Monasterii, ne aliis noceret, detrusus. *Et Carisiaci ab Hincmaro.*

75. Anno 850. Hincmarus Rhemensis, & Pardulus Laudunensis ſuaserunt Erigenæ, impellente etiam Carolo *Gotheſcalcum impugnat Eri-*

gena ſiniſtro eventu.

rolo Calvo controversiarum fidei ſtudiosiſsimo, ut Gothescalci errores confutaret. Joannes Scotus Erigena profana litteratura, in Græcis Latinisque litteris, in mathematicis disciplinis, maxime vero in argutiis Peripateticis admodum ea ætate eruditus, ob eamque causam Carolo Calvo chariſsimus, ſed in ſacris litteris & fidei controversiis parum versatus, anno 851. librum de Prædestinatione contra Gothescalcum edidit. At oneri ſuis humeris multo graviori ſuccubuit, atque in Pelagianos errores, aliosque maxime absurdos incidit. Cum Erigenæ liber in Wenilonis Senonensis manus perveniſset, is novemdecim ex eo errores capitales excerpsit, quos confutandos ad Prudentium Trecensem misit. Quod is A. 852. præstitit. Easdem eroneas ſententias, cum ad Lugdunensem Ecclesiam perveniſsent, Florus ejusdem Ecclesiæ Diaconus, qui ob excellentis doctrinæ præstantiam Magister est appellatus, Ecclesiæ ſuæ nomine, anno fortaſse 853. edito libro confutavit. Jam vero Prudentius Trecensis, & Florus, quamvis errores ipsos Prædestinatianos uterque rejiceret omnino ac repudiaret, ut ex eorum libris manifeste colligitur, Gothescalco tamen patrocinabantur errore facti; quia exploratum ipsis non erat, Prædestinatianos errores ab eo defendi.

Synodus Carisiaca II, & ſcripta quædam in causa Gothescalci.

76. Anno 853. celebrata est Synodus Carisiaca II. aſsidente Carolo Calvo, & præsidente iterum Hincmaro Rhemensi. In hac Synodo quatuor illa Capitula celeberrima condita ſunt. Primi tantum Capituli partem exhibemus. *Deus bonus & juſtus elegit ex eadem maſsa perditionis ſecundum præscientiam ſuam quos per gratiam prædeſtinavit ad vitam, & vitam illis prædeſtinavit æternam. Cæteros, quos juſtitiæ judicio in maſsa perditionis reliquit, perituros præscivit, ſed non ut perirent prædeſtinavit: pœnam autem illis, quia juſtus eſt, prædeſtinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædeſtinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem juſtitiæ.* Eodem anno 853. paulo fortaſse ante celebratam Synodum Carisiacam II, tres epistolæ miſsæ ſunt ad Ecclesiam Lugdunensem, ut quid

illa

illa eadem de re ſentiret, vere ac fideliter responderet. I^ma epistola est Hincmari Rhemensis ad Amolonem Lugdunensem, in qua narratur, Gothescalcum damnatum fuiſse in Synodo Moguntina & Carisiaca I, ac præcipui ejus errores recensentur. II^da est Epistola Parduli Laudunensis ad eumdem Amolonem Lugdunensem de re eadem. III^tia est Rabani Moguntini ad Nothingum Veronensem data anno 847, quæ est de Prædestinatiana hæresi Gothescalci. Amolone Lugdunensi jam vita functo, ſcriptor quidam anonymus, nomine Ecclesiæ Lugdunensis, celebrem librum edidit anno 854, qui inscribitur, *De tribus Epiſtolis*. Communis ſententia est, Remigium Lugdunensem, qui Amoloni ſucceſsit, hujus operis eſse authorem. Illud certum est, quicunque demum operis illius author fuerit, eum erroribus Prædestinatianis maxime repugnare, quamvis errore facti Gothescalco patrocinatus ſit, quod Monachum illum nullum docuiſse Prædestinatianum errorem arbitraretur. Putabat enim, nihil aliud Gothescalcum de prædestinatione affirmaſse, nisi Deum quosdam prædestinaſse ad regnum gratuita misericordia ſua, ex quibus nullus ſit periturus: quosdam vero prædestinaſse ad ſupplicium, quod nullus eorum ſit evasurus, idque æquitate justitiæ ſuæ propter perseverantem usque in finem eorum malitiam a ſe prævisam. Item existimabat eum affirmaſse, nolle Deum, judicis æquitate, ſeu ut Scholæ loquuntur, voluntate consequente, absoluta & efficaci, reprobos ſalvos fieri, ſed ſolos prædestinatos. Censebat rursus Gothescalcum docuiſse, Christum Dominum pro ſalute infidelium, qui in ſua infidelitate ex hac vita decedunt, morte eis fructuosa, & per applicationem pretii pro eis exhibiti mortuum non eſse. Postremo dubitabat, num Gothescalcus negaverit liberum arbitrium. Causa autem hujus erroris fuit, quod nullum aliud extaret fidei & doctrinæ ſuæ monumentum a Gothescalco litteris commendatum, nisi callida & malitiosa illa gemina profeſsio fidei, juſsu Hincmari ab ipso Gothe-

scalco

scalco in carcere edita, in qua ille præteritos ſuos errores nec infirmat, nec confirmat, ſed prorsus reticet.

Carisiaca Capitula ſiniſtre interpretantur Remigius Lugdunensis.

77. Eodem anno 854. post celebratam Synodum Carisiacam, editus in lucem est liber, qui *De tenenda Scripturæ veritate* inscribitur. Scriptor libri Anonymus est, qui idem censetur ac ſuperior *De tribus epiſtolis*, id est, Remigius Lugdunensis. In hoc libro ad trutinam revocantur quatuor Capitula Carisiaca, ac Quartum præcipue reprehenditur, quod in eo Carisiaci Patres docuerint, Christum Dominum pro omnibus illis infidelibus, qui ante ipsius adventum in impietate ſua deceſserunt, & eſse mortuum, & ſanguinem ſuum fudiſse: & quidem morte eis fructuosa ſempiternæ ſalutis, ita ut descendens ad inferos una ſecum omnes impios illos abduxerit, eosque ſecum in cœlos perduxerit. Quod Carisiaci Patres non modo non docuerunt, ſed ne ſomniarunt quidem. Verum etsi Scriptor ille Anonymus mentem Synodi Carisiacæ II. in quatuor illis Capitulis aſsecutus non ſit, eaque Capitula absurdis prorsus interpretationibus, a ſententia Carisiacorum Patrum maxime alienis, fuerit interpretatus, nihilo tamen minus in eo ipso opusculo ſententias tuetur Prædestinatianis erroribus omnino contrarias, & doctrinæ Carisiacæ maxime consentaneas.

Prudentius Trecensis.

78. Eodem pariter anno 854. Prudentius Trecensis Episcopus alia quatuor Capitula misit ad Wenilonem Senonensem, quibus Æneas Parisiensis Episcopus, antequam ordinaretur, ſubscriberet; eaque conditione Ordinationi Æneæ absens, & per epistolam præstat aſsensum, cum per ægritudinem Synodo Parisiensi adeſse non poſset. In tertio Capitulo dicitur: *Ut crederet & confiteretur cum omnibus Catholicis, ſanguinem Domini noſtri* JESU *Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fusum. Non autem pro illis, qui numquam in illum crediderunt, neque hodie credunt, numquamque credituri ſunt.* Quibus verbis ostendit quidem Prudentius ſe a Prædestinatianis recedere, qui Christum volebant non pro omnibus fidelibus, ſed pro ſolis prædestinatis ſanguinem fudiſse: ſimulque displi-

cere

cere ſibi ſententiam vere Catholicam, quæ dicit, Chriſtum ſanguinem fudiſſe pro omnibus omnino hominibus, fidelibus & infidelibus, prædeſtinatis & reprobis; ac pro iſtis quidem affectu non effective, ſed affective efficaci ac ſerio, ita ut intuitu meritorum Chriſti reprobis omnibus dentur gratiæ vel proxime, vel remote ſaltem ſufficientes, ac per Deum, aut Chriſtum non ſtet, quo minus illi ſalutem æternam consequantur. Hincmarus Lib. de Prædeſtinatione, Cap. XXI. Prudentium accuſat levitatis & inconſtantiæ, perinde ac ſi quatuor illis Capitulis debilitare voluerit totidem Capitula Carisiaca, quibus tamen paulo ante, hoc eſt anno 853. in Synodo Carisiaca II. Prudentius ipſe cum Epiſcopis cæteris ſubſcripſerat. Graviori cenſura Prudentium notant Annales Bertiniani ad annum 861. his verbis: *Prudentius Tricaſſinæ civitatis Epiſcopus, natione Hiſpanus, apprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quosdam Epiſcopos ſecum hæretico* (Gotheſcalco) *reſiſtentes, ipſius erroris defenſor acerrimus, indeque non modica inter ſe diverſa, & fidei adverſa ſcriptitans moritur. Sicque, licet diutino languore fatigaretur, ut vivendi, ita & ſcribendi finem fecit.*

79. Anno 855. Lotharii Imperatoris juſſu, anno ejus imperii XV. coacta eſt Synodus Valentina III, convenientibus ad eam Epiſcopis XIV. trium Provinciarum, Lugdunenſis, Viennenſis, Arelatenſis, quæ Lotharii imperio erant obnoxiæ. Præfuerunt Synodo tres Metropolitæ, Remigius Lugdunenſis, Agilmarus Viennenſis, Rodlandus Arelatenſis. Inter cæteros Epiſcopos adfuit Ebbo Gratianopolitanus, cujus potiſſimæ fuerunt partes in ſanctione Canonum. Canones in ea Synodo conditi fuerunt XXIII, quorum ſex priores pertinent ad controverſiam de Gotheſcalci, & Joannis Scoti Erigenæ doctrina, reliqui XVII. ad diſciplinam ſpectant. Canone IV. dicitur: *Porro Capitula quatuor, quæ a Concilio* (Carisiaco) *Fratrum noſtrorum minus perſpecte ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem,* *Et Synodus Valentina III.*

tatem, & errorem contrarium veritati: ſed & alia novemdecim (Joannis Scoti Erigenæ) *ſyllogismis ineptiſſime conclusa; et, licet jactetur, nulla ſæculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus; & ut alia & ſimilia caveantur, per omnia authoritate Spiritus Sancti interdicimus.* Quibus verbis quatuor Capitula Carisiaca, a Valentinis perperam intellecta, acriter reprehenduntur, quamvis eadem fuerit Valentinorum & Carisiacensium doctrina quoad ſubſtantiam ſpectata. Putabant nimirum Valentini, errore meri facti, ſinceram & ſanam fuiſse Gothescalci doctrinam, non qualem Carisiaci Patres descripserant. Causa erroris fuit, quod in Valentina Synodo lectus non fuerit ille fidei libellus, quem Gothescalcus coactus fuerat projicere in ignem coram Patribus Carisiacis, in quo manifesta apparebant vestigia Prædestinatianæ pravitatis, ſed in Valentinorum manus pervenerit duplex illa dumtaxat fidei profeſsio in ſpeciem Catholica, quam in ſui defensionem Gothescalcus e carcere emiserat, quin ullam in ea mentionem faceret Prædestinatianæ doctrinæ, propter quam in Carisiaco conventu damnatus fuerat. Præterea mirifice Gothescalco ſuffragata est perabsurda ea confutatio, quam jubentibus Hincmaro & Carolo Calvo, Joannes Scotus Erigena ediderat, quæ præter alia absurda Pelagianis erroribus referta erat. Hinc proclive admodum fuit Valentinis Patribus, ut crederent Gothescalcum damnatum fuiſse propter doctrinam Pelagianis, aliisque Erigenæ erroribus contrariam.

Concilium Tullense I. Et Lingonense.

80. Quadriennio post, nempe anno 859. mense Junio celebratum est Concilium Tullense I. apud Saponarias ab Episcopis XII. Provinciarum, aſsidentibus Carolo Calvo Francorum, & duobus Filiis Lotharii Imperatoris, Lothario Lotharingiæ, & Carolo Burgundiæ Regibus. Præter Episcopos cæteros adfuerunt huic Synodo Patres Synodi Valentinæ III, qui diebus XV. ante Tullense I, cum in itinere eſsent, habuerunt Synodum Lingonensem, in qua Carisiacensium mente meli-

melius perspecta, a Canone IV. Valentinæ Synodi expuncta fuit communi sententia acerba illa censura contra quatuor Capitula Carisiaca, atque in horum verborum locum, *Porro Capitula IV, quæ a Concilio Fratrum nostrorum &c.* substituta sunt verba, quibus sola XIX. Capitula Joannis Scoti Erigenæ exploduntur. Sunt autem hujusmodi: *Porro Capitula XIX. syllogismis ineptissime ac mendacissime a quodam Scoto conclusa, ubi non argumentum fidei, sed potius commentum perfidiæ patet, nulla omnino philosophiæ arte, ut arroganter a quibusdam jactatur, constructum, sed inani fallacia & deceptione imperitissime confusum, a pio auditu fidelium penitus explodimus.* In Tullensi I. Synodo, cui interfuit etiam Hincmarus Rhemensis, oblati lectique sunt ex una parte sex Canones Valentini; ex altera vero parte IV. Capitula Carisiaca: item sententiæ quædam, quæ favere videbantur Gothescalci erroribus, ut de his universa Synodus judicium ferret. At disentientibus inter se Episcopis, maxime vero Hincmaro, qui Carisiacæ, & Remigio, qui Valentinæ præfuit Synodo, placuit Tullensibus Patribus, ut res integra ad pleniorem futuram Synodum deferretur, ut extinctis disensionibus Regum adversariorum, studiisque contrariis Episcoporum, confirmataque universali concordia, de communi consilio in futura Synodo pacate & tranquille ex Sacris Scripturis, & traditione Patrum gravis illa & diuturna de Prædestinatione controversia dirimeretur.

Demum lis omnis composita est in Tullensi II.

81. Itaque sequenti anno, nimirum 860. celebratum est Concilium Tullense II. apud Tusiacum a LVII. Episcopis Provinciarum XIV. Germaniæ & Galliarum, post restitutam eodem anno in Concilio Confluentino pacem generalem inter Ludovicum Germaniæ, Carolum Calvum Galliarum, & Lotharii filios Ludovicum Imperatorem, Lotharium Lotharingiæ, & Carolum Burgundiæ Reges. In hac Synodo grave illud ac diuturnum disidium, quod in controversia Prædestinana Gallicanam maxime Ecclesiam Sæculo IX. turbaverat, sedatum est, excitatumque inter Episcopos incendium deferbuit. Placuit autem Tullensibus Patribus apud

Tusiacum ad evitandas disensiones & jurgia, Canones novos ad Prædestinatianam quæstionem pertinentes non condere, sed dumtaxat ea de re declarare Synodi sententiam in epistola Synodica, quam jussu Concilii Hincmarus Rhemensis exaravit, ubi doctissimus Præsul doctrinam Carisiacam renovat ac confirmat. Et quoniam Prædestinatiani errores omnes eo spectant, ut post lapsum primi hominis libertatem indifferentiæ ad bonum malumque meritum necessariam evertant, fuse in ea epistola liberum hominis arbitrium etiam in statu naturæ lapsæ vindicatur, adstruiturque in Deo seria voluntas, ut omnes homines salvi fiant, & beneficium mortis Christi ad omnes omnino homines extenditur.

Gothescalci contumacia & obitus.

82. Gothescalcus ad mortem usque, quæ contigit anno 867. pertinax obfirmatusque in hæresi sua permansit. Ultima Christianæ charitatis officia, quæ Hincmarus Gothescalco exhibuit, ut pertinacem monachum a suis erroribus revocaret, extant apud eumdem Hincmarum Lib. *De non trina Deitate*, ubi hæc narrantur: *Tandem cum mihi nuntiatum fuit a fratribus nostris, quibus de eo sollicitudinem delegavi, quia morti appropinquabat, misi ei per eosdem fratres hanc quæ sequitur schedulam: Sic crede de prædestinatione a Deo electorum, & relictione reproborum; & quia omnes homines vult Deus salvos fieri, licet non omnes salventur; & qui salvantur, salvantis sit donum; & qui pereunt, pereuntium sit meritum: & quia Deus, & Dominus noster* JESUS *Christus pro omnibus passus sit, cujus sanguis totius mundi est pretium, a quo extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem peccando, & in peccatis corde impœnitente perseverando ad eamdem servitutem sunt reversi: & de gratia & libero arbitrio, sicut Sanctus Augustinus docet in his libris suis, id est, de Correptione & Gratia, de Prædestinatione Sanctorum, de Dono Perseverantiæ, & in Libro de Spiritu & Littera, & in Libro Hypomnesticon, & in Epistola ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, & sicut hinc S. Prosper ex libris Beati Augustini ad objectiones Gallorum, & Vincentianorum, &*

Janu-

Jonuensium rescripsit, & cæteri Catholici Doctores dicunt, quia Sedes Apostolica, & Sancta Catholica Ecclesia, & nos sic credimus & tenemus. - - - Et si ita credideris in corde tuo, & ita subscripseris coram testibus monu tua te credere, & in hac credulitate & professione permanere, judicio Sancti Spiritus, per Episcopale ministerium, quo damnatus es, absolvi poteris, & participationi Corporis, & Sanguinis Domini nostri JESU Christi, & communioni Catholicæ Ecclesiæ restitueris. Ipse vero hæc audiens in furorem versus, ea, quæ sibi mandata sunt, detestari, & amplius cœpit blasphemare. Subjungit dein Hincmarus: *Cum jam finis ejus appropinquaret, fratribus, qui aderant, ut a pravo suo sensu & perversa sententia se revocaret, & Communionem sacram perciperet, suadentibus, respondit, a suo se sensu, & sententia revocare, & Communionem per auctoritatem non posse accipere. Sicque indignam vitam digna morte finivit, & abiit in locum suum.* Ex his satis apparet, an Gothescalcus dignus sit elogio, quod illi Contensonius in Theol. mentis & cordis adornavit his verbis: *Liquido constat, Gothescalcum non Prædestinatianæ hæreseos instauratorem, & multo minus satorem; sed Augustinianæ, Catholicæque doctrinæ strenuissimum defensorem, pro justitia, pro veritate, pro gratia persecutionem passum, & patiendo immortuum.* Si enim Catholicus homo Gothescalcus, si Augustini discipulus, si Augustinianæ gratiæ & prædestinationis defensor, quare talem Augustini doctrinam in commemoratis libris comprehensam moriens profiteri, & subscribere recusavit? Vide Laurentium Alticotium, ex quo pleraque hæc deprompta sunt, in Præfatione de Prædestinatianis, præfixa Parti VI. Summæ Augustinianæ. Jacobum Sirmondum in Hist. Prædestinatiana. Natalem Alexandrum Disertatione V. in Hist. Eccl. Sæc. V, & Disert. V. in Hist. Eccl. Sæculi IX. Sigismundum Calles in Annalibus Ecclesiasticis Germaniæ, Tomo III. Tournely in Tract. de Gratia, Parte I.

DIS-

DISSERTATIO V.

DE CONTROVERSIIS CIRCA AUXILIA DIVINAE GRATIAE.

83. Quoniam Molinæ, & Scientiæ mediæ vice non una occurret mentio in hoc Tractatu de Gratia, visum est opportunum, immo neceſsarium pauca quædam diſserere, brevique compendio exhibere Historiam Controversiarum de Auxiliis Divinæ Gratiæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus, inter S. Thomæ & Societatis Jesu Scholam agitatarum. Qui pleniorem notitiam desiderat, adeat Theodorum Eleutherium, ſeu Livinum de Meyer, qui duobus prægrandibus tomis in folio ea omnia complexus est, quæ ad hanc causam pertinent. Nos pauca quædam, extremis ut ita dicam digitis, ex eo delibabimus.

Bannesius; Theses Prudentii de Montemajor.

84. Nobiliſsimæ hujus celeberrimæque in Scholis Controversiæ prima ſemina jacta ſunt A. 1581. in Hispaniis. Prudentius de Montemajor Societatis Jesu Theologus in Academia Salmanticensi Theses pro more defendendas conceperat, quibus physicæ prædeterminationes actuum nostrorum rejiciebantur, & divina præscientia futurorum contingentium conditionatorum certa & infallibilis, nullo præsupposito absoluto divinæ voluntatis decreto, aſserebatur. Erat tunc Salmanticæ Dominicus Bannez O. P. vir ingenio fervidus, auctoritate gravis, Melchioris Cani, hominis Societati infensiſsimi, quondam discipulus, physicarum prædeterminationum repertor ac defensor acerrimus. Hic visis Prudentii Thesibus, non mediocriter offensus, consilium cepit opprimendæ ac penitus exscindendæ doctrinæ, quam in ſuæ detrimentum, si reciperetur, ceſsuram ominabatur. Stata igitur die ad disputandum ingreſsus, non tam armis Scholasticis, hoc est, argumentis & rationibus, quam notis atque censuris rem agens, cœtus tranquillitatem insolito clamore inverecunde turbavit. Finita disputatione domum reversus, cum amicis consilia contulit, ecquid facto

facto opus esset ad evertendam ocius ac penitus exterminandam invisam sibi doctrinam. Hoc præ cæteris consilium placuit. Scriptum ipse celeriter adornat, in quo Thesium propugnatori attribuit decem & sex propositiones, erroneas partim, partim hæreticas; quarum tamen nullæ in Thesibus illis expressæ legebantur. Eas porro Bannesius, quia consequi ex ipsis putabat, idcirco Thesium authori adscripsit. Hoc scriptum suo, & amicorum quorumdam suorum nominibus subsignatum mittit ad supremum Tribunal Hispanicæ Inquisitionis. De cujus mandato unus ex Quæsitoribus Vallisoletanis, qui visitabat id temporis Diœcesim Salmanticensem, quæsivit diligenter in omnem Thesium accusatarum materiam. Re ad maturum discussa, ac doctioribus quibusque consultis, deprehensum falso Thesium Authori impositas sexdecim propositiones illas: a multis vero Academicis reputari valde probabilem sententiam a Prudentio defensatam. Itaque genuina Thesium doctrina in judicium deducta, indemnis evasit.

Et Molinæ librum de concordia aggreditur, quem ad Lusitanicam.

85. Incumbentem in id Bannesium, ut doctrinam Societatis, non intermissis novis accusationibus, omni vi, omnique arte opprimeret, interpellavit perlatus e Lusitania rumor: Ludovicum illic Molinam, Conchensem Hispanum, atque in Eborensi Academia Professorem, librum parare de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione, reprobatione. Non neglexit indicium. Ut erat homo late notus, & multi commercii cum potentibus amicis, facile re ad certum explorata, parati editionem libri, suam de prædeterminationibus (ut ferebatur) doctrinam eversuri, omni qua valebat auctoritate impediendam decrevit. Itaque Concordiæ librum, vix absoluta in Lusitania editione, antequam venalis prostaret, necdum a se visum, multoque minus perlectum privato suo judicio damnat, atque apud Albertum Cardinalem Austriæ Archiducem, & Lusitanicam Inquisitionem, Molinam Pelagianismi resuscitati accusat. Verum Lusitanicæ Inquisitionis Senatus Con-

Concordiæ librum ad se delatum, publico Librorum Censori Bartholomæo Ferreira viro integerrimo & doctissimo ex Ordine Prædicatorum examinandum dedit, a quo prolixe laudatus, tandem difficultatum omnium victor in lucem prodiit sub initium Julii Anno 1588, adjecta appendice, qua Molina respondit ad ea quæ ab adversariis suis objecta sibi fuerant, & Lusitanicæ Inquisitionis encomio, quæ testabatur in hoc libro contineri doctrinam valde utilem, sanam, conformem Scripturæ, Conciliis, & Sanctis Patribus.

Et Hispanicam Inquisitionem defert, conatu licet irrito.

86. Post hæc a Bannesii Sociis tota Hispania spargebatur, a Jesuitis pravam hæreticamque doctrinam doceri: idque palam jactabant in circulis forensibus, in sacris pulpitis, in libellis famosis, quibus non doctrina tantum, sed mores etiam, regulæ, Institutum Societatis lacerabantur opprobriis, calumniisque sane gravissimis. Nihil tamen his artibus profectum est. Siquidem eisdem temporibus in Hispania Augustiniani, Benedictini, Cistercienses, Carmelitæ, Minimi, & præcipuæ Hispaniarum Universitates, Complutensis, Hispalensis, Vallisoletana, Molinæ doctrinam passim amplectebantur. Urebat honor iste Molinæ exhibitus Bannesianam factionem: atque ideo, ut nihil intactum illa relinqueret, Molinam cum libro suo, tamquam erroneæ ac hæreticæ doctrinæ reum ad Inquisitionem Hispanicam detulit, a qua liber hic Academiæ Complutensi, doctrinæ fama celeberrimæ, severo per annum integrum examini subjiciendus traditur. Verum & hic æmulorum invidiâ superior evasit Molina; ejus enim liber post longum & maturum examen ab omni censura immunis a Complutensi Academia declaratus fuit.

Causa Romam avocatur, ac Molinæ Liber a Consultoribus.

87. Postquam agitata utrimque in Hispania, Lusitaniaque de Auxiliis divinæ gratiæ controversia, Patrum Prædicatorum solertia Romam a Pontifice avocata fuit, Bannesius Didacum Alvarez socium suum fidelissimum, omniumque consiliorum suorum conscium cum accusationibus & censuris, quibus Molinæ librum perstrinxerat, Romam ablegavit. Ibi opera duorum Cardinalium, Alexandrini, & Asculani, qui ambo ex Ordine

Præ-

Prædicatorum ad purpuram assumpti fuerant, & Francisci Pegna Rotæ Decani, viri Jesuitis ad tumulum usque infensissimi, effectum est apud Clementem VIII. Pontificem, ut quamprimum litis cognoscendæ initium Romæ daretur anno 1598, Consultoribus IX, quibus subin duo alii accessere, a Pontifice designatis, quibus Alvarez cum suis persuadere conatus est, id unum Molinæ propositum fuisse, ut novam de Gratia & Prædestinatione Theologiam cuderet, contempta SS. Augustini & Thomæ authoritate. Res, maxima cum festinatione peracta est: nam vix trium mensium spatio, post XI. conventus celebratos, Consultores isti, quorum plerique Theologicas disciplinas aut numquam, aut pridem tractarant, ac præterea Cardinali Alexandrino beneficiis partim ab eo speratis, partim acceptis obnoxii erant, XIII. Martii ejusdem anni judicarunt, e re Catholica fore, si Molinæ liber damnaretur.

Tumultuaria & deproperata censura perstringitur.

88. Verum Pontifici suspecta fuit tanta celeritas, ideoque causam totam ad incudem revocari jussit. Deprehenderat nempe propositiones quasdam Molinæ, quæ vel erant certæ, vel communiter in Theologia receptæ; & quidem non audita altera parte, quam variis artibus ne audiretur Consultores impedierant, damnatas fuisse. At cum paulo post Consultorum plerique ad ingenium redirent, Pontifex tandem justis contra illos querelis fatigatus, eos coram Cardinalibus Bernerio, & Bellarmino his verbis compellavit: *Censuras vestras biennio & amplius elaboratas & recognitas Jesuitæ probare nolunt: multa Molinæ afficta conqueruntur, nihilque ab eo assertum dicunt, quod Pelagianismi merito notari possit.* Tum Antonium Bovium unum ex illis digito monstrans, *Regens quoque Carmelitarum*, inquit, *prolixam mihi nudius tertius Molinæ defensionem exhibuit, qua nihil in ejus Concordia fidei repugnans scriptum obtendit. Rem itaque præsentibus Prædicatoribus ac Jesuitis iterum expendi volo, ac diligenter inquiri, quibus in capitibus Molina Pelagianis ac Semipelagianis assentiatur.* Quibus verbis Pontifex non obscure ostendit, Consultores nec sibi, nec muneri suo fecisse satis.

89.

Hinc Pontifex coram se disputari præcipit.

89. Pontifex itaque causæ terminandæ cupidus, duorum Ordinum, Prædicatorum & Jesuitarum supremos Rectores monuit, ut quos vellent Theologos in ampliſsimam disputationis arenam ſecum adducerent: ſpectatorem ſe fore & arbitrum universi certaminis. Huic initium datum est in Vaticano Palatio XX. Martii, anno 1602. Bannesium tuebantur Didacus Alvarez Magister & Regens Minervitanus, & Thomas de Lemos: Molinam vero Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal, & Ferdinandus Bastida. Per quatuor fere annos acriter disputatum fuit, usque ad annum 1606, Congregationesque universim habitæ ſunt XLVII, nempe XXVII. ſub Clemente VIII, ſub Paulo V. reliquæ X.

Perronii de hac Controversia judicium.

90. Venit e Gallia in Urbem ſub ipsum disputationum æstum Jacobus Davi Cardinalis Perronius, vir cum in omni doctrinæ parte, tum in controversiis cum hæreticis hujus ævi versatiſsimus, & ut talis Clementi Pontifici notus: qui quanti eum faceret, & ſcriptis, alias honorificentiſsimis Brevibus, & allectione ipsius in Sacrum Senatum recens facta declaraverat. Oblata talis viri copia libentiſsime utens Pontifex, in arcano cum eo colloquio communicavit quæcunque hactenus in illa de auxiliis gratiæ controversia gesta eſsent. Tum Cardinalis Ecclesiastica libertate ſensum ſuum de controversiæ capite aperuit, ac minime cunctanter Pontifici respondit, ſi ſententiam Jesuitarum de concursu gratiæ cum libero arbitrio damnatam erroris proscriberet, ſibi certum eſse, omnes per Galliam, Germaniamque Calvinismi ac Lutheranismi profeſsores ejus definitioni applausuros, velut certiſsimæ confirmationi ſuorum dogmatum. Id dictum late celebravit recens tunc fama: ac ne quis temere vulgatum autumet, extat testimonium auritum hominis omni exceptione majoris, Jllustriſsimi Petri Haberti Episcopi Cadurcensis, qui palam affirmavit, ſe ex ipso Cardinale Perronio, cui familiaris fuerat, audiviſse cum narraret, ſese id Clementi Pontifici, quod retulimus, dixiſse.

91. Pontifex inopinata hac doctiſsimi Cardinalis denuntiatione perculsus, non levem concepit animo ſollicitudinem de modo aptiſsimo ſecuriſsimoque finiendi graviſsimam hanc controversiam. Venerat quidem ille ad disputantium cœtus coram ſe celebratos, animo non nihil præoccupato: quippe ſuspiciones de Molinæ doctrina ſinistras ii dudum moverant, qui apud ipsum aſsidui & potentiſsimi erant, Cardinalis Asculanus, Franciscus Pegna, ipseque Regis Catholici id temporis non parum Societati infensus Orator. Hærebant ad hæc Pontificis animo præjudicia partis maximæ Consultorum, qui in privatis congreſsibus antea celebratis Molinæ constanter adversati fuerant. Et quamvis adversus illorum judicia libellis ſupplicibus dudum exceperant Societatis Actores, & de eorum præcipitantia, partium ſtudio, atque acerbitate, qua in præteritis disputationibus duos e Collegis ſuis Consultoribus Plumbinum & Bovium, cæterosque Molinæ vindices durius exceperant, non ſemel fuerant conquesti: tamen hæc iterum elidebantur contrariis ſermonibus cum Patrum Prædicatorum, tum Consultorum, tum denique eorum, qui ipsis patrocinabantur; qui non ceſsabant Pontifici persuadere, Patres Societatis istiusmodi exceptionibus nil nisi moras quærere, & judicii ſibi imminentis frustrationem. Postquam vero audita est graviſsima Cardinalis Perronii vox, incertior magisque anceps quam umquam antea Clementis animus fluctuavit. Occurrebant ſcilicet animo, quæ Patres Societatis in ſolemnibus hisce disputationibus pro Molinæ defensione adversus physicas prædeterminationes argumenta nec pauca, nec adeo contemnenda protulerant, quibus Pelagianismi accusationes difflari non parum ac diſsipari videbantur.

Clementem VIII. ſollicitum habuit.

92. Igitur Pontifex consilium inivit non ſuæ valetudinis, nec ſui otii. Decrevit controversiam totam, ſpiſsam illam ac perplexiſsimam per ſe evolvere, & proprii ingenii acie, nullis jam cognitorum aut arbitrorum relationibus fidendo, de negotio toto quid eſset ſtatuendum, definire. Ab hac inductione animi, homo

Qui totam causam per ſe ipſum cognoscere decrevit.

mo annis gravis, laboribus fractus, podagra morbisque aliis ab aliquo jam tempore frequentissime tentatus, ad hæc maximis quotidie occupationibus oppressus, librum Molinæ de Concordia legere a capite aggressus est, vigiliisque acribus & contentione diuturna in id perseveranter incubuit. Servatur hodiedum in Romano tabulario Societatis codex ille ipse editionis Antuerpiensis, quo usus est, & quo donati sunt Jesuitæ ab ipsius Nepote Cardinale Aldobrandino; in eoque videre licet notas Sacra Pontificis manu interdum ad marginem adscriptas, subnotatasque sæpiuscule lineolis in ipso contextu sententias, eas maxime, quæ Molinam ab objecto illi Pelagianismo & Semipelagianismo clare vindicabant. Quod si Pontifex cœptum absolvere potuisset, dubitari non potest, quin pro sua recti & æqui, ubi id semel liquido perspexerat, generose tenaci voluntate, Molinæ cognitam innocentiam & orthodoxiam publice amplexurus efficaci patrocinio fuerit. Sed Deo aliter visum, qui Clementem VIII. anno 1605. die V. Martii terris eripuit.

At morte prohibitus, negotium hoc Paulo V. perficiendum reliquit.

93. Clemente VIII. e vivis sublato, post brevem, & controversiarum de auxiliis tractatione vacuum Leonis XI. Pontificatum dierum XXVII, Cardinalis Camillus Burghesius, assumpto Pauli V. nomine, Ecclesiæ clavum accepit die XVI. Maii, A. 1605, constanti multorum annorum felicitate regendum. Non poterat optari a partibus litigantibus opportunior electio ad æquam justamque controversiæ hujus decisionem, cujus notitiam Paulus V. perfectissimam hauserat tot illis, quibus interfuerat, habitis sub Clemente VIII. concertationibus. Nec eorum præterea quæ sub Cardinale Ludovico Madrutio, aut etiam prius Romæ in primis illis clancularíis Constultorum cœtibus, vel in Hispania Lusitaniaque in hac causa præcesserant, fuerat ignarus: quippe in Congregationem S. Inquisitionis, cujus ea propria erat cognitio, jam pridem adlectus. Acri adhæc pollebat judicio, & inflexibili æquitate animi: adeo ut pro hac finienda gravissima lite, vocatus ad tantæ dignitatis apicem divinitus videretur.

94.

94. Sub Paulo V. in examen vocata est prædeterminatio physica Bannensiana, quod ne fieret, toto authoritatis pondere sub Clementis Pontificatu amoliti fuerant Dominicani, prætexentes, nolle se ex Actoribus Reos fieri. Huic rei ventilandæ fere omnes reliquæ Congregationes maximo utriusque partis conatu impensæ fuerunt, in quibus Ferdinandus de Bastida contra Lemosium, postquam circa statum quæstionis de prædeterminatione physica mutuo partium consensu conventum erat, maxima contentione disputavit, ostenditque doctrinam illam divinis Scripturis, Conciliis, Patribus, præcipue SS. Augustino ac Thomæ refragari, atque humanæ libertati inimicam esse. His accesserunt extranea quædam præjudicia, Bannesianorum causæ admodum infesta, nimirum Academiarum Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, ac Lotharingiæ sancita, & Sacræ Congregationi submissa judicia: suffragia præcipuorum fere Ordinum religiosorum pro tuenda Molinæ doctrina: Principum Europæ missa ad Pontificem testimonia, quibus fidem faciebant, in suis ditionibus probari ab Episcopis & Theologis doctrinam Societatis, tamquam Conciliorum Decretis & fidei conformem, ac convincendis Sectariis apprime idoneam. Demum pondus gravissimum addiderunt Acta Concilii Tridentini in Arce S. Angeli asservata, quibus lustrandis facta sibi potestate Cardinalis Bellarminus in scripto Pontifici oblato hæc illi retulit: *In Actis Concilii, quæ habentur in Arce S. Angeli, refertur, quod tum in disputatione Theologorum, quæ habebatur ante Sessionem VI, duo Religiosi protulissent sententiam istam de prædeterminatione liberi arbitrii, fuit male acceptum a cæteris, eoquod non videretur valde Catholicum, & propterea decretum formatum est juxta communem aliorum sententiam.*

Sub quo in examen vocata est prædeterminatio Bannesii.

95. Tandem Paulus V. anno 1606. die XXVIII. Augusti pronuntiavit, ut omnis doctrina Molinæ indemnata persisteret, & utriusque familiæ, Prædicatorum & Societatis, sententia in scholis Catholicis tuto & impune doceretur, idque sine damnatione alterius partis, donec aliud a sancta Sede decerneretur. Hæc Pontifi-

Tandem Pontificis decreto utriusque Scholæ sententia indemnata perstitit.

cis

cis decisio utrique Ordini, Prædicatorum & Societatis, per ſuos Generales intimata est, & uberior causæ proſecutio interdicta. Constitutionem hanc confirmavit Clemens XII. anno 1733. die II. Octobr. in ea Constitutione, cujus initium est, *Apoſtolicæ providentiæ beneficio.*

Acta Pegnæ, Coronelli, & Lemosii, teſte Innocentio X. nullam omnino fidem merentur.

96. His tamen minime obstantibus, D. de Sanctamuor, aliique Jansenii vindices eo tempore, quo Romæ quinque famosæ Jansenii propositiones examinabantur, Acta Congregationum a Pegna, Coronello, & Lemosio conscripta in medium produxere, & multa prætensæ Constitutionis cujusdam, a Paulo V. paratæ quidem, ſed nondum promulgatæ, in qua Molinæ doctrina damnabatur, exemplaria describi divulgarique curarunt, eo fine, ut Jesuitarum doctrinam, quasi olim Pelagianismi damnatam, in contemptum invidiamque adducerent. Verum quam primum res hæc Innocentio X. innotuit, ſolemne edidit Decretum die XXIII. April. anno 1654, quo declaravit, ſtatuitque, Actis ſeu manuscriptis ſeu impreſsis ſub nomine Francisci Pegna, Coronelli, Lemosii, ac prætensæ illi Constitutioni Pauli V, quam Sanctamorius evulgaverat, nullam omnino fidem adhibendam eſse. Ex quo patet quam infirma ſit responsio Thomistarum, qui dicunt Innocentium X. declaraſse tantum, nullam Actis illis adhibendam eſse fidem juridicam & legalem in judicio, non autem fidem eis denegaſse historicam: Neque enim Pontifex fidem legalem, quam numquam habebant, Actis illis ademit; ſed historicam, quam Jansenii pediſsequi illis conciliare ſtudebant. Præterea nulla fides, quam Acta illa Innocentio teste merentur, haud dubié etiam historicam excludit fidem.

Quid de Serriano Opere ſentiendum ſit?

97. Anno 1699. prodiit in Belgio Historia Congregationum de Auxiliis, authore Hiacyntho Serry Ord. Præd. ſub ementito nomine Augustini le Blanc, ex Actis Pegnæ, Cornelli, & Lemosii, quæ nullius omnino fidei eſse Innocentius X. declaraverat, consarcinata. Elegans quidem illa est & faceta, ſed mordax & fabulosa, in qua meri narrantur triumphi

& vi-

& victoriæ a Bannesianis relatæ, nec quidquam omittitur, quod Jesuitis invidiam conciliare queat. Fabulosam hanc Historiam solide & nervose confutavit Theodorus Eleutherius seu Livinus Meyerus e Societate Jesu insignis Theologus gemino edito prægrandi tomo, cui titulus: *Historia Controversiarum de Divinæ Gratiæ auxiliis sub Summis Pontificibus, Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V.* In Præfatione hujus operis Meyerus aperte & evidenter convincit Serrium commercii cum Jansenianis, præcipue cum Paschasio Quesnello Jansenianæ factionis antesignano habiti, a quo Serrianæ Historiæ editio procurata est, pluribus in locis, consentiente authore, immutata, ac mendaciis farta. Porro ostendit id Meyerus luculenter ex Epistolis propria manu a Serrio exaratis, quæ interceptæ fuerunt a satellitibus Humberti de Precipiano Archiepiscopi Mechliniensis, ea occasione, qua deprehensus Bruxellis Quesnellus Archiepiscopali carceri est mancipatus. Ex quo solo colligi satis potest, quam fidem Serrianum hoc Opus mereatur.

ARTICULUS I.

DE GRATIA CHRISTI.

98. *Gratia* generatim sumpta, est gratuitum Dei donum, quod nec ut merces, nec ut debitum rependitur; ut enim scribit Apostolus ad Rom. Cap. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Alia est naturalis, supernaturalis alia. *Naturalis*, est quodvis beneficium ordinis naturalis gratis datum, ut v. g. creatio, conservatio &c. *Supernaturalis*, est beneficium ordinis supernaturalis, a Deo gratis datum. Supernaturalis, quæ sola simpliciter, & sine addito, gratia dicitur, duplex distinguitur: alia, quæ ex mera Dei liberalitate datur, non dignis quidem, sed nec positive indignis: talis fuit gratia Angelis & Adamo in statu innocentiæ data. Alia est, quæ ex pura Dei misericordia hominibus lapsis, & positive indignis datur, intuitu meritorum Christi. *Quid sit Gratia.*

99.

Chriſti Redemptoris?

99. Hæc gratia, quæ vocatur *Chriſti Redemptoris*, est donum Dei gratuitum, ſupernaturale, homini lapso conceſsum per merita Christi Domini in ordine ad vitam æternam. Dicitur 1mo *Donum gratuitum*, ut ostendatur eam non rependi præcedentibus operibus, ſed gratis dari. *Noto* tamen gratiam poſse habere etiam rationem remunerationis & mercedis, quando nimirum redditur operibus ex gratia elicitis; qua juxta Tridentinum Seſs. VI. Can. XXXII, justus bonis operibus meretur augmentum gratiæ. II. *Supernaturale*, nimirum tum quoad modum, tum quoad entitatem; quia transcendit omnium creaturarum ordinem & virtutem, hominemque Deiformem reddit. III. *Homini lapso conceſsum*, ut ostendatur, hanc gratiam maxime gratuitam eſse, quia inimico, & positive indigno conceſsa est. IV. *Per merita Chriſti*, ut distinguatur gratia medicinalis a gratia ſanitatis, ſeu Angelorum, & ſtatus innocentiæ, quæ juxta multos Theologos independenter a meritis Christi fuit conceſsa.

Quid gratis data, & gratum faciens?

100. Gratia Christi dividitur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Gratia *gratis data*, quia proprio & ſpecifico nomine caret, ſic vocata, & quia nomen generis tribui ſolet ſpeciei ignobiliori, est donum Dei, quod primario ad ſalutem & commodum aliorum confertur. Talia dona ab Apostolo I. ad Cor. Cap. XII. numerantur novem: ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, Fides, ſeu donum veritates fidei intrepide prædicandi & clare explicandi, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio ſpirituum, gratia linguarum, interpretatio ſermonum. Hæ gratiæ poſsunt absolute conferri hominibus etiam improbis; regulariter tamen non nisi justis & Sanctis conceduntur. Gratia *gratum faciens* dicitur illa, quæ primario ad propriam recipientis ſalutem confertur, & vi cujus ipse recipiens Deo gratus atque acceptus redditur, ſive formaliter, si ſit gratia habitualis ſanctificans, ſive dispositive ac præparatorie, si gratia ſit actualis.

Quid habitualis, & actualis?

101. Gratia gratum faciens alia est habitualis, alia actualis. *Habitualis* est, quæ confertur per modum habitus,

bitus, ſtabiliter ac permanenter. Talis præcipue est gratia ſanctificans, quæ nos constituit amicos, & filios Dei adoptivos, dignosque hæreditate Regni cœlestis, & alii habitus virtutum Theologicarum & moralium infusarum, ac dona Spiritus Sancti, quibus homo disponitur ad actus ſupernaturales. Gratia *actualis* est ea, quæ per modum motionis transeuntis nobis conceditur: *Externa* quidem gratia actualis ſunt doctrina Legis & Evangelii, exempla Christi & Sanctorum, aliaque innumera extrinsecus advenientia, quibus excitamur ad bonum agendum, & malum fugiendum. *Interna*, est illustratio ſupernaturalis in intellectu, & pia affectio pariter ſupernaturalis in voluntate, qua Deus hominem partim excitat, partim adjuvat ad bene & ſalutariter operandum.

Divisio gratiæ actualis.

102. Porro Gratia actualis triplex est. I^ma dicitur *operans*, *præveniens*, & *excitans*; estque ſupernaturalis a Deo immiſsa ſancta cogitatio, & indeliberata voluntatis motio, ſeu affectio qua homo vel a Deo aversus, vel in bono torpens excitatur; per quam illi apparet quod latebat, & ſuave fit quod non delectabat. Hos actus intellectus & voluntatis a Conciliis & Patribus Deus dicitur in nobis operari ſine nobis; quia in illis producendis non cooperamur libere, ſed ſolum indeliberate. II^da dicitur *adjuvans*, ſeu *cooperans*, & *concomitans*; estque illa, qua Deus actu adjuvat voluntatem ad consentiendum gratiæ excitanti, ſive ad ponendum actum ſalutarem. Potest autem gratia adjuvans ſumi dupliciter, I^mo pro actuali influxu, quo Deus cum voluntate humana producit actum liberum & ſalutarem: & ſic gratia adjuvans est realiter ipse actus ſalutaris. II^do potest ſumi pro auxilio, quod est natura prius ad actum ſalutarem, in quem hic & nunc actu influit: & ſic gratia excitans, in quantum perseverat dum actu ponitur actus ſalutaris, & ad hunc ponendum voluntatem corroborat, est ſimul gratia adjuvans. III^tia dicitur gratia *ſubsequens*, estque ſupernaturale Dei auxilium, quo firmatur voluntas in bono proposito, & adjuvatur, ut illud ad executionem perducat; in exe-

cutione enim major plerumque occurrit difficultas. Triplicem hanc gratiæ actualis divisionem manifestum est contineri in doctrina Tridentini Concilii, & S. Augustini. Tridentinum Sess. VI. Cap. VI. ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes &c.* Et Cap. XVI. *Quæ virtus in ipsos justificatos jugiter influit, bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* S. Augustinus Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. XVII. de Deo scribit: *Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et Lib. II. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. IX. *Ut incipiamus, dictum est, Misericordia ejus prævenit me; ut perficiamus, dictum est, Misericordia ejus subsequetur me.* Et Cap. X. *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia.*

CONTROVERSIA I.

DE GRATIA EFFICACI.

AN VIS ET EFFICACIA GRATIAE REPETI DEBEAT EX DELECTATIONE INDELIBERATA RELATIVE VICTRICE?

CONTRA JANSENIANOS.

Quid gratia efficax?

103. Gratia *efficax* vocatur illa, quæ non solum dat posse salutariter operari, sed ipsum etiam operari; seu quæ certam & infallibilem habet cum actu bono & salutari connexionem. Dari ejusmodi gratiam efficacem apud omnes in confesso est: at in quo consistat efficacia divinæ gratiæ, gravissima est controversia, non solum Catholicos inter & Sectarios, verum etiam inter ipsos Doctores Catholicos. Rei hujus difficultatem pridem agnovit S. Augustinus Lib. de Gratia Christi, Cap. XLVII. scribens: *Ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur*

Dei

Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Præter alios, huic ſcopulo allisus est Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus; cujus ſystema mechanicum, ſeu verius Manichaicum de delectatione cœlesti ac terrena, ob graduum ſuperioritatem trahente ſecum infallibiliter id quod magis delectat, exhibuimus Tomo IV. Num. 391. & ſequent.

104. Conclusio I. Vis & efficacia gratiæ repeti non potest ex delectatione cœlesti indeliberata, ſuperiore, ſeu per gradus relative victrice. Prob. Imo. Hoc ſystema evertit libertatem indifferentiæ, atque ex eo quinque famosæ propositiones Jansenii neceſsario fluxu dimanant, ut ostendimus Tomo IV. a Num. 393. ad Num. 404. Ergo cum fide certum ſit dari liberum arbitrium, & quinque illas propositiones eſse hæreticas, efficacia gratiæ repeti non potest ex delectatione indeliberata relative victrice. Prob. IIdo. Gratia, quantumvis efficax, non ſemper operatur in nobis delectationem ſtricte ſumptam, neque ea ſola ad bonam inclinamur & pertrahimur, ſed variis aliis modis. Ergo. P. A. Imo. ex Divinis Scripturis. Ecclesiastici Cap. I. dicitur: *Timor Domini expellit peccatum.* Jeremiæ XXXII. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut a me non recedant.* Matth. Cap. X. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſsunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Ad Philipp. Cap. II. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* Prob. idem antecedens II. Authoritate S. Augustini, & Discipulorum ejus. Serm. CCCXLVIII, alias CCXIV. de Tempore ait: *Cum timetur pœna, quam* (Deus) *minatur, discitur amari præmium, quod pollicetur; ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Lib. de Correptione & Gratia, Cap. V. *Non vis tua tibi vitia demonſtrari: non vis ut ferantur, fiatque tibi utilis dolor, quo Medicum quæras - - quasi laudanda, vel indifferenter habenda ſint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor.* S. Prosper in Lib. con-

Vis & efficacia gratiæ neque ex delectatione indeliberata relative victrice.

tra Collatorem, Cap. VII. *Trahit timor; principium enim ſapientiæ timor Domini. Trahit lætitia: quoniam Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi. Trahit desiderium: quoniam Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes: Quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & favum ori meo. Et quis perspicere aut enarrare poſsit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, esuriat; ac ſubito commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerunt, fiant aperta? - - - Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.*

105. Prob. III. Juxta doctrinam S. Augustini, voluntas habet in potestate ſua & delectionem qua determinatur ad operandum injuste, & delectationem qua determinatur ad juste operandum. Ergo cum talis non ſit delectatio indeliberata; neque enim voluntas in potestate ſua habere potest actus indeliberatos, ſystema hoc dici non potest Augustinianum, ſed Jansenianum. P. A. Serm. CLIX, alias XVII. de Verbis Apostoli ſcribit S. Doctor: *Juſtitia ſit delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectioni qua licite delectaris, præpone juſtitiam. - - Præ omnibus voluptatibus, hoc eſt, delectationibus etiam licitis, amanda eſt juſtitia. - - Præponite delectationem mentis. - - Mentem veſtram delectet juſtitia. - - Exhibuiſtis membra veſtra deliciis illicitis, peccatorum ſuavitate ducti eſtis, ut illa faceretis; ducat vos ad recta facta ſuavitas, & dulcedo juſtitiæ. Amate juſtitiam, quomodo amaſtis iniquitatem. Digna eſt juſtitia, quæ a vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuiſtis iniquitati.* Ergo juxta S. Doctorem voluntas nostra utramque delectationem tam bonam quam malam in potestate habet; alias inepta, inutilis, atque irrisoria foret adhortatio Augustini. Quis enim ſanæ mentis deterrebit, vel hortabitur homines ad id, quod illi ex antecedente & insuperabili determinatione operantur? Præterea modus, quo victrix Christi gratia contumacem hominis voluntatem frangit ac domat, ſemper Augustino visus est ad ex-

plican-

plicandum difficilis, nec alio ut rem explicet recurrit, quam ad omnipotentiſsimam Dei voluntatem: at vero in ſystemate Janseniano modus explicandi efficaciam gratiæ per cœlestem delectationem relative ſuperiorem, planus, facilis, apertus est, nihil abstrusum habet & intricatum. Quid enim mirum est minus pondus a majore trahi? Ergo modus explicandi efficaciam gratiæ per delectationem indeliberatam relative victricem, non est Augustinianus.

106. Prob. IV. In hoc ſystemate multa non poſsunt a Janſenianis explicari, quin ſibi manifeste contradicant. Ergo. P. A. Explicare non poſsunt 1mo. quomodo Angeli & Adamus peccare potuerint in tanta, qua perfundebantur, gratiæ delectatione. Etenim cum hæc cœlestis delectatio nulla contraria terrena oppugnaretur, non potuiſsent juxta Jansenium Angeli & Adamus in bono non perseverare. Hæc enim est lex delectationis, ut etiamsi levis fuerit; si tamen nulla contraria oppugnetur, neceſsario consensum voluntatis extorqueat. At certum est nullam in Angelis & Adamo innocente fuiſse delectationem terrenam, contrariam delectationi cœlesti, quia rebelli concupiscentia carebant: neceſse igitur fuiſset, Angelos & Adamum amare Deum, & in bono perseverare. IIdo. Explicare nequeunt, quomodo in ipsorum ſystemate gratia ſit ex ſe, ſeu ex natura ſua & intrinsece efficax; pro qua tamen intrinseca gratiæ efficacia, tamquam pro aris & focis decertant. *Prob.* In hoc ſystemate eadem entitas gratiæ in uno eodemque homine varie disposito modo victrix est, modo non victrix, prout major vel minor fuerit in ipso oppositæ delectationis, ſeu concupiscentiæ actualis resistentia. Ergo in hoc ſystemate quod gratia ſit victrix, ſive efficax, non provenit ex natura & vi gratiæ, ſed ex minori resistentia oppositæ delectationis, consequenter ab eo quod gratiæ est extrinsecum. III. Explicare non poſsunt quod affirmant, dari nempe discrimen intrinsecum inter gratiam victricem, & gratiam parvam. Nam eadem entitas cœlestis delectationis si concurrat cum concupiscen-

scentia fortiore, erit gratia ſolum parva, ſeu ineffi-cax; ſi vero cum minore concupiscentia confligat, erit victrix & efficax. Atqui majores vel minores concupiscentiæ terrenæ vires ſunt prorsus aliquid gratiæ extrinsecum. Ergo discrimen illud inter gratiam parvam & efficacem non est intrinsecum. IV. Explicare non poſsunt, quomodo justus ab injusto, electus a reprobo discernatur per gratiam. *Prob.* Si duo homines æquali prorsus gratia ſint instructi, ſed ita ut in uno delectatio cœlestis prævaleat terrenæ, in altero viciſsim terrena cœlesti: prior certiſsime ſuperabit tentationem, alter vero certiſsime ſuccumbet, & e ſtatu justitiæ excidet. Ergo cum uterque ponatur æqualem prorsus gratiam habere, ſola diversitas concupiscentiæ unum ab altero discernet.

Neque ex delectatione indeliberata, moraliter determinante ad actum bonum, repeti poteſt.

107. Conclusio II. Efficacia gratiæ reponi non potest in delectatione cœlesti indeliberata moraliter determinante ad actum bonum. Hæc Conclusio ſtatuitur contra quosdam Catholicos, qui Jansenianum ſystema adoptant, atque in eo unice differre videntur a Jansenio, quod velint voluntatem humanam præponderanti delectationi physice quidem resistere poſse, at non moraliter. Prob. Conclusio I^mo. Deus vi infinitæ perfectiouis ſuæ, ſcientiæ, & omnipotentiæ, debet habere medium infallibile, quo actum ſalutarem a creatura ponendum infallibiliter prævideat & obtineat. Ergo efficacia gratiæ non potest in ea delectatione reponi. P. C. Gratia illa est moraliter tantum connexa cum actu ſalutari, non autem neceſsario & infallibiliter. Ergo non est medium metaphysice infallibile, ſed tantum moraliter certum, quo Deus & prævidere & obtinere potest actum ſalutarem a creatura ponendum. Quod si vero adversarii verbis ludant, & moralis prædeterminationis nomine veram intelligant neceſsitatem, eamque physicam, iisdem refutantur rationibus, quibus ſuperiorem ſententiam impugnavimus, cum tali modo non nisi verbis ac phrasibus a Janseniauis differant. Prob. II^do. Dantur ſæpe gratiæ efficaces, quæ voluntati non imponunt neceſsitatem moralem ponendi actum

ſalu-

ſalutarem. Ergo hæc neceſsitas, aut determinatio moralis, non est de eſsentia gratiæ efficacis. P. A. ab experientia hominum etiam timoratæ conscientiæ, qui quandoque v. g. urgente vehementi tentatione, in venia inimicis danda, in toleranda gravi aliqua infamia &c. ſat magnam ſentiunt difficultatem, quamvis, divina gratia adjuvante, pravos animi motus ſuperent. At vero si gratia efficax cum morali neceſsitate victoriæ conjuncta eſset, luctam adeo difficilem illi non experirentur, ſed maximam in edomanda concupiscentia facilitatem. Prob. III. Absurdum est dicere, hominem in omnibus ſuis actionibus ſive ad bonum a gratia, ſive ad malum a concupiscentia moraliter neceſsitari. Sæpe enim experimur nos velle id efficaciter, quod minus nos indeliberate delectat: & viciſsim velle nos multa, ſine impoſsibilitate morali non volendi illa.

Argumenta contraria refutantur.

Adverſarii fruſtra authoritatem S. Auguſtini.

108. Objicitur I. contra 1mam Conclusionem, Authoritas S. Augustini. S. Doctor expreſse aſserit, voluntatem ſine delectatione moveri non poſse, & Christi gratiam eſse cœlestem ac victricem delectationem. Ergo ſystema Jansenii maximum habet in Augustini doctrina fundamentum. Prob. I. membr. Anteced. Lib. XXII. contra Faustum, Cap. XXVIII. ſcribit S. Augustinus: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius, quam refrænat.* Et Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt: hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Prob. II. membr. Anteced. Lib. II. de peccator. merit. & remiſs. Cap. XIX. ait: *Intelligamus, ſi poſsumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant non a ſe ipsis, ſed ab illo ſibi eſse lucem, qua illuminantur tenebræ eorum. - - Cum autem ab illo*

illius

illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat? R. N. A. in ſenſu Janſenii intellectum. Ad I. *prob.* C. A. N. C. In primo textu S. Doctor loquitur de delectatione deliberata; peccatum enim ſine complacentia mala de objecto illicito non patratur: At vero complacentia hæc mala cum ab homine ſuperari poſsit, nullam inducit antecedentem neceſsitatem peccandi. In altero textu loquitur quidem Auguſtinus de delectatione indeliberata, ſeu gratia excitante: ſed delectationis nomine non intelligit quod ſuave tantum ac delectabile eſt, verum etiam illud omne, quod invitat, quod trahit, quod prævenit voluntatem, idque opposite ad Pelagianorum errorem, quem eo in libro refutat. Sæpius enim Auguſtinus dicit, Deum ad ſe trahere homines variis modis, per timorem, amorem, dolorem &c. quin tamen liberum eorum lædat arbitrium. Tract. XXVI. in Jeannem ſcribit: *Trahit ſua quemque voluptas; non neceſsitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio.-- Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat; non neceſsitatem imponendo.* Ad II. *probat.* C. A. N. C. Nam I^mo. Auguſtinus *delectationis* nomine utendo, ab efficaci gratiæ motione, qua Deus hominum corda tangit, numquam excludere voluit alia omnia motiva timoris, doloris, turpitudinis peccati &c. Ut enim Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. V. ſcribit: *Sed quare iſti ſic, illi aliter, atque alii aliter, diverſis atque innumerabilibus modis vocentur ut reformentur: abſit ut dicamus judicium lutæ eſſe debere, ſed figuli.* II^do. Non loquitur de indeliberata, ut Janſenius, ſed deliberata delectatione, quæ nullam infert homini neceſsitatem. III. Vim & efficaciam gratiæ nullibi unquam repetit ex delectatione ac dulcedine relative, ac per gradus victrice. IV. Gratiam efficacem vocat *victricem*, non quia ſemper intenſione ſuperat concupiſcentiam, vel quia voluntatem physice determinat; ſed quia facit, ut voluntas libere vincat motus concupiſcentiæ, movendo voluntatem

tatem ſicut ei congruit, ut reipsa conſentiat, & agat bonum.

109. Dices I. Juxta S. Augustinum gratia idcirco est victrix, quia viribus ſuperior est opposita delectatione concupiscentiæ. Ergo. P. A. Lib. II. de peccat. merit. & remiſs. Cap. XVII. ſcribit: *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius.* Et in Expositione Epist. ad Galatas, Num. XLIX: *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Quem locum aureis ſcribendum eſſe characteribus ait Jansenius Lib. IV. de Gratia Christi, Cap. VI. R. N. A. *Ad prob.* C. A. N. C. S. Augustinus non loquitur de delectatione indeliberata, quæ ex objecto nascitur, omnemque antevertit rationis advertentiam, & voluntatis libertatem, qualem Jansenius intelligit; ſed loquitur de illa deliberata, quæ oritur ex libera voluntatis electione ac determinatione, ſecundum quam S. Doctor ait, neceſſe eſſe ut operemur, neceſſitate ſcilicet consequente liberam voluntatis determinationem, quæ in objecto proposito ſibi complacet, eique adhærescit; cui, si vellet, non adhæresceret. Hanc fuiſſe mentem S. Augustini patet 1mo ex iis libris, quos Janseniani nobis objiciunt. Lib. II. de peccat. merit. & remiſs. Cap. XVII. ſcribit S. Doctor: *Cum, voluntatem humanam gratia divina adjuvante, ſine peccáto in hac vita poſsit homo eſſe, cur non ſit, poſsem facillime ac veraciſsime respondere, quia homines nolunt: ſed ſi ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum.* Ergo juxta S. Augustinum delectatio illa, ſecundum quam hominem operari ait, est deliberata, profluens ex libera ipsius determinatione. In Expositione Epistolæ ad Galatas, post illa verba, *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*, illico ſubjungit: *Ut verbi gratia occurrit forma ſpeciosæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam*

quæ

quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per charitatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. Quis hic non palpet sermonem esse de delectatione deliberata? Non enim ait, *secundum id velimus*, sed *operemur necesse est.* Operari autem ex communi modo loquendi actionem indicat externam, quam communissime saltem præcedit deliberata delectatio, seu consensus, aut efficax voluntatis imperium. Accedit quod in Expositione ejusdem Epistolæ, Num. L. nos hortetur, ne illicitas delectationes sectemur: at vero actus indeliberati nequeunt esse materia hortationis, aut præcepti. Ergo loquitur de delectatione deliberata. IIdo. Si propositio illa S. Doctoris intelligatur de delectatione deliberata, verissima est, neque ab ullo rationis compote negari potest: si vero intelligi deberet de delectatione indeliberata, præterquam quod sic liberum hominis arbitrium everteretur, a S. Augustino invicte adversus Manichæos propugnatum, ipse S. Doctor sibi turpiter contradixisset. Etenim Lib. VIII. Confessionum, Cap. VIII. de se ipso scribit: *Non faciebam, quod incomparabili affectu mihi amplius placebat.* Quæ verba intelligi non possunt de delectatione deliberata, ut per se patet: ergo de indeliberata. Ergo indeliberata delectatio hominem non necessitat ad operandum; alias Augustinus fecisset quod ipsi magis placebat. III. S. Augustinus Expositionem Epistolæ ad Galatas conscripsit, cum adhuc esset Presbyter, circa A. 394, quo tempore in errore Semipelagianorum versabatur, ut ipse de se testatur Lib. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. III. Quomodo ergo potuit duos errores sibi oppositos tueri, nempe & nimium libero arbitrio cum Semipelagianis tribuere, simulque illud cum Jansenianis evertere?

110. Dices II. Verbum *delectare* significat delectationem indeliberatam: neque probari potest, quod Augustinus per to *delectare* unquam intellexerit amorem liberum. Ergo data a nobis responsio non subsistit.

R. N.

R. N. A. Quoad utrumque membrum. *Delectare* a Latinis paſsim usurpatur ad ſignificandam delectationem deliberatam, idemque *hoc me delectat*, ſignificat, quod *hoc mihi arridet*, *hoc mihi placet*, *hoc eſt meum beneplacitum*, *ſic juvat*, *ſic volo*. Augustinus vero tum in citato textu, ut prius ostendimus, tum etiam in aliis locis, quibus homines hortatur, ut virtute delectentur, intelligit deliberatam delectationem; nemo enim potest ſerio alios hortari ad id, quod non est in libera eorum potestate, ſeu quod indeliberatum est.

111. Objic. II. contra II. Conclusionem. Infirmitas argumenti. Quamvis gratia illa ſit tantum ſtricte moraliter connexa cum actu ſalutari, eumdem tamen infallibiliter post ſe trahit. Ergo Deus concedendo homini talem gratiam, habet infallibile medium, quo actum ſalutarem & prævideat, & obtineat. P. C. Homo habet potentiam physicam recreationis causa, vel exercendæ libertatis ergo, eruendi ſibi oculos, aut præcipitem ſe agendi ex fenestra: & tamen infallibiliter certum est, quod homo ſanæ mentis, ſolius recreationis aut exercendæ libertatis causa, numquam ſibi ſit oculos eruturus, aut præcipitem ſe acturus ex fenestra. Ergo a pari, quamvis homo ſtante illo auxilio habeat potentiam physicam diſsentiendi; Deus tamen infallibiliter prævidere & obtinere potest consensum. R. D. A. Consensum infallibiliter post ſe trahit, infallibilitate morali, C. A. Infallibilitate omnimoda, ac metaphysica, cui non potest ſubeſse falsum, N. A. Et D. C. Ergo Deus habet medium, quo consensum ſalutarem prævideat & obtineat certitudine morali, C. C. Certitudine infallibili, cui nullo modo potest ſubeſse falsum, N. C. Deus, cum omniscius & omnipotens ſit, neceſsario debet habere medium, quo certitndine ſumma, infallibili ac metaphysica, prævideat & obtineat consensum ſalutarem; quale medium certe non est delectatio illa indeliberata, moraliter tantum determinans ad actum ſalutarem. *Ad prob.* R. 1mo. Si verum eſset antecedens, quod nempe homo ſanæ mentis potentiam physicam habeat ſemetipsum interficiendi ſolius recrea-

Infirmitatem noſtri argumenti

creationis, aut exercendæ libertatis causa, nulla haberetur infallibilis, sed tantum moralis certitudo, eum violentas sibi manus numquam illaturum; adeoque paritas hæc nihil evinceret. R. II^do. Nego quod homo sanæ mentis physicam potentiam habeat ad ejusmodi actus, nulla rationabili de causa, sed mere ad recreationem & exercendam libertatem eliciendos. Nemo enim, quamdiu sanæ mentis est, potest aliquid velle, quin aliquam habeat, qua moveatur ad id amplectendum rationem, non quidem reipsa semper prudentem, sed tamen talem, qua objectum ipsi appareat bonum, etiam comparatum cum incommodis & difficultatibus, quibus circumdatur: non enim magis, immo fors minus animus in id ferri potest, quod non ut bonum ei proponitur, quam quod omnino ignoratur; neque voluntas in id potest tendere, quod ei ita malum objicitur, ut in eo nulla ratio boni comparate ad damna connexa eluceat. Jam vero qui fieri potest, ut v. g. Princeps, aut Rex potentissimus, sciens volensque, nudus per plateas currat, aut histrionis instar populum ad risum excitet? Qui fieri potest, ut rogitante amico, pedem sibi quis amputet, oculos sibi effodiat, aut ex alto præcipitem se agat, solius recreationis, aut exercendæ libertatis causa, nulla impulsus ratione, quam saltem ut honestam apprehendat? Cum igitur homo sanæ mentis cognitionem non habeat indifferentem, quæ rem proponat ut bonam etiam comparate ad alterum objectum, circa quod simul versatur electio, ad ejusmodi actiones minime liber esse censendus est. Neque obstat, quod multi præ desperatione violentas sibi manus inferant; vel enim sinciput illis graviter læsum est; vel mortem, licet erronee, apprehendunt tamquam bonam in illis circumstantiis, nimirum ut finem præsentium malorum, quibuscum conflictantur.

Ac paritatem obtendunt.

112. Objic. III. Patitas. Deus per gratiam suam eo modo operatur in cordibus, voluntatesque hominum moraliter determinat ad bonum, quo dæmon per concupiscentiam eas determinat ad malum. Atqui dæmon voluntates hominum per concupiscentiam moraliter

ter determinat ad malum, ſuaviter alliciendo. Ergo Deus per gratiam ſuam illas moraliter determinat ad bonum, blande ac ſuaviter attrahendo. R. T. M. D. m. Dæmon moraliter determinat ad malum ſuaviter alliciendo, quandoque, C. Semper, N. m. Multa ab hominibus perpetrantur peccata, non tam ex fragilitate, ac tentationum vehementia, quam ex malitia, a quibus facile poſsent abstinere. Quis ergo dicat, hominem, quoties peccat, moraliter ad peccandum determinari a concupiscentia, vel a dæmone? Pari modo fatemur, voluntatem a gratia efficaci moraliter determinari interdum, ut non ſine difficultate ei reluctari queat; at ſemper istud contingere omnino inficiamur. Ergo moralis hæc neceſsitas non est de eſsentia gratiæ efficacis; quia ſæpius datur gratia efficax, quæ conjunctam non habet hanc moralem neceſsitatem ponendi actum ſalutarem. Utimur itaque paritate ab adversariis allata, dicimusque; quemadmodum dæmon hominem tentando per concupiscentiam, quæ moraliter tantum ad malum determinat, non habet medium, quo infallibiliter certo prævideat & obtineat actum peccaminosum: ita etiam Deus, largiendo hominibus talem gratiam, quæ moraliter tantum est connexa cum actu bono, non haberet medium, quo infallibiliter certo prævideat & obtineat actum ſalutarem.

CONTROVERSIA II.

AN EFFICACIA GRATIAE REPONENDA SIT IN MOTIONE NECESSITANTE ATQUE IRREPUDIABILI: ET AN VOLUNTAS HUMANA RESISTERE NEQUEAT GRATIAE INTERIORI?

CONTRA LUTHERUM, CALVINUM, JANSENIUM.

Lutheri, Calvini, ac Janſenii errores.

113. Lutherus & Calvinus gratiam efficacem in tali auxilio excitante constituunt, quod voluntatem phyſice determinat, ſeu neceſsitat ad actum ſalutarem. Janſenius idem quoad ſubstantiam docuit; ait enim hominem indeliberata cœlesti delectatione ita affici, quando ſalutarem actum elicit, ut non poſsit in illis circum-

cumstantiis positus eam repudiare, aut illi ullo pacto resistere, ut constat ex II. ejusdem propositione damnata. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.* Et IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Totum itaque discrimen Calvini sententiam inter & Jansenii est, quod Calvinus necessitatem, quam juxta ipsum gratia infert, refundat in solam naturam gratiæ; Jansenius vero non eam repetat ex sola entitate gratiæ, sed prout hæc concurrit cum minore concupiscentia opposita. Cum vero animadverteret Jansenius, Lutheri & Calvini doctrinam damnatam fuisse a Tridentino, quod ex ea sequeretur, atque illi ultro admitterent, liberum hominis arbitrium amplius non dari: consecutionem hanc præfracte negavit, asseruitque illæsum in hoc suo systemate permanere liberum arbitrium, non libertatem a necessitate physica per illud intelligendo, sed solam libertatem a coactione. Verum Tomo IV. Num. 357. satis ostendimus, Jansenium solis vocibus a Calvino discrepare.

Quos renovavit Quesnellus.

114. Jansenii errorem propugnant illius asseclæ, quos inter Paschasius Quesnellus pluribus propositionibus inter proscriptas a Clemente XI. per Bullam *Unigenitus*, quorum aliquas exhibemus. IX. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum numquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus.* X. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* XI. *Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* XII. *Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.* XIII. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.* XVI. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti.* XXI. *Gratia JESU Christi est gratia fortis, potens,*

potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio omnipotentis.

115. Conclusio I. Efficacia gratiæ reponi nequit in motione voluntatem physice neceſsitante, irrepudiabili, & cui a voluntate resisti nequeat. Prob. Motio divina voluntatem physice neceſsitans, atque irrepudiabilis, tollit liberum hominis arbitrium. Ergo cum fide certum ſit etiam in ſtatu naturæ lapsæ dari liberum hominis arbitrium, ut ostendimus Tomo IV. a Num. 420, manifestum est, efficaciam gratiæ in ea motione non eſse reponendam. P. A. Ad liberum arbitrium non ſufficit libertas a coactione, ſed requiritur libertas a quacunque neceſsitate antecedente, & inimpedibili, ut iterum invicte ostendimus Tomo IV. a Num. 358. Atqui libertas hæc a neceſsitate dari non potest, ſiquidem voluntas afficiatur motione eam physice neceſsitante, atque irrepudiabili. Vide dicta Tomo IV. a Num. 399. *Efficacia gratiæ reponi non poteſt in motione voluntatem physice neceſsitante.*

116. Conclusio II. In ſtatu etiam naturæ lapsæ interiori gratiæ resisti potest, & ſæpe ab homine resistitur. Ex quo manifeste consequitur, delectationem indeliberatam non infallibiliter ſecum trahere actum bonum, adeoque efficaciam gratiæ non poſse in illa constitui. Antequam probetur Conclusio, id unum adhuc observo, juxta Jansenium gratiam ſemper eſse efficacem, non tamen ſemper victricem. Efficax ſemper est, quia ſemper omnem effectum obtinet, quem relative ad oppositam concupiscentiam obtinere potest: victrix ſemper non est, quia ſæpe minor, & gradibus inferior est opposita concupiscentia, ſeu delectatione terrena; ſicque plenum effectum ut aſsequatur, impoſsibile omnino est. *Hominem resiſtere poſse gratiæ interiori.*

117. Probatur jam Conclusio Imo Authoritate Scripturarum. Proverb. Cap. I. v. 24. *Vocavi*, inquit Deus, *& renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Ubi vocatio Dei ad justitiam, & extensio manus porrectum auxilium; pervicacia vero hominis divinæ gratiæ neglectum ſignificat, nisi quis eo venerit dementiæ & furoris, ut aſserere ausit, Deum mala fide *Docent Scripturæ.*

agere,

agere, atque homines decipere, vocando ad impoſsibile, & ſimulando ſe manum ad juvandum extendere. Isaiæ Cap. V. quærit Deus: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ergo gratiæ divinæ auxilium, neceſsarium ad cultarum ſpiritualis vineæ, ipsius ſolius vineæ vitio redditum est inutile. Matth. Cap. XXII. v. 3. Rex, qui filio ſuo nuptias fecit, *misit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Ubi ſub parabola Cœnæ magnæ & nuptiarum indicatur divina invitatio & vocatio ad fidem, ad justitiam & ſalutem, per auxilia divinæ gratiæ, quæ accipientium culpa ſæpe effectu carent, eoquod illis proterve resistatur. Matth. Cap. XXIII. ait Christus: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ergo gratiæ a Judæis ad justitiam & ſalutem amantiſsime vocatis, ſed congregari nolentibus, impeditæ fuerunt. Act. Cap. VII. v. 51. ait Stephanus ad Judæos: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto resiſtitis.* Ad Rom. Cap. II. v. 5. ſcribit Apostolus: *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Ergo gratiam interiorem, ſine qua nemo ad pœnitentiam adduci potest, peccatores convertere ſe nolentes rejiciunt. Denique Apostolus II. ad Cor. Cap. VI. ait: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quod non de ſolo gratiæ habitu, ſed etiam de actu intelligendum est; non enim gratiæ habitus diu ſine actu est in ratione utentibus. Frustranea autem foret exhortatio Apostoli, ſi quidem is cum Jansenio censuiſset, interiori gratiæ non poſse resisti.

Patres. 118. Prob. II. Authoritate Patrum, ex quibus non nisi paucos proferam, quod plures laudaverim Tom. IV. Num. 359. 360. 377. 421. 422. S. Chrysostomus Hom. XLVI. in Joan. ait: *Non vi & neceſsitate qua-*

quadam Deus bonos facere consuevit: neque electio ejus violenta est, sed suasoria; ut enim intelligas, non cogere vocationem, multos vocatos perire continget. Quamobrem constat in nostro esse arbitrio, an salvemur, an perdamur. Et Hom. XVI. in Epist. ad Rom. Cap. IX. *Unde igitur alii vasa sunt iræ, alii vero misericordiæ? Ex propria voluntate. Deus vero, quoniam bonus est, erga utrosque bonitatem suam declarat: nec enim eorum tantummodo quos salvavit; sed etiam quantum in se fuit, Pharaonis misertus fuit. Quod autem salvatus non est, totum per suam ipsius voluntatem stetit. Quantum ad Deum attinet, nihil ab illis, qui salvati sunt, minus habuit.* S. Augustinus Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXXIV. scribit: *His ergo modis* (suasionibus) *quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Libro LXXXIII. Quæstionum, Quæst. LXVIII. ait: *Nec illi debent sibi tribuere qui* (ad Cœnam Evangelicam) *venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Ergo vocati per gratiam, sed venire renuentes, restiterunt vocationi, ac consequenter gratiæ interiori. Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. X. hæc de Esau commemorat S. Doctor: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Sed Dei vocatio ab Esau contempta, cujus beneficio poterat velle & currere, atque ad æternam salutem pervenire, fuit gratia interior prorsus inefficax, cui restitit. Ergo ex S. Augustino datur nunc gratia interior inefficax, cui resistitur. Idem Lib. de Prædest. Sanctorum, Cap. XVI. *Non enim vocatione illa vocati sunt, de qua dictum est, Multi vocati; sed illa, qua vocantur electi.* Sed vo-

catio illa, qua vocantur electi, est efficax gratia interior, cui non resistitur ab electis. Ergo ex S. Augustino vocatio illa, qua vocantur non electi, seu reprobi, est interior gratia prorsus inefficax, cui a reprobis reipsa resistitur. Vide plura apud Laurentium Alticotium Parte I. Summæ Augustinianæ Quæst. IV. Artic. I.

Concilia. 119. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Tridentinum Sess. VI. Cap. V. ait: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, homo inspirationem illam recipiens, illam & abjicere potest.* Et Cap. XIII. *Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Ubi adjecta conditio, *nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint*, satis indicat, subinde contingere ut gratiæ dissentiamus. Sess. VI. Can. IV. *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum - - - neque posse dissentire, si velit, - - anathema sit.* Can. VI. *Siquis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere - - - anathema sit.* Et Sess. VI. Cap. XI. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Atqui Deus aliter deseri nequit ab homine, nisi hic gratiæ resistat, eamque abjiciat. Concilium Senonense A. 1528. habitum, Provinciale quidem tantum, sed maximæ authoritatis, Decreto fidei XV. ait: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; nec enim tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. - - - Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum Sanctum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.*

Pontifices, & Theologi. 120. Prob. IV. Authoritate Pontificum, Innocentii X. Alexandri VII, & Clementis XI, a quibus II. & IV. Jansenii Propositio, complures vero Quesnelli proscriptæ fuerunt: atque etiam Theologorum. S. Thomas Lib. IV. contra Gentes, Cap. LXX. scribit: *Bona Spiritus Sancti, quantum est de se, tantam habent virtutem, quod hominem sine peccato conservare possunt, neque homo peccare potest secundum ea vivens: potest*

autem

autem contra ea agere, & ab eis discendendo peccare. Et I, Parte, Quæst. LXII. Art. III. ad II. *Modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut libere feratur in ea quæ vult: & ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem; sed habens gratiam potest ea non uti, & peccare.* Quod idem est, ac gratiam respuere, eique resistere. Similia habent S. Bonaventura in II. Dist. XXVI. Quæst. ultima ad I. Scotus in I. Dist. XL. Quæst. unica. Albertus Magnus I. Parte Quæst. LXIII. Membr. III. Art. II. Et antiquiores Lovanienses, Hadrianus Quodlib. VII. Quæst. I. Joannes Driedo de Redempt. Generis humani, Tract. IV. Cap. II. Ruardus Tapperus Artic. VII. contra Lutherum, Propos. VII. Joannes Malderus in Antisynodicis, Cap. VIII. Vide plura apud Jacobum Fontaine in Constitutione *Unigenitus* Theologice propugnata, Tomo I. ad propositionem X.

Argumenta contraria refutantur.

121. Objicitur I^mo. Authoritas Scripturarum. Ezechielis Cap. XXXVI. v. 26. dicitur: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. - - Et faciam ut in præceptis meis ambuletis.* II. Joan. Cap. VI. v. 44. ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* III. Ad Philippenses Cap. II. v. 13. ait Apostolus: *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ergo gratia efficax necessitat voluntatem, atque ab ea repudiari nequit. R. C. A. N. C. Sensus verborum Ezechielis est hic: Dabo vobis auxilia congrua cœlestis gratiæ, quæ per scientiam mediam prævideo conjungenda cum consensu, atque adeo cum innovatione cordis, & observantia meorum præceptorum. Qua ratione aperte conciliantur citata verba cum verbis ejusdem Ezechielis Cap. XVIII. v. 31. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spi-*

Jansenia-ni frustra se tuentur authorita-te Scriptu-rarum.

ritum novum. Deus ergo, juxta Ezechielem, dat nobis cor novum & ſpiritum novum, & de lapideo corde facit carneum per ſuperna auxilia congrua: nos vero facimus in nobis cor novum & ſpiritum novum, divinæ gratiæ auxiliis libere consentiendo. Ad II. R. cum S. Augustino Tract. XXVI. in Joan. *Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſsitatem imponendo.* Ad III. R. Deum operari in nobis velle & perficere per gratiam excitantem congruam, de ſe repudiabilem, & per gratiam adjuvantem, qua voluntas libere consentiens gratiæ prævenienti adjuvatur: ex quo inferri minime potest, gratiam illam eſse neceſsitantem, ut observat S. Augustinus Lib. de Gratia & Lib. Arbitrio, Cap. IX. *Non enim, quia dixit, Deus enim eſt, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abſtuliſse putandus eſt. Quod ſi ita eſset, non ſuperius dixiſset, Cum timore & tremore veſtram ipsorum ſalutem operamini.* Ratio autem, cur Apostolus ſpecialiter Deo tamquam authori tribuat nostros actus ſalutares, affertur a S. Thoma Lib. de Præscientia & Prædestinatione, Cap. VI. *Omnis causa primaria plus influit in ſuum effectum, quam causa ſecunda, quia virtus & eſse causæ ſecundæ reducitur in causam primam, in cujus virtute operatur, & per hunc modum dicit Apoſtolus, quod Deus operatur in nobis velle & perficere.* Gratia vero est gratuitum Dei donum, quo excitamur & adjuvamur independenter a consensu libero nostræ voluntatis; estque ſimul maximum Dei beneficium, in cujus ſolius potestate est gratiam conferre congruam, & prævisam conjungendam cum consensu ſalutari, præ gratia quæ a Deo prævidetur incongrua.

Ecclesiæ. 122. Objic. II. Authoritas Ecclesiæ. Ecclesia in precibus ſuis, quæ in Miſsali Romano continentur, ita orat in Sacrificio Miſsæ: *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut in fide reperiantur ſtabiles, & in opere efficaces. Ad te noſtras etiam rebelles compelle voluntates. Omnium noſtrum ad te corda converte. Junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, &*

in

in nullo deviemus a vero &c. R. I. Ecclesia, quæ est optima verborum suorum interpres, gratiam necessitantem & irrepudiabilem damnavit in Calvino & Jansenio. Ergo frustra Novatores confugiunt ad preces Ecclesiæ. R. II. C. A. N. C. Per illas formulas petimus a Deo, ut conferat gratiam congruam, quam prævidet conjungendam cum consensu ac salutari operatione. Hæc autem gratia congrua, quamvis nullam hominibus antecedentem & absolutam necessitatem imponat, eique humana voluntas resistere possit, reddit nos stabiles, & in opere efficaces, corda nostra ad Deum convertit, jungit nos Deo, præstat ut non deviemus a vero, & ad Deum nostras voluntates compellit, id est, efficaciter movet, ut voluntas nostra e nolente bonum fiat volens.

Ac S. Augustini.

123. Objic. III. Authoritas S. Augustini. S. Doctor Lib. de Gratia Christi, Cap. XXIV. asserit dari in Deo potestatem, *qua operatur in humanis cordibus etiam bonas voluntates.* Eam ipsam potestatem Lib. I. contra duas Epist. Pelagianorum, Cap. XX. appellat *occultissimam, & efficacissimam, quæ convertit & transfert corda hominum.* Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XIV. *Inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem.* Lib. de Prædestinatione SS. Cap. VIII. gratiam efficacem dicit esse eam, *quæ a nullo duro corde respuitur.* Ergo juxta Augustinum gratia efficax est necessitans, & irrepudiabilis. R. C. A. N. C. Deus operatur in nobis bonas voluntates, non quia illas formaliter & immediate determinat, quod proprium est solius libertatis creatæ; sed quia nos vocat ad salutariter operandum vocatione congrua, sub qua, si per illam vocemur, prævidet nos consensuros: de qua vocatione loquens idem S. Doctor Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. ait: *Ut velimus, suum esse voluit, & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo.* Reliquæ expressiones, quibus Augustinus potestatem flectendi corda commendat, eam appellando omnipotentissimam, occultissimam, efficacissimam, aliud non significant, quam plenissimam Dei potestatem flectendi fortiter & suaviter hominum voluntates

luntates, quamtumvis rebelles, ad conversionem ac salutares operationes, atque in illas Deum supremum habere dominium. Hanc autem potestatem Deus habet per hoc, quod in thesauris suæ omnipotentiæ in promptu habeat innumeras vocationes, & mirabiles occultosque modos convertendi hominum corda, per quos cum præsciat, si iis uti decreverit, futurum esse ut convertantur, conversionem infallibiliter obtinet, quotiescunque voluerit. Hi quippe modi, sub quibus prævidet futuram esse conversionem, sunt infallibiles ob infallibilitatem divinæ præscientiæ, ad quam Augustinus recurrit, quotiescunque de vocatione efficaci sermonem habet.

124. Dices I. S. Augustinus Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. XIII. scribit: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominum potestate, ut frustra ille misereatur, si homines nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Atqui hæc falsa essent, si gratia efficax non esset necessitans & irrepudiabilis. Ergo. P. m. Homo sola malitia voluntatis posset resistere omnibus auxiliis, eaque inefficacia reddere. Ergo si talis homo nollet consentire, Deus frustra misereretur, quod tamen juxta Augustinum fieri non potest. R. C. M. N. m. Ad *prob.* diversa est Theologorum responsio. Aliqui respondent 1mo, dari respectu cujuslibet voluntatis creatæ metaphysicam quamdam, ac vagam necessitatem, ut aliquibus saltem auxiliis indeterminate sumptis, ex possibilibus infinitis, consentiat; hancque necessitatem fundari putant immediate in essentiali subordinatione creaturæ ad Deum; radicaliter autem in ipso Dei dominio, quod exigere videtur, ut potestatem habeat flectendi creaturam modo ei proportionato, hoc est, libero. Neque propterea, ajunt, necessitatem hanc obesse libertati creaturæ; tum quia aliquibus tantum auxiliis indeterminate acceptis consentire deberet, a parte rei autem cuilibet determinato auxilio dissentire posset: tum quia hoc ipso, quod omnia possibilia auxilia neque

que ſint ponenda, neque poni poſsint, nulla inferretur neceſsitas consensus etiam quoad modum; cum neceſsitas tota fundetur in omnibus auxiliis ſyncategoramatice infinitis, quæ omnia cum numquam dari poſsint, numquam etiam existet metaphysica illa neceſsitas completa & absoluta.

125. Alii respondent IIdo, poſse in alia providentia dari creaturam, quæ omnibus auxiliis indifferentibus resisteret: neque ſpectare ad dominium Dei, ut in omni providentia ab omni creatura obtineat liberum consensum, ſed ſufficere, quod illum obtinere poſsit per media neceſsitantia. Hæc enim impotentia obtinendi a creatura consensum liberum per media indifferentia, eſset ſolum consequens liberrimum Dei decretum, quo creaturæ voluit libertatem relinquere; ſicut non obest perfectiſsimo dominio Dei, quod gloriam cœlestem nunc negare non poſsit homini justo; quia nimirum est impotentia ſolum consequens liberrimum Dei decretum, quo promisit homini gloriam ſub conditione onerosa, si per bona opera ſe illa dignum reddat. In hac vero providentia, ſeu præsenti rerum ordine, de quo ſolum loquitur Augustinus Quæst. II. ad Simpliciianum, ajunt citati authores, non poſse creaturam dari, quæ licet poſset diſsentire potentia antecedente liberam ſuam determinationem a Deo prævisam, actu omnibus auxiliis eſset diſsensura; idque colligi volunt ex Scriptnra, in qua Deus revelavit, quod corda voluntatesque hominum in ſua habeat potestate, ut Proverb. Cap. XXI. *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud:* Adeoque implicite etiam revelavit, nullam creaturam a ſe producendam in hac providentia, quæ non ſit aliquibus ſaltem auxiliis consensura. Atque hæc ſecunda responsio ſolida, expedita, ac paucioribus tricis obnoxia mihi videtur. Hinc *ad prob.* Resp. D. A. Homo poſset resistere omnibus auxiliis in alia providentia, C. A. In hac providentia, ſubdist. Potentia antecedente liberam ſuam determinationem a Deo prævisam C. Potentia consequente, & ad actum reducenda, N. A. & Conseq. Si

Deus

Deus prævidiſset creaturam omnibus auxiliis restituram, eam in hac providentia non produxiſset. Ergo impotentia ex parte creaturæ resistendi actu omnibus auxiliis, est mere consequens liberum exercitium creaturæ a Deo prævisum; consequenter nullam importat neceſsitatem antecedentem, & proprie talem.

126. Dices II. S. Augustinus docet dari veram ac determinatam neceſsitatem consentiendi gratiæ. Ergo docet gratiam neceſsitantem. P. A. Lib. de Correpț. & Gratia, Cap. XII. ſcribit: *Prima erat perseverantiæ poteſtas, bonum poſse non deserere; noviſsima erit perseverantiæ felicitas, bonum non poſse deserere.* Ergo juxta Augustinum, inter gratiam datam Adamo ad perseverandum in ſtatu innocentiæ, & eam quæ nunc datur electis ad perseverandum in ſtatu gratiæ, id discrimen est, quod prior fuerit indifferens, posterior vero determinans ſit, & neceſsitans. R. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Augustinus non loquitur de perseverantia electorum in hac mortali vita, ſed de perseverantia Beatorum in altera vita, ſeu de impeccabilitate, qua Beati fruuntur in cœlis; nam immediate ante verba laudata ſcribit S. Doctor: *Prima immortalitas erat poſse non mori; noviſsima erit multo major, non poſse mori: Prima erat perseverantiæ poteſtas &c.* Clare itaque apparet, ſtatum innocentiæ non hic opponi ſtatui naturæ lapsæ, in quo peccamus, & morimur; ſed ſtatui gloriæ, in quo mors non erit amplius, & in quo electi erunt prorsus impeccabiles.

127. Dices III. S. Augustinus docet, gratiam quæ prædestinatis in hac vita conceditur, repudiari ab illis non poſse. Ergo. P. A. Lib. de Correpț. & Gratia, Cap. XII. ſcribit: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* R. N. A. Ad *prob.* R. 1mo locum hunc Augustini immutatum fuiſse a Baji discipulis, qui Lovaniensem Augustini editionem curarunt. Ut enim observat Scipio Maffejus

Hist.

Hist. Theol. Lib. XII, prima libri hujus editio Basileæ facta, quæ proinde tota e Manuscriptis certissime desumpta est, legit *inseparabiliter*, non *insuperabiliter:* ita & secunda habet Basileensis, & Erasmiana, quæ alia iterum, Veneta, Parisina, aliarumque Civitatum Manuscripta consuluit. Ita legit semper Calvinus, in cujus rem vel maxime fuisset To *insuperabiliter:* & nullibi hæc vox hac in materia legitur usurpata ab Augustino. Verum quamvis transmitteretur, locum illum a Lovaniensibus corruptum non fuisse, Resp. II^do. N. C. Si ibi de gratia actuali sermo est, quod Janseniani & Calviniani contendunt perperam, ut in responsione III. ostendemus, sensus foret, hominem hac gratia roboratum a tentationibus superari, aut a via mandatorum Dei declinare non posse, nisi ipse velit, eo fere modo, quo S. Chrysostomus Hom. IV. in Genes. scribit: *Adamante duriores nos fecit divina gratia, atque omnino inexpugnabiles, si velimus:* minime autem significatur, quod insuperabilitas hæc sit gratiæ intrinseca & antecedens determinationem nostram, aut libertatis indifferentiæ eversiva. Hanc certe insuperabilitatem nullibi agnovit Augustinus, ut tum ex aliis innumeris locis, tum ex Lib. II. contra litteras Petiliani, Cap. LXXXIV. patet: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortasse eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est: sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Neque dicas, etiam gratiam mere sufficientem tali modo indeclinabilem & insuperabilem dici posse, si nimirum creatura velit. Quamvis enim gratiæ pure sufficienti conveniat illud *insuperabiliter*, & *indeclinabiliter* in sensu explicato, eidem tamen non convenit alterum, quod scilicet voluntas *agatur* per gratiam pure sufficientem: *Ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Nam juxta phrasin Augustinianam voluntas tunc solum agitur a gratia, quando gratia est talis, ut reipsa effectum suum, & consensum voluntatis obtineat.

128.

128. Resp. III. ac præcipue, Augustinum ibi loqui de dono perseverantiæ finalis, ſeu de ipsa conjunctione mortis cum ſtatu gratiæ, vi cujus Deus ita ordinat ac disponit causas naturales, ut mors contingat eo ipso tempore, quo prædestinatus est in ſtatu gratiæ. Hoc vero finalis perseverantiæ dono homo indeclinabiliter & insuperabiliter agitur, atque ad ſalutem perducitur: tum quia in hominis potestate non est, ut non rapiatur tunc, quando est in gratia, ſive ſuppoſito ſtatu gratiæ: tum quia post mortem peccare amplius non poest, ac felicitate ſua excidere. Hinc Augustinus infert, quod finalis perseverantia in ſtatu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, ſit ſpeciale Dei donum, quod locum non habuiſset in ſtatu innocentiæ. In illo enim ſtatu, cum homo morti obnoxius non fuiſſet, perseverantia non debebat compleri per mortem, ſed exigebat tantum omiſsionem cujuslibet actus peccaminosi: contra in præsenti ſtatu finalis perseverantia in bono non tantum per omiſsionem actus peccaminosi, verum etiam per mortem habetur eo tempore obitam, quo homo est in ſtatu gratiæ. Ut autem mors tali tempore contingat, vel non contigat, non est in hominis potestate, ſed in ſolius Dei arbitrio positum, qui terribili quidem, ſed justo decreto mortem reprobis immittit eo tempore, quo ex malitia ſua in ſtatu eſse peccati; contra vero ex peculiari benevolentia & favore indebito prædestinatos rapi pro his circumstantiis, quibus eos in ſtatu gratiæ eſse cognoscit. Quare Augustino non ibi ſermo est de auxilio gratiæ actualis, ſed de dono perseverantiæ finalis dato electis in ſtatu naturæ lapsæ, ut ipse Augustinus testatur Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. VI, in quo querelas comprimit Presbyterorum Maſsiliensium librum de Correptione & Gratia carpentium, de quibus certior factus fuerat ab Hilario. Hæc igitur tota vis est & ſignificatio verborum illorum *indeclinabiliter, & insuperabiliter;* quæ non ad gratiam ſunt referenda, quasi gratia naturæ infirmæ indeclinabilis & insuperabilis ſit a voluntate; ſed ad ultimam referenda ſunt prædestinati hominis voluntatem,

tem, quatenus hæc dono perseverantiæ finalis munita atque firmata est; ideoque a justitia declinare amplius non potest, neque ab adversitate ulla deinceps superari. Donata enim sibi finalis perseverantiæ gratia, electi non amplius in via, sed in patria sunt, ubi nisi perseverantes esse non possunt.

129. Dices IV. Idem S. Doctor Lib. de Correptione & Gratia, Cap. VIII. scribit: *An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset? quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet. - - - Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Ergo gratia repudiari ab homine non potest, sed ab illo consensum necessario extorquet. R. N. C. Christo orante, ut Petro daretur gratia congrua, fieri non poterat ut non daretur: hac autem data, necessario consentiebat Petrus, necessitate nimirum consequente; quippe quam ipse fecit libere consentiendo gratiæ, cui potuisset non consentire, si voluisset. Potuisset igitur Petrus indirecte facere, ut hæc gratia nec prævisa fuisset efficax & congrua, & ne in his circumstantiis data fuisset.

Frustra obtendunt discrimen gratiæ medicinalis, & sanitatis.

130. Objic. IV. Discrimen gratiæ medicinalis & sanitatis. Juxta Patres, præcipue Augustinum, ingens datur discrimen inter gratiam medicinalem, quæ ex meritis Christi datur homini in statu naturæ lapsæ, & inter gratiam sanitatis quæ data fuit naturæ integræ & innocenti. Atqui discrimen hoc in eo præcipue fundatur, quod gratia sanitatis pendeat a libero voluntatis nutu; medicinalis vero non ita pendeat, quia liberum hunc nutum habere amplius non potest voluntas, utpote per peccatum originale omni indifferentia activa spoliata. Ergo. R. C. M. N. m. Medicinalis gratia multis capitibus, juxta Augustinum, differt a gratia sanitatis; at non in eo, quod Protestantes & Jansenistæ obtendunt. Differt igitur 1mo, quia gratia medicinalis ad perseverandum datur electis propter merita Chri-

Christi: Adamo vero in ſtatu innocentiæ, juxta Augustinum, data fuit independenter a meritis Christi. IIdo. Gratia Adamo data ad perseverandum, lætior erat propter conjunctum integritatis donum, vi cujus immunis erat a concupiscentiæ motibus: contra medicinalis gratia, ob pugnam carnis adversus ſpiritum, non ita læta est. III. Gratia ſanitatis Adamo collata vere quidem ſufficiens fuit ad perseverandum, ſed tamen incongrua: gratia vero medicinalis quæ datur electis ad perseverandum, congrua est; quia datur illis quomodo aptum est ut velint, & consentiant: unde non ſolum poſsunt velle & consentire, ſed etiam re ipsa volunt & consentiunt. IV. Gratia medicinalis, quæ datur electis ad perseverandum, non ſolum est ſupernaturalis illustratio mentis; ſed etiam cœlestis delectatio indeliberata voluntatem afficiens & corroborans, qua fit ut pateat quod latebat, & ſuave fiat quod antea non delectabat. Contra gratia Adamo collata in ſtatu innocentiæ ad perseverandum, fuit tantum gratia illustrationis, & quidem incongrua, licet vere ſufficiens. V. Gratia medicinalis, quia malis ex peccato Adami ortis medetur, est potentior gratia ſanitatis: potentior est autem non propter vim voluntatem irresistibiliter flectendi, ac neceſsitandi; ſed quia voluntatem ſomnolentam excitat, jacentem erigit, infirmam ſanat: quia non ſolum ostendit bonum faciendum, & malum vitandum, ſed etiam ad utrumque vires efficaciſsimas ſuppeditat, voluntatem excitando & inclinando, quomodo ei congruit, ut invictiſsime velit. VI. Gratia Adamo data, fuit tantum adjutorium ſine quo non poſset permanere, & quocum permaneret, si vellet, in ſtatu innocentiæ: gratia vero quæ electis datur ad perseverandum, est *adjutorium quo*, ſeu ipsa finalis perseverantia, qua accepta non poſsunt non perseveraſse.

131. Dices I. S. Augustinus gratiam ſanitatis vocat *Adjutorium ſine quo non*, medicinalem vero *Adjutorium quo*. Sed per adjutorium *ſine quo non* intelligit gratiam repudialilem, & per *adjutorium quo* gratiam neceſsitantem. Ergo. P. m. Lib. de Corrept. & Gratia,

tia, Cap. XII. ita ſcribit S. Doctor: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipsum bonum non deserere, datum eſt adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perseverare non poſſet. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, ſed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non ſolum ut ſine iſto dono perseverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes ſint.* Ergo per adjutorium *ſine quo non* intelligit Augustinus gratiam repudiabilem, & per adjutorium *quo* gratiam neceſsitantem. R. I^mo. N. M. universaliter ſumptam. Non ibi loquitur Augustinus de qualibet gratia ſanitatis, & de qualibet gratia medicinali; ſed ſolum gratiam datam Adamo ad perseverandum in ſtatu innocentiæ opponit dono perseverantiæ finalis dato electis in ſtatu naturæ lapsæ: ſeu non loquitur ibi de gratia actuali, ſed de ipsa formali perseverantia finali. Colligitur id manifeste I^mo ex verbis ipsius Augustini, qui exposita Capitis XII. doctrina, initio ſtatim Capitis XIII. ſcribit: *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* Paulo ante, nimirum Cap. X. ait: *Quæritur a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine ſentiamus, qui certe ſine ullo vitio factus eſt rectus.* Et Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. VI. loquens de *adjutorio quo*, cujus mentionem fecerat Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XII, ſcribit: *De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem: quæ ſi data eſt, perseveratum eſt usque in finem; ſi autem non eſt perseveratum usque in finem, non eſt data.* II^do. Quia hoc adjutorium *ſine quo non* numquam ab Augustino vocatur *inspiratio*, aut *vocatio*, quibus tamen verbis alias S. Doctor utitur ad ſignificandam gratiam actualem. III. S. Augustinus numquam dicit Adamum restitiſse, aut abjeciſse hoc adjutorium, prouti tamen & Patres & Theologi loquuntur de gratia actuali, cui homo non consentit.

sentit. IV. Augustinus de hoc adjutorio *ſine quo non* loquens ea adhibet verba, quæ gratiæ actuali nullo nullo modo convenire poſsunt; ait enim: *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet.* At quis umquam hominum dicet, Adamum potuiſse in inspiratione, vel illustratione permanere si voluiſset, aut eam deserere potuiſse, quæ ex hominis arbitrio non pendet, quod indeliberata ſit? V. Non potuit ab Augustino per adjutorium *quo* ipsa gratia actualis intelligi, quam Deus prædestinatis largitur. Nam præter infantes, qui post baptismum moriuntur, antequam Deum cognoscere & amare valeant, plures adulti apoplexia aut lethargo oppreſsi æternam adipiscuntur ſalutem, quin in ultimo illo articulo gratiæ actualis excitantis ſint capaces. Ergo juxta Augustinum per auxilium *quo* non intelligitur qualiscunque gratia actualis, ſed ipsa finalis perseverantia, ſive conjunctio mortis cum ſtatu gratiæ.

132. R. II^do. Nego etiam min. Ad *probat.* N. C. Quamvis daretur, quod tamen falsum eſse ſuperius ostendimus, Augustinum per adjutorium *quo* intelligere gratiam efficacem actualem, & per adjutorium *ſine quo non* gratiam ſufficientem, neutiquam tamen ſequeretur, gratiam efficacem, quæ homini in ſtatu naturæ lapsæ & reparatæ conceditur, ejus eſse naturæ, ut hominem neceſsitet, aut cui resisti non poſsit; cum absque ejusmodi motione neceſsitante optime explicari poſsit efficacia gratiæ, ut ſequente Controversia expendemus.

133. Cornelius Jansenius Iprensis ubique fere partitionem illam auxilii *quo*, & *ſine quo non* obtrudit, & ſeptuagies ſupra centies discrimen duplicis illius adjutorii in Libro de Corrept. & Gratia commemorati inculcat. Quapropter Lib. de Gratia primi hominis & Angelorum, Cap. XVII. ſcribit, distinctionem auxilii *quo* & *ſine quo non*, eſse *clavem, qua auditus in ſcripta ejus* (S. Augustini) *aperitur; & ſine qua qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie: eſse filum, ſine quo e labyrintho ſcriptorum ejus exitus non invenitur.* Nimirum duplex adjutorium illud *quo* & *ſine quo non*,

de

de quo Augustinus primum in commemorato opusculo, nec copiose admodum disputavit, in hanc spem Jansenium indixit, ut crederet, artificio adjutorii *quo* & *sine quo non*, errores suos facile se posse tueri, id est, pro statu naturæ infirmæ non aliam dari gratiam, nisi efficacem: sufficientem autem, quæ vere, proprie & semper ad actum perfectum sufficiens sit, nullam omnino esse. Item talem esse efficacem gratiam, ut humana voluntas nequeat illi vere & proprie resistere. At si bona fide egisset Jansenius, remque paulo attentius consideraſset, facile advertisset divisionem illam auxilii *quo* & *sine quo non*, clavem non esse, qua universa Augustini de libero arbitrio & divina gratia doctrina reseratur. Quod sic ostendimus.

134. Augustinus librum illum de Correptione & Gratia scripsit anno fere 427, nimirum quindecim annis postquam bellum Pelagianis intulerat, quibuscum dimicare cœpit anno 412, editis libris tribus de peccatorum meritis & remissione: octo vero annis postquam Pelagianum bellum confectum est, quod contigit A. 418, quando toto Christiano orbe, Zosimo Pontifice Maximo, Pelagiani damnati sunt. Itaque quæro a Jansenio, quænam causa fuerit, cur S. Augustinus quindecim annos occlusam in arcula sacra doctrinæ suæ occultaverit singularem clavem illam, maxime necessariam ad aperiendum aditum ad clausum ærarium divinæ gratiæ: totidemque annos, id est, quindecim, admirabile filum illud convolutum in glomum non explicaverit, sine quo, ut verbis Jansenii utar, e labyrintho scriptorum Augustini nemo exitum poterat invenire? Atqui clavis illa, illud filum, fervente cum Pelagianis de divina gratia certamine, quam maxime opportuna erant, quinimo necessaria, ut ex Augustiniana arca depromerentur: minus vero utilia, vel potius intempestiva, fusis jam dudum fugatisque divinæ gratiæ hostibus Pelagianis. Dicendum igitur erit, Jansenio authore, quando maxime necesse erat, ut clavis illa & illud filum depromerentur, tum ea vel ignoraſse Augustinum, vel occultaſse. Cum autem minus

nus facto opus erat, tum primum ea deprompsisse Augustinum. Sed multo etiam mirabilius est, quonam modo tot Romani Pontifices, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, tot frequentissima Episcoporum Concilia habita in causa Pelagiana, sine illa clave siloque illo potuerint Pelagianam hæresin, quæ ad divinam gratiam potissimum pertinebat, cognoscere, refellere, confutare, damnare. Certum exploratumque est Romanos Pontifices, & Episcopos Africanos in ferendo judicio de hæresi Pelagiana, S. Augustini contra Pelagianos scripta consuluisse. At opusculum de Correptione & Gratia, in quo illa clavis silumque illud primum apparuit, nondum, non dico Augustinus ediderat, sed ne cogitaverat quidem. Itaque sine illa clave siloque illo, si Jansenio fides habenda est, necesse erat, ut Romani Pontifices, Africanique Præsules in Pelagiano judicio *vel cæci palparent in meridie: & e labyrintho scriptorum Augustini* numquam elaberentur. Qui igitur fieri potuit, ut in meridie cæci palpantes, & in labyrintho gressu erratico titubantes, hæresin Pelagianam oppresserint? Vide Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ Parte V. Quæst. II. Art. II.

135. Dices II. Quamvis Augustinus loco cit. loquatur de perseverantia, per adjutorium *quo* tamen non intelligit ipsam formalem perseverantiam, sive conjunctionem mortis cum statu gratiæ, sed causam illius efficientem, nimirum gratiam actualem, quæ ipsam perseverandi voluntatem certo & efficaciter in ipsis prædestinatis operatur. Ergo. P. A. Perseverantia formalis non est proprie adjutorium. Ergo de illa S. Doctor non loquitur. R. N. A. Quod Augustinus per adjutorium *quo* prædestinatis concessum intelligat ipsam formalem perseverantiam patet Imo ex verbis Augustini cit. Cap. XII. *Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis tale adjutorium perseverantiæ datur, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Et Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. VI. fusius explicans ea, quæ in Lib.

de

de Correpț. & Gratia de perseverantia ſcripserat, ait: *De illa enim perſeverantia loquimur, qua perſeveratur usque in finem: quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt usque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum usque in finem, non eſt data.* 1.do. Quia S. Doctor Lib. de Correpț. & Gratia, Cap. XII. adjutorium *quo* electis conceſsum ad perſeverandum comparat beatitudini formali: *At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Qua propter hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus; & ſi data numquam fuerit, numquam erit.* Ergo quemadmodum beatitudo forma est, qua fit, & ſine qua non fit homo formaliter beatus: ita perſeverentiæ adjutorium *quo* ea forma est, qua fit, & ſine qua prædestinatus non fit formaliter perſeverans in fine. Ad *prob.* T. A. N. C. Neque beatitudo formalis proprie ac ſtricte loquendo est adjutorium; & tamen S. Augustino placuit eam ſic vocare. Formalem itaque perſeverentiam, ſeu conjunctionem mortis cum ſtatu gratiæ, adjutorium vocat Augustinus, quia est medium, quo Deus electos efficit formaliter perſeverantes. Unde S. Doctor adjutorium ſumit pro eo, quo aliquid fit, ſive efficienter, ſive formaliter.

136. Dices III. S. Augustinus Lib. de Correpț. & Gratia, Cap. XI. docet, quod in ſtatu naturæ innocentis perſeverantia fuiſset meritoria; in ſtatu naturæ lapsæ vero ſit donum gratuitum, nullatenus meritorium. Ait enim: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Atqui hujus nulla ratio dari potest, niſi quia gratia primo homini collata libertatem indifferentiæ non læsit; gratia vero prædestinatis conceſsa neceſsitatem conſentiendi inducit. Ergo. R. Imo. Si argumentatio legitima est, Janseniani admittere debebunt, nulla in hac providentia dari merita hominis, eoquod absque gratia irrepudiabili, juxta

ipsos, nullum opus bonum exerceri valeat. R. II^do. C. M. intellectam de perseverantia finali complete ſumpta. Et N. m. In ſtatu innocentiæ, quo homo morti obnoxius non erat, perseverantia finalis consistebat in aliquo actu bono libero, quo posito homo beatitudinem ſtatim aſsequi poterat. At vero in ſtatu naturæ lapsæ finalis perseverantia completa non consistit tantum in actu voluntatis, ſed in ipsa morte in ſtatu gratiæ obita, quæ donum est gratuitum, pendens a ſolo Deo. Hinc quamvis homo libere consentiendo gratiæ cœlestem gloriam vere mereatur; mortem tamen ipsam ſubeundo, a Deo in illis circumstantiis immiſsam, de ſe, & præscindendo ab actibus virtutum qui occasione mortis elici ſolent, nihil meretur, quia mors est independens a voluntate hominis. Igitur perseverantia finalis complete ſumpta, prout dicit mortem in ſtatu gratiæ, meritoria non est in ſtatu natu naturæ lapsæ, non ob irrepudiabilem gratiæ naturam, ſed ob mortis a Deo, quando illi libuerit, immittendæ neceſsitatem.

137. Dices IV. S. Doctor in eodem libro de Corrept. & Gratia, Cap. XII. aſserit, Adamum peccando amisiſse merita, de quibus gloriari potuiſset in ſtatu innocentiæ; ideoque prædestinatos in ſtatu naturæ lapsæ non de meritis ſuis, ſed tantum de gratia liberantis gloriari poſse. Ergo putavit Augustinus Adamum peccando amisiſse libertatem cum gratia repudiabili determinandi ſe ad bonum: adeoque electos indigere ad id gratia neceſsitante. R. N. C. Augustinus vult tantum in utroque quidem ſtatu, tam innocentis naturæ quam lapsæ, opera bona fuiſse ſimul merita hominis & dona gratiæ: cum etiam Adamus in ſtatu naturæ innocentis indiguerit ſupernaturali illustratione, qua excitaretur ad ſalutariter operandum: verumtamen in ſtatu naturæ lapsæ merita hominis potiori jure dona gratiæ eſse, quam in ſtatu naturæ innocentis; quia Adamus creatus a Deo fuerat in ſtatu gratiæ ſanctificantis, ratione cujus jus habebat ad gloriam, quæ gratias actuales conferri exigebat: præterea voluntas ipsi-

us,

us, utpote recta & ſana, non indigebat gratia ſanante & corroborante voluntatem. At vero in ſtatu naturæ lapsæ homines in peccatis nascuntur, indigni omni divino beneficio, atque effrænatæ concupiscentiæ obnoxii, ideoque ob contractam voluntatis infirmitatem potentiori gratiæ auxilio indigent.

Infirmitatem noſtri argumenti.

138. Obj. V. Infirmitas nostri argumenti. Quamvis gratia ſit irrepudiabilis, conciliari tamen potest cum libero arbitrio. Ergo ex hoc capite ſententia Janſenii non est rejicienda. P. A. Gratia excitans, ſeu inſpiratio divina durans per minutum, quod ex pluribus instantibus componitur, in quolibet instanti determinato relinquit homini plenam libertatem consentiendi vel diſsentiendi, nec nisi pro aliquo instanti indeterminato insuperabilem inducit consentiendi neceſsitatem. Atqui hæc vaga neceſsitas conciliari potest cum libero arbitrio. Ergo. P. M. Juxta Patres, atque ipsos Doctores Catholicos homo vagam habet atque indeterminatam neceſsitatem quandoque labendi in aliquod veniale peccatum, ſalva quam a Deo accepit libertate. Ergo si vaga illa neceſsitas quandoque delinquendi conciliari potest cum libero arbitrio, conciliari etiam poterit cum illo vaga neceſsitas in aliquo instanti indeterminate ſumpto consentiendi gratiæ. R. N. A. Ad *prob.* R. 1mo. N. M., quæ nec ex Scriptura, neque ex Patribus, aut ratione Theologica probari potest; quamque nec Calvinus, nec Janſenius in ſuis principiis admittere poſsunt, cum indifferentiam activam per peccatum originale penitus eſse ſublatam doceant. R. II^do. Nego etiam minorem. Ad hujus *prob.* C. A. N. C. Disparitas inter utramque neceſsitatem est latiſsima. Nam I^mo. neceſsitas labendi quandoque in veniale peccatum ſubreptitium, est moralis tantum, cum non adimat homini potentiam physicam non labendi; ſecus homo absque culpa ſua neceſsitaretur ad veniale peccatum: contra vero neceſsitas illa in aliquo instanti indeterminato consentiendi gratiæ, non moralis, ſed omnino physica foret, ab homine insuperabilis, atque infallibiliter connexa cum consensu, quem Deus ejusmodi

modi gratiam conferendo infallibiliter prævideret, & obtineret. II^do. Moralis neceſsitas in aliquod ſubreptitium peccatum labendi est ipsi homini valde utilis ad pœnitentiam, demiſsionem animi, ac diffidentiam de propriis viribus; neque hominem exponit manifesto æternæ damnationis periculo. At vero, cum ob paritatem rationis in ſystemate hoc admitti debeat, a concupiscentia pariter, quando illa viribus gratiam ſuperat, hominem neceſsitari ad consensum in instanti aliquo quoad nos indeterminato; neceſsitas hæc vaga (si tamen vaga dicenda est, cum ſit in ſe determina, & vaga tantum respectu instantis A vel B) homini eſset maxime noxia, quem insuperabiliter & indeclinabiliter determinaret ad ponendam aliquam actionem æternis cruciatibus dignam.

Pelagianismus.

139. Objic. VI. Pelagianismus. Pelagiani non alia de causa hætetici fuere, atque ab Augustino impugnati ſunt, nisi quia admiserunt gratiæ interiori poſse resisti. Ergo adjutorium gratiæ juxta Augustinum est neceſsitans & irrepudiabile. P. A. Pelagiani agnoscebant veram & interiorem gratiam, non tatum illustrationis in mente, ſed etiam piæ motionis in voluntate & actione. Ergo non alia fuit Augustini cum illis contentio, nisi de gratia irrepudiabili & neceſsitante. R. N. A. cujus falsitas ex plurimis Augustini locis invicte ostenditur, quibus contra Pelagianos agens, & neceſsitatem divinæ gratiæ, & liberum arbitrium ab omni inimpedibili neceſsitate immune propugnat. Vide dicta Tomo IV. Num. 359. 378. 447. & ſeq. Ad *prob.* N. A. Pelagius præter externam gratiam legis & doctrinæ, atque exemplorum Christi, admisit tantum gratiam internam illustrationis, ſive intellectus, ſed duplici errore corruptam. Primus erat, quod diceret, illam non eſse ſimpliciter neceſsariam, ſed dari tantum ad facilius operandum: alter, quod contenderet internam illustrationis gratiam meritis naturalibus obtineri, id est, oratione, desiderio bene vivendi viribus ſolius naturæ elicito, ac bona voluntate. At vero existentiam, ac præcipue neceſsitatem gratiæ voluntа-

luntatis & actionis, qua voluntas incitatur, corroboratur & adjuvatur ad actus ſupernaturales veræ pietatis, & qua ipſa ſalutaris actio ponitur, constanter negavit.

140. Prob. aſsertio hæc Imo. Milevitanum, verius Carthaginense A. 418. errorem Pelagianorum circa gratiæ neceſsitatem Can. V. his verbis damnavit: *Item quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* IIdo. Authoritate S. Augustini, qui certe Pelagianorum errores cognitos & perſpectos habuit. Lib. de Gratia Christi, Cap. XLI. ſcribit de Pelagio S. Doctor: *In his etiam quatuor libris,* (quos de libero arbitrio ſcripserat Pelagius,) *quæcunque pro gratia videtur dicere, qua juvamur, ut declinemus a malo bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo a verborum ambiguitate discedat, quam diſcipulis ſic poſsit exponere, ut nullum auxilium gratiæ credant, quo naturæ poſsibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina: ita ut ipsas quoque orationes, ut in ſcriptis ſuis apertiſsime affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur; non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo enim ſuo manifeſtiſsimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa conſtituit, poſsibilitatem, voluntatem, actionem: & ſolam poſsibilitatem dicit divino adjuvari ſemper auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio exiſtimat indigere.* Et Cap. XLVII. *Si ergo conſenserit nobis, non ſolam poſsibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, ſed ipsam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut bene velimus & bene agamus, quæ non ſunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: ſi, ut dixi, conſenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio*

nihil

nihil bene velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua non nostra justitia justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur. Cap. XXXIV. *Nec alicubi potui reperire, hanc eum* (Pelagium) *gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere etiamsi nec volumus nec agimus bonum, sed ipsa etiam voluntas & actio subministratione Sancti Spiritus adjuvatur.* Cap. XXVI. *Gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo est* (Pelagius) *qui cum dicit propterea dari gratiam, ut quod a Deo præcipitur, facilius impleatur, quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet, quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen quod divinitus præcipitur potest.* Ex his Augustini testimoniis manifestum redditur, contentionem Catholicorum cum Pelagianis non fuisse de gratia necessitante, atque irrepudiabili, sed de adjutorio immediato ex parte intellectus & voluntatis, adeo ut mirandum sit, qua fronte Jansenius, qui in Augustini lectione ætatem se contrivisse gloriatur, contra tam aperta & decretoria S. Doctoris testimonia, Catholicam de gratia sententiam Pelagianismi accusare ausus fuerit.

141. Dices I. Pelagiani objiciebant S. Augustino, ut ipse S. Doctor fatetur Lib. II. contra duas Epistolas Pelagianorum, quod fatum admitteret, eumque Manichæismi insimularunt. Ergo contentio Pelagianos inter & Augustinum erat de gratia necessitante, quam tuebatur Augustinus, & negabant Pelagiani. R. C. A. N. C. Pelagiani Augustinum, aliosque Catholicos per summam injuriam, atque iniquissime Manichæismi accusarunt, ut Augustinus ipse conqueritur Lib. II, contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. I, ubi sic de Pelagianis loquitur: *Faciunt duo mala,*

ta, quibus & ipsi anathematizandi sunt: unum, quod Catholicos Manichæorum nomine criminantur; alterum, quod etiam ipsi hæresin novi erroris inducunt. Ad hanc calumniam Catholicis impingendam duabus movebantur rationibus, quas late refellit Augustinus. Prima erat, quia Catholici asserebant homines nasci peccato originali infectos: unde inferebant Pelagiani, naturam humanam secundum Catholicos a Deo creari malam, quæ erat Manichæorum insania. Altera, quod Catholici dicerent, humanam voluntatem tantam ex originali culpa contraxisse infirmitatem, ut nihil omnino bene velit aut agat sine interiori gratia ipsam immediate efficiente, sanante, corroborante, qua intime & immediate prævenitur, excitatur, inclinatur, quomodo ei congruum est, ut bene velit & agat; quam gratiam sic congruam Deus pro suo mero beneplacito quibus vult misericorditer concedit, & quibus vult, justo, quamvis occulto judicio denegat, quamque proinde nullatenus promereri possumus. Ex hac Augustini & Catholicorum doctrina male causabantur Pelagiani consequi, quod omnia regantur fato, & liberum sic auferatur arbitrium; non quod gratia, quam Catholici prædicabant, voluntatem necessitet atque irresistibiliter flectat; sed quia sine illa voluntas nihil bene velle aut agere possit ad salutem. Pelagiani enim per liberum arbitrium intelligebant completam facultatem volendi & agendi etiam bonum salutare, independenter ab omni auxilio voluntatem præveniente, excitante & corroborante, præsertim gratuito, quod nempe non esset in nostra potestate naturali ut adesset: unde sentiebant, gratiam prævenientem, gratuitam & necessariam ad quoslibet actus salutares, repugnare indifferentiæ activæ, non prout est præcise virtus se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis; sed ut est virtus se sola completa, sibique sufficiens etiam ad bonum salutare, qualem intelligebant libertatem arbitrii etiam in statu naturæ lapsæ. At in hoc vehementer decipiebantur Pelagiani; libertas enim arbitrii in præsenti statu Catholice sumpta, est facultas agendi vel

non

non agendi, si omnia adsint ad agendum prærequisita. Sed hæc facultas non est completa quoad actum salutarem nisi per gratiam, quæ primum locum tenet inter prærequisita ad agendum salutariter.

142. Dices II. Pelagiani admittebant adjutorium posſibilitatis, negabant vero adjutorium voluntatis & actionis. Sed per adjutorium posſibilitatis intelligebant gratiam, quæ sic movet voluntatem, ut relinquat potestatem resistendi; per adjutorium vero voluntatis & actionis gratiam cui resistere nequit voluntas. Ergo. R. C. M. N. m. Pelagius per adjutorium, quo posſibilitatem adjuvari dicebat, intellexit gratiam legis & doctrinæ, sub qua comprehendebat exempla Christi, & internas illustrationes; per adjutorium vero voluntatis & actionis, quod constanter negavit esse necessarium, gratiam inspirationis, qua voluntas immediate, quamvis resistibiliter, excitatur & movetur ad volendum bonum, ac roboratur ad illud agendum. Testem iterum exhibemus Augustinum, qui Lib. de Gratia Christi, Cap. XLI. ita scribit: *Solam posſibilitatem dicit* (Pelagius) *divino adjuvari semper auxilio; voluntatem autem & actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere. Ipsum vero auxilium, quo posſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu revelari; propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiæ, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo: quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis evangelica prædicatur: ut videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura, sed facilius, si adjuvet gratia.* Vide plura apud Natalem Alexandrum in Hist. Eccles. Sæculi V. Cap. III. Artic. III. Paragr. VIII. & seq. Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ Parte V. Quæst. I. Artic. V. & VII.

Tour-

Tournely in Prælect. Theol. de Gratia Christi, Parte I. Quæst. III. Simonnet Tract. de Gratia, Disput. I. Artic. II. & III. Livinum de Meyer Dissert. IV. de Pelagianorum & Massiliensium contra fidem erroribus.

143. Objic. VII. Semipelagianismus. Semipelagiani erant hæretici. Atqui non alia de causa impugnati sunt ab Augustino, & damnati ab Ecclesia, quam quia docuerunt gratiam, quæ prævenit quemlibet actum salutarem, atque etiam initium fidei, posse repudiari. Ergo. P. m. Gratiæ necessitatem, etiam ad initium fidei, ultro admittebant. Ergo errabant circa efficaciam gratiæ. R. C. M. N. m, cujus falsitas ostenditur Imo ex Scriptis Augustini, qui innumeris pene locis liberum arbitrium ab omni necessitate immune defendit. IIdo. Quia S. Cœlestinus in sua ad Galliarum Episcopos epistola, & Arausicanum II. in Canonibus suis nullam gratiæ necessitantis mentionem faciunt, sed definiunt tantum gratiam prævenientem necessariam esse ad quemlibet actum salutarem, atque ad ipsum etiam initium fidei. Ad *prob.* N. A. Semipelagiani quamvis admitterent gratiam interiorem prævenientem tum illustrationis, tum piæ motionis, sive intellectus & voluntatis, necessariam esse ad incipienda & perficienda opera salutaria, constantissime tamen negarunt necessitatem gratiæ ex parte voluntatis ad initium salutis, scilicet ad voluntatem credendi, ad fidem inchoatam, ad desiderium sanitatis & orationem; sed docuerunt ad hos actus sufficere vires naturales liberi arbitrii. *Aut Semipelagianismum.*

144. Prob. assertio Imo. Authoritate PP. Hilarii, Prosperi, & Augustini, quibus certe Semipelagianorum errores magis explorati erant, quam Jansenio tot sæculis posteriori. Hilarius Augustini discipulus in epistola ad Augustinum, quæ inter Augustinianas est CCXXVI. de Semipelagianis scribit: *Nec* (putant) *negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quidquam ipsa jam valeat. Nam illa testimonia, ut est istud, Sicut unicuique partitus est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, ut juvetur*

vetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur ut velit. S. Prosper in Epist. ad Augustinum, inter Augustinianas CCXXV. scribit: *Quantum ad Deum pertinet,* (dicunt Semipelagiani) *omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Et paulo post: *Cum duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credandum sit fiare qui salvat, & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* S. Augustinus Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XXIII. ait: *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro: ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Et Lib. de Prædestinatione SS. Cap. II. *Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit a nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut eadem Gesta testantur, damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari; si non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus.* Prob. II^do. Ex Scriptis Semipelagianorum, Joannis Cassiani Collatione XIII. Cap. VIII. III^tio. Ex Arausicana II. Synodo, in qua, nulla facta necessitantis gratiæ mentione, Semipelagianorum errores damnati sunt, & definitum Cap. V. *Initium fidei non esse in nobis naturaliter, sed per inspirationem Spiritus Sancti.* Cap. VII. *Per naturæ vigorem nihil boni posse cogitari,*

ut

ut expedit, sed per illuminationem & inspirationem Spiritus Sancti. Vide dicta Num. 53. & seq. IV. Authoritate Pontificum, qui quartam Jansenii propositionem solemni decreto damnarunt; priorem quidem propositionis partem ut falsam, posteriorem ut hæreticam.

145. Neque dicant Janseniani, quæstionem facti esse, an Semipelagiani ad initium fidei admiserint necessitatem gratiæ interioris; ac proin Ecclesiam in illa decidenda infallibilem non esse. Præterquam enim quod Ecclesiæ decisio circa quæstionem etiam meri facti, tantam habeat authoritatem, ut in suspicionem falsitatis aut erroris adduci nequeat, nisi contrarium invictis omnino rationibus ostendatur; ajo quæstionem hanc non esse meri facti, sed connexi cum jure. Cum enim juxta omnes certum sit Semipelagianos vel circa necessitatem vel circa efficaciam gratiæ errasse; si prior Jansenianæ propositionis pars vera foret, necessario vera quoque foret posterior, quæ stricte ad jus pertinet. Atqui posterior hæretica est declarata infallibili Ecclesiæ judicio, quæ errare non potest in quæstione ad jus divinum pertinente. Ergo necessario falsa est prior connexa cum posteriore.

146. Dices I. Semipelagiani admiserunt necessitatem gratiæ in primo homine ante lapsum. Ergo multo magis eam admiserunt in statu naturæ lapsæ. P. A. Imo. Hilarius in Epist. ad Augustinum, inter Augustinianas CCXXVI. scribit de Semipelagianis: *Unde in hoc solo volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* IIdo. Nec Prosper, nec Augustinus umquam Semipelagianis objecerunt, quod asservererent Adamum nulla indiguisse gratia. Ergo. R. D. A. Admiserunt in primo homine necessitatem gratiæ moventis voluntatem, N. A. Atque hac in re consentientem sibi habebant Augustinum. Admiserunt necessitatem gratiæ intellectus seu illustrationis, subdist. Ad incipiendum & perficiendum bonum, C. A. Ad volen-

lendum, ſive conandum, ac desiderandum, N. A. Juxta Semipelagianos Adamus ante lapsum poterat ſolis naturæ viribus conari, velle, desiderare bonum; at non poterat illud perficere, aut etiam incipere ſine gratia illustrationis, quæ intellectum ipsius illustraret, quin tamen voluntatem moveret, eoquod voluntas Adami in ſtatu innocentiæ integris eſset viribus. At vero in ſtatu naturæ lapsæ hominem docebant tum gratia illustrationis, tum inspirationis indigere, qua intellectus illustretur, & voluntas moveatur, non quidem ad initium fidei & ſalutis, ſed ad bonum incipiendum & perficiendum; ita tamen ut hæc gratia interior retribuatur merito fidei, conatus, aut desiderii ſolis naturæ viribus eliciti, ſine adjutorio alterius gratiæ interioris. Ad *prob.* I. C. A. N. C. Verba Hilarii ostendunt potius Semipelagianos interioris gratiæ neceſsitatem neque in ſtatu naturæ innocentis, neque lapsæ agnoviſse ad initium fidei & ſalutis; ait enim: *Ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem*, id est, ſolis ſuis viribus prius conantem. *Hos autem amiſsis & perditis viribus credenses tantum*, id est, credentes tantum viribus ſolius liberi arbitrii. Ad II. *prob.* N. A. Augustinus Lib. de Prædest. SS. Cap. V. non obscure insinuat, Semipelagianos, ſive Maſsilienses nullam in Adamo innocente gratiam agnoviſse neceſsariam ad initium fidei & ſalutis. *In hac*, inquit, *Apoſtoli evidentiſsima intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quisquam in homine, ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuspicari, ſive ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ qualescunque reliquias, nimis, quantum exiſtimo, absurdum eſt.* Et quamvis daretur, exprobratum id ab Augustino Semipelagianis non fuiſse, quòd S. Doctor de prima hominis in ortu ſuo conditione, quæ brevi effluxit, & de qua nulla movebatur controversia, disputare noluerit; ratio tamen conservandæ libertatis, quæ Semipelagianos potiſsimum impulit, ut negarent homini lapso neceſsariam eſse gratiam

tiam interiorem ad initium fidei & ſalutis, locum habebat non minus in ſtatu naturæ innocentis. Ex hac enim gratiæ prævenientis neceſsitate, quam utpote gratuitam mereri non poſsumus, & ſine qua actum ſalutarem juxta Catholicam doctrinam ponere non valemus, inferebant, falso licet ac distorto ratiocinio, tali pacto voluntatem non amplius liberam remanere.

147. Dices II. Semipelagiani docebant gratiam interiorem neceſsariam eſse ad quodlibet bonum opus. Atqui initium fidei & ſalutis, desiderium illud & conatus, ſunt opus bonum. Ergo docebant gratiam interiorem neceſsariam eſse ad initium fidei & ſalutis, ad desiderium & conatum. R. C. M. D. m. Est bonum opus in ſe, & a parte rei, C. m. In mente & doctrina Semipelagianorum, N. m. Semipelagiani ne cogerentur fateri gratiam eſse neceſsariam ad initium fidei & ſalutis, hoc fidei initium, ſalutis desiderium & conatum, inter bona opera non computabant. Hinc Hilarius Epist. cit. de Semipelagianis ſcribit: *Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate unumquemque ægrotum velle ſanari.*

148. Dices III. Quæ fuerit mens Semipelagianorum circa gratiæ neceſsitatem, omnium optime constare potest ex Authoribus Semipelagianis, qui ſcripta ſua posteritati reliquere. Atqui ex illis constat, quod gratiæ neceſsitatem etiam ad initium fidei & ſalutis admiserint. Ergo. P. m. Cassianus Collat. III. Cap. IV. ait: *Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quædam immiſsa in cor noſtrum, nonnumquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ & ſalutis exsuscitat, Deumque ſequi, & ejus inhærere præceptis, compunctione ſaluberrima cohortatur.* Faustus Rejensis Lib. II. de Gratia & Lib. arbitrio, Cap. VI. primas partes tribuit gratiæ, admisitque gratiam prævenientem ad initium fidei. Gennadius Presbyter Maſsiliensis Semipelagianus Lib. de Ecclesiast. Dogmatibus, Cap. XXI. docet, *initium ſalutis noſtræ Deo miserante nos habere: ut vero acquiescamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ eſse poteſtatis.* R. O. M, quæ uni-

universaliter vera non est, cum plerumque hæretici obscure loqui, & errores suos obvelare soleant. Et N. m. Ad *prob.* R. singularem fuisse Cassiani opinionem, putantis interdum voluntatem hominis præveniri a gratia, at non semper & necessario; cum sæpe homines inchoare salutem docuerit ex solis naturalibus liberi arbitrii viribus, ut constat ex Collatione XIII. Cap. XI, & Cap. XIII. Faustus Rejensis doctrinam Catholicam in suis libris tradidit, falsoque Semipelagianæ hæresis accusatur, ut ostendimus Num. LVII. & seq. Alii, qui Faustum errasse contendunt, ajunt in mente Fausti prævenientem gratiam non internam fuisse, sed tantum externam, nempe Evangelicæ veritatis prædicationem. Gennadius probabilius numquam fuit Semipelagianus: aut si aliquando fuit, saltem eo tempore quo librum illum conscripsit, errorem Semipelagianorum exuerat; sententia enim citata optime Catholicum dogma exprimit, estque omnino conformis Capitulo XXV. Arausicanæ II. Synodi.

149. Dices IV. Ipsæ circumstantiæ satis ostendunt, litem Catholicos inter & Semipelagianos non fuisse de necessitate, sed de natura gratiæ. Ergo. P. A. 1mo. Semipelagiani contendebant, per gratiam prævenientem liberum perimi arbitrium, fatalem induci necessitatem, atque in desperationem ac torporem homines impelli. Atqui nisi dicatur ab Augustino propugnatam fuisse necessitatem gratiæ irrepudiabilis, prorsus incredibile est, Semipelagianos tam elumbi argumento usos fuisse. II. S. Prosper Epist. ad Augustinum, quæ inter Augustinianas est CCXXV, scribit: *Deinde* (patefacias) *quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium.* Ergo lis cum Semipelagianis erat de gratia necessitante: evidens est enim, quod gratia, cui resisti potest, libertati non obsit. III. Augustinus contra illos contendit initium fidei & salutis esse donum Dei. Atqui non esset donum Dei, si fieret ex gratia repudiabili. Ergo. IV. Semipelagiani tantum negarunt, fidem ea præveniri gratia, quæ humanam sibi subjicit voluntatem. Sed gratia quæ humanam

manam ſibi ſubjicit voluntatem, alia eſse non potest quam gratia neceſsitans. Ergo.

150. R. N. A. Ad I^mam *prob.* C. M. N. m. Enimvero de Catholica religione peſsime mereretur, qui diceret, hæreticos, quando veritatem catholicam impugnant, ſolidum habere fundamentum in Scripturis, Patribus, aut ratione. Quis enim nescit, ſtramineas plerumque ab hæreticis rationes afferri, quas illi pro ſolidis ac genuinis venditant, ſola ad id eos impellente pertinacia? Semipelagiani id equidem objecerunt Augustinianæ doctrinæ, quia eam minus aſsequebantur: utque ictum declinarent, a quo jugulum erroris ſui peti cernebant. At frustra prorsus & imperite Augustini doctrinam tamquam læsæ libertatis ream in jus vocabant. Quamvis enim gratia præveniens & gratuita ſit, & ad ſalutariter operandum neceſsaria; cum tamen illi resisti queat, humanam libertatem non adimit, ſed perficit, eamque ad agendum expeditam reddit. *Quisquis audet dicere*, inquit Augustinus adversus Semipelagianos, Lib. de Prædestin. SS. Cap. V. *Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi: profecto contradicit huic apertiſsimæ, veritati: non quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas a Domino.* Quibus verbis S. Doctor declarat, a gratia nullam voluntati neceſsitatem inferri. Ad II. C. A. N. C. Gratia, licet de ſe repudiabilis, infallibiliter tamen effectum producens ad quem datur, & omnino gratuita, a peritiſsimis etiam Theologis nostro tempore non nisi magno labore, ſtudio atque induſtria cum libero arbitrio conciliatur, ut quotidianæ ostendunt lites inter ipsos Doctores Catholicos. Ergo merito S. Prosper Augustinum rogavit, ut difficultatem hanc expediret. Quod si vero Augustinus irrepudiabilem atque irresistibilem eſse gratiam illam docuiſset, Prosper nodi hujus ſolutionem ab Augustino minime postulaſset, cum in omnium gentium ac nationum vocabulariis, præterquam in Janseniano, voces istæ idem ſonent, *gratia neceſsitans*, & *liberum arbitrium perimens*. Ad III. C. M. N. m. Initium fidei & ſalutis est purum donum

donum Dei, quia fit ex gratia gratuito prorsus collata, quamvis de se repudiabili: neque in partem hujus venit liberum arbitrium; quia voluntas non libere cooperatur productioni gratiæ, sed necessitatur ad productionem motus indeliberati, amoris vel desiderii, timoris aut fugæ: actus vero salutaris, quo bonum incipimus aut perficimus, est simul donum Dei & meritum nostrum. Donum Dei, quia Deus gratuito voluntatem prævenit & adjuvat gratia, non necessitante, sed repudiabili: meritum nostrum, quia voluntas libere cooperatur gratiæ, ita ut illi resistere posset, si vellet. Ad IV. R. C. M. N. m. Gratia de se repudiabilis humanam sibi subjicit voluntatem, non tollendo aut ligando, sed expeditam relinquendo activam voluntatis indifferentiam; quia voluntatem ita movet, quomodo aptum est ut ab ea, quamvis indifferente, consensum obtineat. Ex eo autem, quod voluntas resistere possit gratiæ, inferri nequit, gratiam voluntati esse subjectam: quia gratia se habet ad voluntatem, sicut movens ad motum, & ut causa superior & principalis ad inferiorem & instrumentalem; nisi velis etiam ac debeas pari jure dicere, non voluntatem sanæ rationi, sed sanam rationem voluntati subjectam esse, eoquod voluntas possit pro arbitrio facere vel non facere id, quod faciendum esse sana ratio dictat. Vide hac de re plura apud Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ, Parte V. Quæst. I. Art. VIII. IX. X. Natalem Alexandrum Dissertat. IV. in Hist. Eccles. Sæculi V. Antoine in Tract. de Gratia Cap. I. Art. IV. & V. Tournely in Tract. de Gratia, Parte I. &c.

CONTROVERSIA III.

SCHOLASTICA.

AN GRATIA EFFICAX NATURA SUA INFALLIBILEM ET ESSENTIALEM CONNEXIONEM HABEAT CUM ACTU SALUTARI?

Cur controversia hæc dicatur.

151. Præsens controversia idcirco *Scholastica* nuncupatur, quia salva fide a Catholicis Doctoribus disputatur,

tatur, num infallibilis hæc connexio cum actu salutari de se atque ex natura sua gratiæ efficaci competat, an tantum ratione Scientiæ Mediæ, quæ ipsi gratiæ est aliquid mere extrinsecum. Equidem aliqui opinionum Scholæ suæ justo tenaciores, suam inter fidei articulos fere, oppositam vero Societatis doctrinam tantum non inter errores recensent. At frustra sunt; in famosa enim causa de Auxiliis divinæ gratiæ anno 1606. die XXVIII. Augusti, decreto Pauli V. cautum est, ut Molinæ doctrina de concordia liberi arbitrii cum donis gratiæ divinæ, Congregationibus XLVII. in Romano tribunali probe examinata, indemnis persistat, atque utriusque familiæ sententia, Thomistarum nempe & Societatis, in scholis Catholicis tuto & impune doceatur; idque sine damnatione alterius partis, donec aliud a Sancta Sede decernatur. Ad finem prioris sæculi Lovanienses non nulli Theologi Romam ablegarunt Joannem Libertum Hennebel ad Innocentium XII, rogantes, ut Pontifex declarare dignaretur, doctrinam de gratia per se & intrinsece efficaci, & de prædestinatione ante prævisa merita, nullis hactenus decretis Apostolicis damnatam & enervatam fuisse, eamque proinde posse teneri, quousque Sancta Sedes aliter statuerit. At Pontifex id declarare recusavit; non quod doctrina gratiæ per se efficacis eo sensu, quo in Catholicis scholis defenditur, umquam reipsa decretis Apostolicis proscripta fuerit; sed quia de hoc argumento silentium servare longe satius sibi esse judicavit Innocentius. Hoc unum itaque rescripsit ad Lovanienses: *Qua in re vestram erga S. Petri Cathedram observantiam & reverentiam summopere collaudamus. Verum quia, ut S. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit, profundiores difficiliores que partes incurrentium in materia divinæ gratiæ quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.*

tur Scholastica?

152. Et quamvis adversarii Brevi Benedicti XIII. glorientur, quo dilaudatur Thomisticæ scholæ studium; nihil tamen exinde nobis decedit, cum Scholæ no-

Doctrina Societatis a Pontificibus fuit

commendanda.

nostræ doctrina pari authoritate commendata fuerit a Benedicti XIII. Succeſsore, nimirum Clemente XII. Anno 1733. die II. Octobris in Brevi, cujus initium, *Apoſtolicæ providentiæ*, in quo ita loquitur Pontifex: *Mentem eorumdem Prædeceſsorum noſtrorum compertam habentes, nolumus aut per noſtras, aut per ipsorum laudes Thomiſticæ Scholæ relatas, quas iterato noſtro judicio comprobamus & confirmamus, quidquam eſse detractum cæteris Catholicis Scholis, diversa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara ſunt merita, quo minus ſententias eâ de re tueri pergant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in almæ Urbis luce docuerunt, & propugnarunt.* Cæterum quamvis præsens quæstio, utpote mere Scholastica, ad Speculativam potius Theologiam, quam Polemicam, pleno jure pertineat, hic tamen a nobis omnino prætermitti non potuit: tum quod absque illa totum ſystema de Gratia Christi Redemptoris ſatis involutum ſit: tum quod permultæ objectiones ad impugnanda alia dogmata ſatis commode transferri poſsint, quas insolutas relinquere Polemico nefas foret.

Triplex adversariorum ſententia circa efficaciam gratiæ.

153. Omiſsis Novatorum, Calvini præcipue & Janſenii erroribus, quos Controversia I. & II. rejecimus, quadruplex potiſsimum circa efficaciam gratiæ Catholicorum Doctorum est ſententia. I^ma^ est Thomistarum, qui duce Bannesio, gratiæ efficaciam constituunt in gratia excitante, penitus indifferente, & prædeterminatione physica, ex natura ſua eſsentialiter atque infallibiliter connexa cum actu ſalutari, inimpedibili, indeclinabili, insuperabili a creatura, immiſsa a ſolo Deo, & absolute neceſsaria ad quemlibet actum ſalutarem. II^da^ est eorum, qui efficaciam gratiæ reponunt in illustratione intellectus & motione voluntatis, quæ voluntatem moraliter ita inclinat ac prædeterminat ad actum ſalutarem, ut quamvis voluntas illi motioni, etiam in ſenſu composito, physice poſsit resistere, resistere tamen non poſsit moraliter; ſed morali neceſsitate adigatur ad consentiendum gratiæ, & ponendum

actum

actum ſalutarem. IIItia eſt Congruiſtarum, qui efficaciam atque infallibilem virtutem gratiæ repetunt ex congruitate, ſeu attemperatione auxiliorum gratiæ cum hominis ingenio, indole, conditione, affectibus, ut re ipſa conſenſum ſuaviter & fortiter eliciat: Deus enim, cui omnes humani cordis receſſus & affectiones perſpectæ ſunt, quique habet in ſua poteſtate media infinita, quibus hominum corda quo voluerit adducere, & unde voluerit retrahere potest, abſolute decernit hominem hoc vel illo modo ad ſe vocare ac convertere. Atque in triplici hac ſententia efficacia gratiæ eſſet intrinseca, infallibiliter de ſe connexa cum effectu.

154. Verum hi modi efficaciam gratiæ divinæ explicandi nobis probari minime poſſunt. Ima ſententia, ut ex Philoſophia hic ſupponitur, ex eo capite rejicitur, quod humanam libertatem evertere videatur. Accedit quod in ea explicari nequeat, quomodo omnibus dentur gratiæ pure, vere tamen ſufficientes. Si enim gratia efficax habetur per gratiam excitantem, conjunctam cum prædeterminatione physica insuperabili, inimpedibili, eſſentialiter neceſſaria & infallibiliter connexa cum actu ſalutari; gratia pure, ſed vere tamen ſufficiens habebitur per ſolam gratiam excitantem absque prædeterminatione physica ad actum ſalutarem. Atqui talis gratia non est vere ſufficiens, ut ſequenti ſyllogismo oſtenditur. Qui non habet, nec habere potest aliquid, quod neceſſario & eſſentialiter requiritur ad actum ſalutarem, is non habet veram ſufficientiam ad illum: ſicut qui neque alas habet ad volandum neceſſarias, neque illas acquirere potest, non habet veram ſufficientiam ad volandum. Atqui homo inſtructus ſola gratia excitante, deſtitutus autem præmotione physica ad actum ſalutarem, non habet, nec habere potest aliquid quod neceſſario & eſſentialiter requiritur ad actum ſalutarem, nimirum ipsam præmotionem physicam ad illum: alias ſi habere poſſet pro libito, homo eſſet primum liberum, primum determinans &c. Ergo homo ſola inſtructus gratia excitante Thomiſtica non habet gratiam vere ſufficientem. *Rejicitur.*

155. Neque felicius complanatur difficultas a IIdæ ſententiæ Patronis. Præterquam enim quod probare nequeant, gratiam efficacem ſemper cum morali prædeterminatione conjunctam eſse, Deus non haberet infallibile medium obtinendi a creatura actum ſalutarem, eumque infallibiliter prævidendi. Nam, ut fatentur hi Authores, prædeterminatio moralis non habet cum actu ſalutari connexionem omnino neceſsariam & infallibilem, ſed ſolum moralem. Quod ſi vero per moralem prædeterminationem ejusmodi motionem intelligant, cui voluntas potentia proxime expedita omnino resistere nequeat, nimia eſset efficacia gratiæ, & Catholico dogmati minime consentanea, quia tali pacto liberum tolleretur arbitrium. Vide dicta Num. 107.

156. Eodem argumento premuntur IIItiæ ſententiæ Patroni. Vel enim congruitas gratiæ interna eſse ac infallibilis cognoscitur, vel tantum externa, petita ex adjunctis circumstantiis, & moraliter tantum connexa cum actu ſalutari? Si primum: ergo cum illa conferatur ante omnem Scientiam mediam, liberum arbitrium resistere ei non poterit, ſicque homo ad actum inimpedibiliter neceſsitabitur. Si ſecundum: ergo in Deo non dabitur ſcientia metaphysice certa & infallibilis de actu ſalutari ponendo. Quod ſi Congruistæ ad ſalvandam libertatem admittant Scientiam mediam, tunc eſsentialis & infallibilis connexio gratiæ cum actu ſalutari ſufficienter explicatur per hoc, quod gratia conferatur dependenter a Scientia media de consensu.

Quid ſit in ſyſtemate Societatis gratia efficax in actu ſecundo, & primo?

157. Quarta ſententia est Doctorum Societatis, juxta quos gratia efficax considerari potest vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Gratia *efficax in actu ſecundo* præter entitatem gratiæ, quæ hominem reddit vere potentem ad eliciendum actum ſalutarem, dicit insuper actualem quoque operationem, ſive liberum consensum ſalutarem absolute positum; cum per hoc gratia efficax in actu ſecundo dicatur, quod voluntas actu consentiat: atque hic consensus est realiter etiam ipsa actio Dei concurrentis, & gratiam adjuvantem dantis. Gratia *efficax in actu primo* est virtus quædam

dam prævia, quæ infallibiliter post se trahit consensum, seu cooperationem & efficientiam actualem; ita ut hæc efficientia, seu consensus absolute positus sit aliqua ratione posterior gratia efficaci, adeoque antecedenter ad consensum absolute positum detur virtus post se infallibiliter trahens hunc consensum. Quare gratia efficax in actu primo duo complectitur, scilicet virtutem efficiendi consensum, & infallibilem illius connexionem cum futuro consensu.

Quid sit gratia efficax specificative, & reduplicative sumpta:

158. Si gratia efficax in actu primo consideretur secundum suam entitatem, sive *specificative*, est virtus supernaturalis, seu illustratio & inspiratio, quæ habet vires abunde sufficientes ad trahendum post se consensum voluntatis, modo voluntas nullum ponat impedimentum: sicut sol sufficientem habet virtutem illuminandi cubiculum, illudque actu illuminat, si non ponatur obstaculum. Atque hoc modo gratia efficax specificative sumpta non differt intrinsece a gratia sufficiente itidem specificative sumpta: quia eadem entitas gratiæ, quæ modo est mere sufficiens, potest esse efficax, cum sit ejusmodi, quæ conjungi cum consensu vel dissensu possit, etsi ex se semper utique ad consensum tenda. Si vero gratia efficax qua efficax, seu *reduplicative* sumatur, considerari potest tripliciter. I^mo prout est *objective* & logice prior ad Scientiam mediam: & hoc modo consistit tum in entitate gratiæ sufficientem de se virtutem habentis, tum in consensu conditionate futuro; nam consensus conditionate futurus dependenter ab hac gratia, est veritas objective prior ad Scientiam mediam. Sicut proin gratia efficax in actu secundo est ea, quæ conjungitur cum consensu absolute futuro: ita gratia efficax in actu primo est, quæ conjungitur cum consensu conditionate futuro. II^do prout est efficax *expressive*, infallibiliter connexa cum actu: & hoc modo præter entitatem gratiæ involvit etiam Scientiam mediam de consensu futuro sub hypothesi illius gratiæ; quia Deus per hanc scientiam infallibiliter prævidet, creaturam consensuram esse, si eam vocet per illam gratiam. III^tio prout est *speciale beneficium Dei:* sive affecti-

Item objective, expressive, & affective efficax?

fective efficax: & tunc præter entitatem gratiæ, & Scientiam mediam, involvit etiam Decretum Dei benevolum, quo Deus auxilium prævisum efficax præ aliis ineficacibus seligit, ex speciali affectu & intentione effectus secuturi.

Virtus efficiendi consensum est gratiæ intrinseca.

159. Quod virtutem attinet efficiendi consensum, quam gratia habet, sive in actu primo, sive in actu secundo consideretur, Molina equidem, Vasquius, & Lessius docuerunt, eam gratiæ extrinsecam esse, haberique ex consensu, seu cooperatione voluntatis. At communissima Doctorum Societatis cum Suario, Tannero, aliisque constanter tenet, virtutem hanc efficiendi consensum esse ipsi gratiæ intrinsecam. Si enim gratia efficax in actu primo consideretur, debet esse virtus quædam prævia, infallibiliter post se trahens consensum: hæc autem virtus, supposita entitate gratiæ, consensu conditionate futuro, & Scientia media de consensu, datur & infallibiliter cognoscitur esse connexa cum consensu, etiam antequam detur actualis nostra cooperatio. Ergo datur efficacia gratiæ, sive gratia efficax in actu primo, quamvis actu nondum detur consensus noster absolute positus. Ergo efficacia gratiæ in actu primo, seu virtus effectum suum ad quem datur producendi, non dependet ab actuali cooperatione voluntatis. Neque dici potest, quod consensus conditionate futurus causet efficaciam gratiæ in actu primo; tum quia gratia entitative sumpta est virtus prævia, actum salutarem præcedens tam in statu reali quam objectivo, omnemque virtutem suam a Deo habet: tum quia expressive aut affective sumpta causam creatam habere non potest. Quamvis enim homo sit causa sui consensus, non tamen est causa Scientiæ mediæ; alias esset etiam causa Dei, quocum Scientia media identificatur. Igitur consensus conditionate futurus est tantum purus terminus, quo supposito, auxilium collatum vel conferendum prævidetur a Deo infallibiliter causaturum esse consensum. Quod si vero gratia efficax consideretur in actu secundo, sive quando actu effectum suum producit, connectitur quidem illa infalli-

bili-

biliter cum consensu per Scientiam mediam, at nullas a voluntate vires accipit: immo consensus salutaris dependet dependentia proprie dicta a gratia efficaci ut efficaci; gratia enim efficax dicitur ea, quam Deus dat voluntati, quomodo scit ei congruere ut consentiat, & sic infallibiliter infallibilitate summa infert consensum voluntatis, ut effectum suum a se prorsus dependentem. Quare consensus absolute positus denominat quidem gratiam efficacem in actu secundo; at nullas ei vires tribuit, nullam efficaciam intrinsecam.

Infallibilis tamen connexio gratiæ cum actu salutari, est illi extrinseca.

160. At vero quamvis virtus efficiendi consensum sit ipsi gratiæ efficaci intrinseca, infallibilis tamen connexio gratiæ cum consensu salutari intrinseca illi esse nequit. Gratia enim se tenens ex parte actus primi proximi, quæ ex natura sua habet necessariam & infallibilem connexionem intrinsecam cum consensu voluntatis, est gratia necessitans, libertatem arbitrii perimens: hac enim posita antecedenter ad omnem usum libertatis prævisum, impossibile est ut voluntas non consentiat, & quidem necessario. Hinc Doctores Societatis, ut explicent infallibilem illam connexionem gratiæ efficacis cum actu salutari, recurrunt ad Scientiam mediam, qua Deus, antequam decernat hanc gratiam conferre, prævidet quod voluntas huic gratiæ esset consensura, si illam haberet. Posito enim, quod Deus ex una parte per Scientiam mediam videat Petrum consensurum, si haberet hanc gratiam: ex altera autem parte hanc ipsam gratiam Petro reipsa conferat, hoc ipso, inquiunt, consensus infallibiliter sequetur, cum Scientia media non minus ac aliæ scientiæ divinæ, sit infallibilis. Addunt in hoc systemate salvam & intactam manere libertatem creaturæ; quia Scientiam mediam dicunt esse impedibilem a libertate creata; & consequenter licet consensus necessario connectatur cum Scientia media, hanc tamen necessitatem, cum tantum sit consequens, nihil præjudicare libertati.

Quid sit scientia simplicis Intelligen-

161. Verum ut planiora fiant multa, quæ negotium facessere solent iis, quibus Molinianum systema non adeo exploratum est, summa tantum capita, quibus Scien-

vic. & Visionis? Scientia media explicatur, neceſsario præmittenda ſunt. Juxta omnes Theologos duplex in Deo datur ſcientia, ſimplicis intelligentiæ, & visionis. Scientia *ſimplicis intelligentiæ* dicitur illa, qua Deus cognoscit res poſsibiles, ſive existant, ſive non existant, præscindendo nempe ab harum existentia. Scientia *Visionis* dicitur illa, qua Deus res existentes cognoscit, pro aliqua temporis differentia vel præsentis, vel præteriti, vel futuri. Ut vero discrimen, quod inter Scientiam ſimplicis intelligentiæ & visionis intercedit, magis elucescat, notandum est duplicem in Deo considerari ſcientiam, neceſsariam & liberam. *Neceſsaria* est, qua Deus cognoscit veritates neceſsarias, quæ aliter ſe habere non poſsunt: & talis ſcientia dicitur neceſsaria *objective*, quia est de objecto neceſsario, & *ſubjective*, quia neceſsario existit in Deo. Scientia *libera* est, qua Deus cognoscit veritates non neceſsarias, ut v. g. absolutam existentiam rerum contingentium. *Libera* autem dicitur hæc ſcientia, quia v. g. ſcientia de absoluta rerum contingentium existentia potuiſset antecedenter non dari in Deo; licet ex ſuppositione, quod res illæ ſint absolute extituræ, Deus id neceſsario præsciat. Vocatur igitur hæc Scientia *libera*, non quod Deus facto decreto poſsit ſcire vel non ſcire harum rerum existentiam; ſed quia absoluta rerum existentia dependet a libero decreto divinæ voluntatis, ſine quo nihil contingens potest habere absolutam existentiam.

Quid Scientia neceſsaria et libera?

Corollaria 162. Ex his colliges 1mo, quod omnis ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit quidem neceſsaria, non tamen omnis ſcientia neceſsaria ſit vice versa ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Sic ſcientia, qua Deus ſe ipsum ut absolute existentem cognoscit, est ſcientia neceſsaria quidem, non tamen ſimplicis intelligentiæ, ſed potius visionis: ex quo legitime deducitur, non omnem ſcientiam visionis eſse Deo liberam. Colliges IIdo, ſcientiam Dei neceſsariam habere duo prædicata. Unum est, quod absolute non poſsit abeſse a Deo; alterum, quod ſit in Deo ante omne decretum Dei liberum. Scientiæ liberæ correspondent duo alia prædicata eſsentialia.

Unum

Unum est, quod antecedenter posit abesse a Deo: alterum, quod ante se præsupponat aliquod decretum Dei liberum; nam sine hoc decreto nulla res contingens posset absolute existere.

Datur in Deo Scientia conditionalium, quæ dicitur media.

163. Cum autem ex Scripturis invicte probetur, dari in Deo infallibilem scientiam pure conditionalium, quæ a parte rei numquam extiterunt, aut existent; extitisent tamen, aut extitura essent posita conditione quadam, quæ numquam purificata est, aut purificabitur, ut v. g. quando Christus Matth. Cap. XI. dixit, Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si vidisent ea miracula quæ facta sunt in Corozain & Bethsaida: Doctores Societatis tertiam admittunt scientiam, quæ non versatur circa res mere possibiles, neque absolute futuras, sed sub certa tantum conditione extituras, quamvis conditio illa numquam sit purificanda: & *Media* ab iis vocatur, eoquod media sit inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, & aliquid participet de scientia necessaria, aliquid de libera, de neutra totum. Cum scientia igitur necessaria convenit in hoc prædicato, quod præcedat omne decretum Dei absolute & actu existens: cum scientia libera, quod absolute possit abesse a Deo; potuisset enim antecedenter in Deo dari scientia opposita. Ex quo colligitur, Scientiam mediam respectu Dei esse quidem contingentem, sed non liberam; nam v. g. consensus Petri futurus dicit exercitium libertatis solius Petri.

Quid sit Scientia media?

164. *Scientia media* igitur, juxta Molinam & Theologos Societatis, est cognitio qua Deus nostros actus conditionate futuros, liberos, infallibiliter cognoscit ante omne decretum. Dicitur *ante omne decretum;* quia si Deus actus nostros liberos conditionate futuros cognosceret in decreto, tunc vel decretum deberet esse essentialiter connexum cum actu conditionate futuro, vel non? Si primum; tunc tolleretur libertas, quia decretum esset essentialiter connexum cum actu conditionate futuro, & a creatura impediri non posset: Si secundum; tunc Deus non infallibiliter cognosceret

actus

actus liberos conditionate futuros, quia tale decretum esset indifferens ad hoc, ut existat consensus Petri, vel dissensus. Deus igitur cognoscit actus liberos conditionate futuros ante omne decretum actu existens, eosque non cognoscit *in se ipso*, sive in suo decreto, quia scientia conditionalium ratione nostra antecedit decretum. Ergo cognoscit *in se ipsis*, sive ipsa determinata veritas quam nunc habent conditionate futura, est suo modo ratio, cur Deus ex essentia sua determinatus ad cognoscendam omnem veritatem, cognoscat veritatem hujus propositionis: *Si Petrus haberet auxilium A, ageret pœnitentiam.*

In Systemate Molinæ quis sit ordo actuum divinorum circa actus salutares.

165. Molinianum systema circa actus salutares, v. g. pœnitentiam S. Petri, ita ordinatur. I^mo. Deus per Scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit omnia sua auxilia supernaturalia possibilia, ac conversionem S. Petri esse possibilem. II^do. Per Scientiam mediam prævidet, quibus auxiliis de se omnino indifferentibus S. Petrus libere consensurus esset, & quibus libere esset dissensurus. III. Deus pro singulari sua benevolentia decernit S. Petro dare auxilium A, cui eum prævidet libere cooperaturum, si daretur; hujusque decreti specialiter benevoli hæc est tendentia: *Cum videam Petrum consensurum auxilio A, si illud haberet, dabo illi auxilium A, ut sequatur salutaris consensus.* IV. Per Scientiam visionis cognoscit Deus pœnitentiam Petri in tempore absolute futuram. V. Tempore opportuno, atque a divina providentia constituto, confert Deus Petro auxilium A, cui infallibiliter consensurus Petrus prævidetur: ille cooperatur dato auxilio, & convertitur.

Et actus malos?

166. Contra circa actus malos, v. g. derelictionem Judæ, Deus in hoc systemate ita tendere concipitur. I^mo. Per Scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit Deus omnia auxilia possibilia, conversionem, & impœnitentiam Judæ esse possibilem. II^do. Per Scientiam mediam cognoscit, quænam auxilia essent receptanda, & quænam a Juda abjicienda. III. Inscrutabili quidem, justissimo tamen judicio decernit ex serie auxiliorum

suffi-

sufficientium concedere Judæ auxilium A, quod prævidet a Juda libere & malitiose repudiandum esse; hujusque decreti hæc est tendentia: *Quamvis videam, Judam ex malitia sua dissensurum auxilio A, si illud haberet; decerno tamen illi dare auxilium A, & permittere ipsius finalem impœnitentiam.* IV. Per Scientiam visionis cognoscit Deus impœnitentiam Judæ absolute futuram. V. Judæ datur in tempore auxilium A: Judas illi non cooperatur, impœnitens moritur. Atque hæc est series actuum divinorum nostro captui accommodata; quamvis a parte rei omnia ista in Deo non nisi unus ac simplicissimus actus sint.

167. Equidem adversariorum aliqui, Semipelagiani erroris notam Scientiæ mediæ inurunt; at illos Natalis Alexander in Hist. Eccles. Sæculi V. Cap. III. Artic. VIII. vel Semipelagianorum dogmatum imperitos esse, vel studio partium in transversum agi merito pronunciat. Neque enim Semipelagiani errabant in eo, quod scientiam conditionalium in Deo admitterent; secus & Augustinum habuissent socium erroris, qui in explicanda gratiæ efficacia ad divinam præscientiam confugere solet: sed quia gemino errore scientiam conditionalium inquinabant. Docebant enim I^mo, Deum propter merita vel peccata pure sub conditione prævisa, & numquam absolute futura, hominum sortes definire, & alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam: idque etiam locum habere in parvulis. II^do. Adstruebant in ordine ad actus salutares talem scientiam conditionalium, cujus ope prævideretur illi actus extituri a libero arbitrio non prævento per gratiam supernaturalem, sed naturæ viribus relicto. At vero Patroni Scientiæ mediæ geminum illum errorem constanter rejiciunt, docentque I^mo, quod gratia supernaturalis constituat actum primum proximum ad quemlibet actum meritorium vitæ æternæ, atque ad initium etiam fidei & salutis: adeoque Deum per Scientiam mediam non prævidere merita salutaria, etiam futura sub conditione tantum, ac si extitura essent a sola voluntate per gratiam non præventa. Docent II^do, meri-

Scientia media nihil habet commune cum Semipelagianis

merita conditionate futura non esse causam collationis gratiæ, aut prædestinationis: alias cum Deus quemlibet hominem prævideat aliquibus auxiliis consensurum, aliis vero dissensurum, actus nostri conditionate futuri essent simul causa prædestinationis & reprobationis respectu ejusdem hominis, quod implicat. Juxta patronos itaque Scientiæ mediæ consensus hominis conditionate futurus, a Deo prævisus, non est causa cur homini conferatur auxilium A conjungendum cum consensu, sed est mere prærequisitum aliquod; Deus enim non confert auxilium A, quia homo est consensurus, sed ut homo consentiat.

Gratiam efficacem non ex natura sua connecti cum actu salutari, ostenditur ex libertate hominis.

168. Conclusio. Gratia efficax non ex natura sua, sed dependenter a Scientia media, essentialem & infallibilem connexionem habet cum actu salutari. Prob. Conclusio Imo. Gratia efficax est medium, quod Deus adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax, quod est absolute infrustrabile & infallibile. Atqui tale medium, salva libertate hominis, non potest habere infallibilitatem intrinsecam. Ergo gratia efficax ex natura sua non est intrinsece infallibilis, seu ex natura sua habere non potest essentialem & infallibilem connexionem cum actu salutari. Major prob. tum ex Augustino, qui Lib. de Dono Persever. Cap. XIV. prædestinationem ad gratias efficaces, quibus electi salvantur, definit *præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*: tum ex ratione; quia si medium illud fallibile esset, non foret proportionatum efficaci & absoluto decreto Dei, quod tali modo carere posset suo effectu. Prob. etiam minor propositio. Si gratia ex natura sua & de se essentialem atque infallibilem haberet cum actu salutari connexionem, deberet esse de se & ex natura sua irrepudiabilis atque irresistibilis, ita ut metaphysice impossibile sit hominem tali gratia affectum veram habere potentiam eidem resistendi; alias Deus infallibiliter nec prævidere, nec obtinere posset actum salutarem. Atqui hoc dici nequit, quin evertatur liberum arbitrium, ut præcedente Controversia ostendimus.

mus. Ergo infallibilis illa connexio cum actu ſalutari non est gratiæ intrinseca, ſed extrinseca, petita ab infallibili ſcientia conditionalium, ſive Scientia media.

Ex ſalutine difficultatum circa gratiam & liberum arbitrium.

169. Prob. II^do. In hoc ſystemate omnia commode explicantur, quæ Scriptura & traditio docent de gratia efficaci & libero arbitrio. Ergo merito præferendum est aliis ſystematibus, quæ ſufficienter conciliare nequeunt efficaciam gratiæ cum libero arbitrio. P. A. Ac I^mo quidem gratia efficax est donum gratuitum; non enim datur nisi ex mera benignitate & misericordia, a qua ſola Deus movetur ad eam dandam. II^do. Gratia efficax antecedit actum ſalutarem absolute futurum, tum quia entitas gratiæ, ſecundum ſe considerata, est aliquod prærequisitum ad actum ſalutarem: tum quia Scientia media, quamvis ſit aliquo modo posterior ad consensum conditionate futurum, est tamen prior ad consensum absolute futurum, & dirigit decretum benevolum conferendi gratiam, cujus ope ponetur actus: tum denique quia hoc ipsum decretum est prius ad actum absolute futurum. III. Infallibiliter post ſe trahit actum ſalutarem; quia auxilium collatum dependenter a Scientia media infallibili de consensu conditionate futuro, infallibiliter connectitur cum consensu: est enim metaphysice impoſsibile, ut detur complexum ex tali auxilio & Scientia media de consensu, & tamen non detur consensus; quia absolute repugnat falsificari Scientiam mediam. IV. Efficacia gratiæ optime convenit cum libero arbitrio. Nam licet complexum ex entitate auxilii & Scientia media ſit infallibiliter connexum cum actu bono futuro, si tale auxilium detur; est tamen impedibile, quia una pars hujus complexi, nimirum Scientia media, est impedibilis a creatura: adeoque non alia infertur neceſsitas, quam mere consequens. Atque ex hoc ipso patet, quomodo voluntas gratiæ efficaci poſsit diſsentire, & resistere. Quamvis enim non poſsit resistere gratiæ efficaci qua tali, ſeu reduplicative ſumptæ; resistere tamen potest eidem gratiæ quæ est efficax, ſeu ſpecificative ſumptæ, quatenus eam objective & expreſsive

per

per diſsensum ſuum potest inefficacem reddere, impediendo nimirum Scientiam mediam de consensu futuro; ſive dividendo ſe a Scientia media, a qua repetitur infallibilis connexio gratiæ cum effectu ſuo ad quem datur; licet non poſsit diſsentire in ſensu compoſito, quia utique non potest conjungere diſsensum cum Scientia media infallibili de consensu. V. Qui caret gratia efficaci, habet tamen vere ſufficientem; quia habet tale auxilium, cui licet non ſit consensurus, poſset tamen consentire, & consentiendo facere ut Deus ab æterno prævidiſset auxilium illud conjungendum eſse cum consensu, adeoque infallibiliter cum illo connexum eſse. VI. Dei dominium, & omnipotentiſsima potestas inclinandorum cordium in hoc ſyſtemate ſalvantur. Cum enim Deus nullam produxerit creaturam, quæ omnibus auxiliis eſset restitura, videt in thesauris gratiæ ſuæ auxilia, quibus, si conferrentur, homo quantumvis improbus & refractarius libere consentiret. Cum igitur Deus impediri non poſsit, ne auxilia illa, licet de ſe indifferentia, homini conferat, quibus per Scientiam mediam hominem infallibiliter consensurum eſse prævidet, omnipotentiſsimam habet potestatem inclinandorum cordium, ſalva hominis libertate. VII. Gratia efficax est ſemper peculiare beneficium Dei; quia Deus nulla lege aut neceſsitate adactus, ſed pro libero ſanctiſsimæ ſuæ voluntatis beneplacito, atque ex peculiari ſua benevolentia, illam gratiam dat homini, quam prævidet cum consensu conjungendam eſse; præ alia, quam si daret, ex malitia hominis effectu ſalutari carituram cognoscit. VIII. Quamvis in ſyſtemate Scientiæ mediæ optime explicetur concordia gratiæ & liberi arbitrii; ipsa tamen prædestinatio ac reprobatio Mysterium ſunt humanæ menti inacceſsibile. Cum enim Deus per Scientiam conditionalium cognoverit e. g. Petrum & Judam aliquibus auxiliis libere consensuros, aliquibus vero libere diſsensuros; si quis ex nobis quærat, cur Deus Petro dederit auxilium, cui prævidebat illum cooperaturum eſse, Judæ vero tale dederit auxilium, cui prævidebat

eum

eum esse dissensurum? cum Apostolo & Augustino respondemus: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* IX. Gratia in systemate Moliniano, si verba in propria significatione usurpentur, non est *versatilis*, ut eam adversarii appellant. Nam versatile, proprie loquendo, est res iners secundum se, quæ in nullam partem inclinat, sed solum apta & idonea est quæ vel in quamlibet vel in contrarias partes agatur, verseturque pro libito agentis. At vero gratia per se determinat hominem, quamvis impedibiliter, dumtaxat ad bonum: nec in alio sensu dicitur indifferens, quam in hoc, quod nempe de se & ex natura sua non sit essentialiter atque infallibiliter connexa cum actu bono. Igitur voluntas tantum hominis est ac dici potest versatilis, non autem gratia.

Atque Authoritate S. Augustini.

170. Prob. III. Authoritate S. Augustini. S. Doctor ex una parte sæpissime asserit, voluntatis nostræ esse eligere bonum aut malum: (Vide dicta Tomo IV. Num. 359.) ex altera parte solvens hanc difficultatem, cur aliqui vocationi Dei obtemperent, alii non obtemperent, non confugit ad gratiam a se ipsa efficacem; sed ad vocationem congruam, prout in iis, quibus eam applicare placuerit, prævidetur a Deo habitura effectum, cujus præscientia falli non potest. Ergo juxta Augustinum gratia non ex natura sua, sed dependenter a Scientia conditionalium infallibilem habet connexionem cum actu salutari. P. A. Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. XIII. ita scribit Augustinus: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem. Ad alios vero vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit, qua moveri non possent, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: & non jam simpliciter verum est, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum*

rum misereri, pòsset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, siquis dicit, Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Ergo Deus antequam decernat conferre gratiam, cognoscit prius per Scientiam conditionalium, an gratia illa hominis libertati congruat, sitque in his vel illis circumstantiis accommodata: ac demum hanc ipsam gratiam tribuere decernit, quæ infallibiliter post se consensum trahat, sub conditione jam antea prævisum. Atque hoc ipsissimum est Scientiæ mediæ systema, ab Augustino jam ante XIV. sæcula usurpatum quoad substantiam; quamvis Scientiæ mediæ nomen, utpote arbitrarium, incognitum illi fuerit.

171. Neque dicas 1mo. quod juxta Augustinum ipsa gratia faciat congruitatem in uno, non in altero; quia facit ut unus hoc modo, alter alio modo affectus sit. II. Authoritatem librorum Augustini ad Simplicianum non magni hac in re esse momenti, quod libros illos initio sui Episcopatus ante Pelagianam concertationem scripserit. Nam ad I. R. hæc omnino contra mentem S. Augustini dici; loquitur enim S. Doctor de una eademque gratia, quæ uni est congrua, non item alteri: immediate ante laudata superius verba ait S. Doctor: *An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit, Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Certe si Augustinus de illa congruitate

loque-

loqueretur, quæ non ex gratiæ contemperatione cum certa, quam in non nullis vocatis reperit, dispositione coalescit, sed quam sola gratia facit; ubi multi uno & eodem modo vocantur, ibi sicut unus vocationis modus, ita eadem esse deberet congruitas ex parte gratiæ. Ad II. R. authoritatem librorum Augustini ad Simplicianum maximi esse momenti. Ipse S. Augustinus lucubrationes suas ad Simplicianum commendat in Libro de Prædest. SS. Cap. IV, ubi sic scribit: *Nam si curassent* (Massilienses) *invenissent istam quæstionem secundum veritatem Divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, Sancti Ambrosii Successorem, in ipso exordio Episcopatus mei. Nisi forte eos non noverunt: quod si ita est, facite ut noverint.*

172. Cæterum Augustinus non in libris tantum ad Simplicianum, sed alibi etiam mentem suam clare aperuit. Lib. XII. de Civit. Dei, Cap. VI. scribit: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio?* Ubi advertendum, gratiam, quæ hic respectu unius est efficax, siquidem ex natura sua esset infallibiliter connexa cum actu salutari, etiam futuram fuisse talem respectu alterius: ponitur enim ab Augustino utrumque eadem tentatione pulsari, eamdem utrumque habere gratiam, eamdem corporis & animi affectionem. Libro de Dono Perseverantiæ, Cap. XIV. non dicit Augustinus Tyrios & Sidonios fuisse convertendos per gratiam natura sua cum actu salutari connexam, qua Corozaitæ caruerunt; sed Tyrios & Sidonios convertendos fuisse affirmat, si eadem gratia quæ Corozaitis data est, data fuisset Tyriis & Sidoniis; quia eadem gratia, quæ respectu Tyriorum fuisset congrua, contemperataque ipsorum affectibus & dispositioni, congrua non fuit respectu Corozaitarum, qui aliter erant affecti. Tum vero Massi-

lienses, qui volebant ideo Deum his parvulis gratiam dare baptismi præ aliis, quia si ſupervixiſſent, prævisi fuerant naturaliter crediturí, & post fidem gratiæ cooperaturi, his verbis aggreditur: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſic Dei altiore judicio, a perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent utique talia vel viderent.* Quasi diceret: Non est ſatis Deum prævidiſſe, quid quisque eſſet acturus si hanc vel illam gratiam acciperet. Nisi enim Deus altiore judicio decreverit ipsis dare eam gratiam, cui prævisi fuerunt cooperaturi si daretur, nihil illos juvabit præscientia boni operis conditionate futuri: ſicut Tyrios non juvit hæc præscientia, qua Deus eos credituros, & pœnitentiam acturos præviderat, si eas gratias accepiſſent, quas Corozaitæ increduli & impœnitentes acceperunt. Vide plura apud Livinum de Meyer in Diſſertat. de Mente S. Augustini Cap. I. & XVII. & Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ Parte VI. Quæſt. II. Artic. VI.

173. Ex his colligitur I^mo. Augustinum in illis etiam libris, quos ultimis vitæ ſuæ annis conscripsit, qualis certe est Liber de Dono Perseverantiæ, infallibilem gratiæ connexionem cum actu ſalutari non constituiſſe in motione neceſſitante, irresistibili ac prædeterminante, nec in ipsa natura gratiæ, ſed in infallibili præscientia Dei, ſeu in Scientia conditionalium, quam nos mediam dicimus. *Cujus autem miseretur* (Deus) *ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non respuat*, ait S. Augustinus Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. XIII. II^do. Inanem eſſe, ac veritati minime consentaneam illam adversariorum gloriationem, gratiam ex natura ſua infallibiliter cum actu ſalutari connexam, ex ipsis doctrinæ Augustinianæ visceribus depromptam eſſe: contra vero intolerabilem eſſe atque infru-

infrunitam eorum hominum audaciam, qui ſystema noſtrum de gratia efficaci, humanæ ſuperbiæ argumentum, luxuriantis ingenii partum Pelagiana tabe infectum, aut reſtaurandis ſaltem Pelagianorum ac Semipelagianorum erroribus aptiſsimum eſse criminantur.

Argumenta contraria reſutantur.

174. Objicitur Imo locus Apostoli I. ad Cor. Cap. IV. v. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ex quo id instruitur argumentum. In noſtro ſystemate homo ſemetipsum discerneret. Atqui hoc manifeste repugnat Apostolo. Ergo. P. M. Gratia juxta nos de ſe est indifferens, neque ex natura ſua infallibiliter connexa est cum actu ſalutari: ſimultaneus vero Dei concursus communis est omnibus. Ergo voluntas ſemetipsam discernit. R. N. M. Discernere ſe *in actu primo*, est dare ſibi aliquod auxilium antecedenter ad consensum absolutum, ſeu est dare ſibi virtutem aliquam prævíam ad actum, vi cujus poſsit ſe infallibiliter ſeparare a male operantibus. Discernere ſe *in actu ſecundo*, ſeu discretione ſecunda, est ponere actum præceptum, quem potuiſset omittere, aut ad illum concurrere. Homo non potest ſe discernere in actu primo; quia quamvis prævideatur consensurus auxilio A, si illud daretur, consensus tamen hic conditionate futurus non est causa cur homini detur auxilium A; ſed mere gratuito conceditur, atque idcirco datur, ut ſequatur consensus. Solus itaque Deus discernit hominem in actu primo discretione physica, dando ipsi auxilium prævisum congruum: & discretione morali, ex affectu ſpecialiter benevolo, eligendo ac dando creaturæ auxilium congruum præ incongruo. In actu ſecundo discernit ſe homo, quia libere ac meritorie consentit gratiæ, & actum ponit quem omittere potuiſset: ita tamen, ut causa principalis hujus discretionis in actu ſecundo ſit ipse Deus, qui ad actionem ſalutarem concurrit, non ſolum per ſuam omnipoten-

Adverſarii perperam contendunt, in noſtro ſyſtemate hominem non a Deo, ſed a ſe ipso diſcerni.

tiam, ſed etiam per ſupernum auxilium congruum, a quo voluntas creata habet vires ad ſalutariter operandum. Ad *prob.* C. Imum membrum Antecedentis, IIdum Dist. Concursus Dei concurrentis per ſolam omnipotentiam, est communis omnibus, C. A. Concursus Dei concurrentis per auxilium congruum, N. A. & Conseq. Quamvis gratia ex natura ſua non ſit connexa cum actu ſalutari, collata tamen ſub directione Scientiæ mediæ infallibiliter cum illo connectitur. Neque dicas: si collatio auxilii quod prævidetur congruum, ſufficit ad hoc ut Deus dicatur discernere in actu primo consentientem, Deus in actu primo discernere etiam dicendus erit diſsentientem, eoquod ipsi conferat auxilium prævisum incongruum: facile enim negatur illatum, Imo. Quia auxilium ſupernaturale non influit in diſsensum, ſed voluntatem ab eo potius removet: IIdo. Quia Deus non conſert auxilium incongruum, eoquod illud incongruum fore præviderit; ſed diſsensum permittere tantum decernit, quem impedire non tenetur.

175. Dices I. Juxta nos fieri potest, ut ex duobus hominibus eodem modo tentatis, & æquali gratiæ auxilio instructis, unus victas det manus tentationi, alter eam generose repellat. Sed qui resistit tentationi, discernit ſemetipsum a consentiente. Ergo. P. m. Auxilium gratiæ est in ambobus æquale. Ergo quod unus resistat tentationi, tribui non potest gratiæ. *Confirm.* Ratio formalis, cur unus tentationi resistat, alter non resistat, alia juxta nos aſsignari nequit, quam quia unus vult, alter non vult. Ergo qui tentationi resistit, ſe ipsum discernit a non resistente. R. C. M, quam etiam Augustinus admittit Lib. XII. de Civit. Dei, Cap. VI. Et N. m. Discretio radicalis est a ſolo Deo, qui uni dedit gratiam congruam, quem, si gratia illa daretur, prævidit tentationi restiturum: discretio vero formalis, ſeu id per quod resistens formaliter & immediate discernitur a non resistente, est principaliter a gratia congrua, tamquam a causa ſuperiori, principali, ac primas ſibi vindicante in productione actus ſalutaris; atque ab ipsa etiam resistentis

tis hominis voluntate, tamquam causa secundaria, præventa, corroborata, ac consensum salutarem ipsi gratiæ debente. Ad *probat.* D. A. Auxilium in ambobus est æquale in ratione auxilii, secundum entitatem suam sumpti, C. A. In ratione beneficii, N. A. & Conseq. Quamvis in dato casu gratia in ratione auxilii sit æqualis; qui tamen tentationi resistit, habet gratiam simul cooperationis, & gratiam collatam dependenter a Scientia media de consensu, quatenus a Deo obtinet gratiam expresuram consensum salutarem: quibus omnibus caret alter, qui tentationi succumbit. Ad *confirm.* C. A, quod ab Augustino etiam admittitur Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXXIV. *In omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Et N. C. Quamvis qui tentationi resistit, ideo resistat quia vult; si tamen a Deo vocatus non fuisset, quomodo Deus sciebat ei congruere, ut vocantem non respuat, absque dubio noluisset tentationi resistere. Ergo prima ratio, cur victas manus tentationi non dederit, fuit gratia congrua.

176. Cæterum ut infirmitas argumenti ex Paulino textu petiti manifeste deprehendatur, observo juxta patronos gratiæ intrinsece efficacis, præter Bannesianos, tum Adamo ante lapsum, tum etiam Angelis gratiam fuisse collatam, non ex natura sua connexam cum actu salutari, sed indifferentem; non auxilium *quo*, sed auxilium *sine quo non:* neque tamen idcirco dicere possunt adversarii, Angelos bonos non a Deo, sed a se ipsis discretos fuisse a massa rebellium Angelorum, nisi a doctrina Patrum recedere velint. Certe de Angelis bonis scribit S. Augustinus Lib. XI. de Civit. Dei, Cap. XIX. *Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent præscire casuros, & lumine privatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros.* Et Enarratione in Psalm. XXXII. Sermone III. *Ergone forte de cœlis quæreres, cum audires, Misericordia Dei plena est terra? Audi: quia Domino & cœli indigent: Verbo*

bo Domini cœli ſolidati ſunt. Nam non a ſe ſibi ſolidamenentum fuerunt. - - - Non habuerunt aliquid ex ſe, & tamquam ſupplementum a Domino perceperunt. Spiritu enim oris ejus non pars, ſed omnis virtus eorum. S. Anſelmus Lib. de casu diaboli, Cap. I. quærens, an illud Apostoli, *Quid habes, quod non accepiſti?* dicatur de hominibus tantum, an etiam de Angelis, respondet: *Nulla creatura habet aliquid a ſe. Qui enim ſe ipſum non habet, quomodo habet a ſe aliquid:* S. Bernardus Lib. de Gratia & Lib. arbitrio ait: *Superioribus ſpiritibus datum eſt ſine peccato & miseria perdurare. Adæ autem absque his quidem eſſe; ſed non etiam permanere.* Ergo ipsi adversarii fateri coguntur, quod gratia de ſe indifferens non impediat, quo minus Deus creaturam discernat.

177. Dices II. Homo juxta nos potest e gratia ſufficiente facere congruam. Ergo homo ſe ipsum discernit. R. D. A. Potest e gratia ſufficiente facere congruam, facta ſuppositione, quod Deus liberaliter illi offerat v. g. auxilium A, C. A. Hac ſuppositione non facta, N. A. & Conseq. Non est in potestate & arbitrio hominis habere gratiam ſimpliciter, & multo minus habere gratiam, quæ prævidetur efficax. Supposito autem quod Deus liberaliter illi offerat auxilium A, potest homo consentiendo illi auxilio terminare Scientiam mediam de consensu, & tunc illa gratia prævideretur eſſe congrua, atque infallibiliter connexa cum actu ſalutari. At vero ex hoc minime ſequitur, quod homo ſe ipsum discernat; consentire enim numquam potest Deo vocanti, nisi gratia ſupernaturalis hominem præveniat, corroboret, adjuvet: neque umquam homo actum ſalutarem elicit, nisi Deus eum vocet, quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non respuat; quod ex ſolo Dei beneplacito pendet.

178. Dices III. Homo juxta nos potest facere, ut Deus conferat illi auxilium A. per decretum prædefinitivum potius, quam permiſsivum. Ergo e ſufficiente gratia potest facere congruam. Resp. ut prius. Homo ſimpliciter facere non potest, ut Deus conferat

illi

illi v. g. auxilium A, quod tamen auxilium neceſsario requiritur ad decretum benevolum. Ergo nulla facta ſuppoſitione, quod Deus velit dare auxilium A, homo non potest obtinere decretum benevolum, quod est ſpecialis gratia: facta autem ſuppoſitione, quod Deus conferat auxilium A, potest homo terminare Scientiam mediam de consensu; ſicque auxilium A prævideretur congruum, conferreturque per decretum, non permiſsivum, ſed prædefinitivum, ac ſpecialiter benevolum.

179. Dices IV. Discretio consentientis a diſsentiente repeti in nostro ſystemate non potest a gratia congrua, quæ confertur in ejusmodi circumstantiis, in quibus prævidetur conjungenda cum consensu. Ergo repetitur ab ipsa creatura. P. A. Quod unus gratiæ consentiat, alter diſsentiat, non pendet a circumstantiis. Ergo non pendet a gratia congrua in his circumstantiis collata. R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C, & retorqueo argumentum. Quod ignis urat, non pendet ab applicatione. Ergo neque ab igne applicato? Gratia congruitatem ſuam contingentem & impedibilem formaliter a ſe ipsa habet, & præsuppositis quibusdam circumstantiis extrinsecis, atque interna habitudine voluntatis, quæ ſunt respectu gratiæ congruæ pura conditio ſine qua non, ſicut applicatio respectu ignis. Ergo quamvis consensus ſalutaris non pendeat a circumstantiis, quæ nullum exercent influxum in actum ſalutarem, pendet tamen a gratia, quam Deus prævidit in his circumstantiis obtenturam eſse consensum.

180. Dices V. Quod commune est bonis & malis, non discernit consentientem a diſsentiente. Atqui gratia ex natura ſua indifferens juxta nos est communis bonis & malis. Ergo gratia ex natura ſua indifferens non discernit consentientem a diſsentiente. P. M. Imo Authoritate S. Augustini, qui Lib. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. V. ſcribit: *Numquid per hæc dona, quæ omnibus communia ſunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* IIdo paritate. Quamvis homines indigeant equo ad iter celeriter peragendum, remis ad remigandum, armis ad pugnandum; ſi tamen duo

in

in his pares ſint, & nihilominus unus alteri prævaleat, id non aliunde repeti potest, quam ex ipsius industria & conatu. Ergo a pari, quamvis gratia ſit neceſsaria ad ſalutariter agendum; quod tamen unus gratiæ conſentiat, alter diſsentiat, id repeti non potest ex natura gratiæ, quæ de ſe est indifferens, ſed ex conatu & voluntate creaturæ. R. N. M. Gratia excitans, ſive ei conſentiatur, ſive resistatur, dat ſemper virtutem neceſsariam ad agendum, prævenit, corroborat, movet, quamvis impedibiliter, voluntatem. Ergo gratia, licet communis ſit bonis & malis, discernit ſemper conſentientem a diſsentiente. Præterea D. m. Gratia est communis bonis & malis, ſpectata quoad ſuam entitatem, C. m. Considerata ut est expreſsive & affective efficax, N. m. Gratia efficax entitative considerata non differt a gratia ſufficiente; proinde omnibus tam conſentientibus quam diſsentientibus communis est: at vero considerata ut est expreſsive & affective efficax, non omnibus, ſed iis tantum conceditur, qui gratiæ cooperantur; hos enim tantum per Scientiam mediam prævidit Deus gratiæ cooperaturos si daretur; hisque tantummodo Deus ex ſpeciali benevolentia decrevit auxilium illud dare, ut ſequatur consensus. Ad I^mam *prob.* R. Augustinus loco cit. contra Pelagianos disputans, non loquitur de gratia ſupernaturali, ſed de natura humana, & libero arbitrio, quod Pelagiani gratiæ nomine turpiter abutentes, utque errores ſuos tegerent, *gratiam* vocabant, ut manifeste colligitur ex contextu. Ad II^dam *prob.* C. A. N. C, & paritatem. Equus, arma, & remi non dant poſse, neque vires ad equitandum, bellandum, & remigandum: & omnino indifferenter ſe habent, nec ullam habent connexionem ſive ex ſe ſive aliunde cum recto illorum usu. At vero gratia excitans elevat naturam ad operandum in ordine ſupernaturali, dat ipsi vires ad actus ſalutares: & quamvis de ſe ſit indifferens ad ſalutarem operationem, neque illam ſecum inseparabiliter trahat; nihilominus prout collata ex directione Scientiæ mediæ de illius bono usu, infallibiliter connectitur cum ſalutari opera-

operatione, atque discernit in actu primo salutariter operantem & consentientem a non operante & dissentiente: salutaris autem operatio, quam immediate eligit ac determinat voluntas creata, viribus gratiæ adjuta, discernit consentientem & salutariter operantem in actu secundo. Vide hac de re plura apud Josephum Carpanum in Disputatione Scholastica de Systemate delectationis cœlestis, ac terrenæ.

Atque actum salutarem non esse opus Dei miserentis, sed hominis currentis.

181. Objic. II. alter locus Apostoli ad Rom. IX. v. 16. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex quo istud instruitur argumentum. Juxta Apostolum opus salutare est opus miserentis Dei. Atqui si gratia non est ex natura sua connexa cum actu salutari, non est opus Dei miserentis, sed hominis volentis atque currentis. Ergo. P. m. Effectus tribui potius debet causæ determinanti, quam causæ indifferenti. Atqui gratia Dei est indifferens, ex natura sua minime connexa cum actu salutari; voluntas vero hominis se ipsam determinat ad actum. Ergo effectus, seu opus salutare juxta nos voluntati nostræ magis tribuendum est quam gratiæ. *Confirm.* Juxta nostrum systema Deus promiscue gratiam indifferentem confert tam salutariter operanti, quam non operanti. Ergo erga omnes est æqualiter benevolus. Ergo Deo actus bonus tribui non potest ratione majoris benevolentiæ. R. C. M. N. m. Dei gratia non impedit quidem, quo minus voluntas creata influat in opus salutare, ita ut ipsa sola illud immediate eligat ac determinet; est tamen causa principalior elevans voluntatem ad operandum in ordine superno, præbens ipsi vires ad sic operandum, & inclinans eam ad actus salutares. Atque ita respondet S. Thomas in II. Dist. XXVI. Quæst. I. Art. V. *Verum est, quod ipse motus voluntatis non est a gratia sine libero arbitrio; & tamen quia se habet gratia, ut principale, quia inclinat ad talem actum per modum naturæ, ideo ipsa sola talem actum dicitur operari; non quia sine libero arbitrio operatur, sed quia ipsa est principalior causa.* Et Quæst. XXIV. de Veritate, Artic. I. *Illa est causa principalior, quæ*

quæ magis influit in effectum. Deus autem multo magis influit in consensum salutarem, quam nostra voluntas; quia nimirum concurrit vires tribuendo supernaturales, insuper interne vocando, & sua vocatione faciendo, ut voluntas se determinet: præterea simultanee concurrendo. Ad *prob.* D. M. Si causæ quoad reliqua omnia sint pares, C. M. Secus, N. M. At vero gratia Dei est causa principalior, utpote quæ elevat voluntatem creatam, dat ipsi vires, inclinat ipsam ad salutariter operandum, & cum ipsa in actu secundo operatur. Atque hæc ipsa est ratio, quam S. Gregorius Nazianz. Orat. XXXI. assignat per hanc causalem: *Quia licet ipsum velle nostrum sit, non tamen nisi Deo opitulante & adjuvante, & principaliter operante.* Ad *confirm.* C. A. N. C. Deus non ideo specialiter benevolus est, quia gratiam confert indifferentem; sed quia congruam confert, & prævisam conjungendam cum consensu, quam pro libito suo quibus vult concedit. Ergo quia Deus majori benevolentia prosequitur illos, qui actum salutarem ponunt, donando eis misericorditer gratiam congruam ut sequatur effectus, merito actus bonus Deo tribui potest ac debet ratione majoris benevolentiæ.

182. Dices. Saltem juxta dicta consensus salutaris non est opus solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis atque currentis. Atqui hoc repugnare videtur Apostolo, qui illimitate consensum salutarem Dei misericordiæ tribuit, non voluntati humanæ. Ergo. P. M. Voluntas creata juxta nos determinat gratiam ad influendum in actu secundo in opus salutare, non autem vice versa gratia determinat voluntatem. Ergo. R. D. M. Ita tamen, ut principaliter fit opus Dei miserentis, qui ex sola misericordia dat gratiam congruam, C. M. Secus, N. M, & N. etiam m. Apostolus loco cit. principalem tantum causam assignat actus boni, minime autem excludit causam secundariam ordinis inferioris. Profecto consensus salutaris, cum sit opus meritorium, debet esse liber, atque ita in dominio creaturæ, ut voluntas hunc libere eligat & eliciat. Ergo excludi non potest electio & cooperatio voluntatis

tatis creatæ. Hinc Apostolus I. ad Cor. Cap. XV. ait: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Quæ verba interpretans Augustinus Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. V. ita loquitur: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum: id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Et Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. *Ut velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Ad *prob.* D. A. Voluntas creata viribus ſuis relicta, N. A. Voluntas creata, a gratia corroborata & elevata, C. A. Antequam voluntas gratiam determinet ad influendum in actu ſecundo in opus ſalutare, debet a gratia præveniri, corroborari, atque habilis reddi ad agendum meritorie. Tum vero viribus gratiæ adjuta ſemetipsam formaliter & immediate determinat ad actu eliciendum opus ſalutare indivisim cum gratia, cum omnipotentia, & reliquis comprincipiis, per unam eamdemque individuam actionem concurrentibus: ex quo minime ſequitur voluntatem eſſe causam principalem actus boni; ſed tantum veram libertatem habere, non a coactione modo, quam omnes hæretici admittunt, verum etiam a neceſsitate, ac ſuorum actuum dominium.

183. Objic. III. Authoritas Conciliorum. Arauſicana II. Synodus Capitulo IV. ait: *Siquis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur; reſiſtit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino.* Atquì in nostro ſystemate Deus expectat voluntatem nostram, ut purgari ac consentire velimus. Ergo. P. m. Deus juxta nos, ſaltem ordinarie, nec physice nec moraliter voluntatem nostram prædeterminat, ſed liberam determinationem nobis relinquit. Ergo expectat consensum voluntatis nostræ. *Confirm.* Saltem Deus ut det gratiam efficacem, debet juxta nos expectare tempus & circumstantias congruas. Ergo. R. C. M. D. m. Expectat conatum, aut desiderium

Fruſtra nobis objicitur authoritas Conciliorum.

um ſolius naturæ viribus elicitum, ut Semipelagiani docebant ab hac Synodo damnati, N. m; ſatemur enim, ac propugnamus, gratiam ſupernaturalem prævenientem omnino neceſsariam eſse etiam ad initium fidei & ſalutis. Expectat voluntatem noſtram, hoc est, non decernit dare illam gratiam, antequam per Scientiam mediam cognoscat, illam si daretur fore congruam, C. m. Deus, proprie loquendo, non expectat consensum voluntatis noſtræ; ſed eum ipse tamquam causa principalis efficit, licet non ſine noſtra voluntate libere ſe determinante dependenter a gratia. Ad *confirm.* N. A. Nam Deus infinite potens infinitum habet thesaurum gratiarum diversiſsimarum, quas inter ſemper ſunt aliquæ, per quas quemlibet hominem, quovis tempore, & in quibusvis circumstantiis movere potest, ſicut ei congruit ut consentiat. Quare nullum tempus, nullaque circumstantia potest eſse incongrua, aut non opportuna respectu Dei: nam tempus quod est incongruum respectu hujus gratiæ, non est tempus incongruum respectu aliarum gratiarum, quas Deus dare potest ad eliciendum consensum ſalutarem. Ergo Deus non expectare debet tempus congruum, multoque minus, proprie loquendo, explorat genium hominis ac circumstantias; nam explorare est investigare & inquirere cum labore & ſollicitudine quod quis ignorat: quod nulla ratione convenire potest Deo: qui uno ſimplici intuitu ab æterno clare & distincte cognoscit, quidquid creatura in quacunque hypothesi eſset factura.

184. Dices I^mo. Tridentinum Seſs. VI. Cap. V. ait, justificationis exordium a Dei prævenient gratia ſumendum eſse. Atqui juxta nos ſumendum eſset a determinatione voluntatis, gratiæ prævenienti libere consentientis. Ergo. P. m. Gratia præveniens a Deo collata, non est ex natura ſua connexa cum actu ſalutari. Ergo per talem vocationem Dei, & gratiam prævenientem, nondum factum est initium justificationis. Ergo fit per liberum voluntatis consensum. R. C. M. N. m; quia antequam voluntas ſe determinet ad actum ſaluta-

lutarem, roboratur & movetur, licet resistibiliter, a gratia prævenient & excitante, gratuito prorsus collata. Ad *prob.* C. A. N. C. Quamvis gratia ex natura sua non sit infallibiliter connexa cum actu salutari, est tamen infallibiliter connexa per Scientiam mediam, per quam Deus prævidet infallibiliter secuturum esse consensum, si hominem vocet, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.

185. Dices II. Juxta Tridentinum consensus salutaris est donum Dei. Atqui si gratia ex natura sua non est connexa cum illo, consensus salutaris non esset donum Dei. P. m. Consensus salutaris est a voluntate se ipsam determinante. Ergo non est donum Dei. R. C. M. N. m. Consensus salutaris est simul donum Dei, & meritum nostrum: Donum Dei; quia non elicitur nisi per gratiam excitantem congruam, tamquam causam principalem, dantem vim ac potentiam agendi supernaturaliter, & per gratiam adjuvantem, gratis & absque merito datas. Idem consensus salutaris est etiam meritum nostrum; quia non fit nisi ex propria & libera determinatione voluntatis adjutæ per gratiam. Ad *prob.* D. A. Est a voluntate se ipsam determinante, sed adjuta & corroborata a gratia, & quidem congrua, C. A. Viribus suis relicta, N. A.

186. Objic. IV. Authoritas S. Augustini. S. Doctor Lib. de Correpț. & Gratia, Cap. XIV. docet, Deum habere inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem. Atqui hanc non haberet, si gratia ex natura sua non foret connexa cum actu salutari. Ergo. P. m. Si gratia est de se indifferens, nequit quidquam perficere, si voluntas humana ei resistat. Ergo Deus non haberet omnipotentissimam hanc potestatem inclinandorum cordium. R. C. M. N. m. Ad *prob.* D. A. Nequit quidquam perficere in sensu composito cum resistentia voluntatis, C. A. In sensu diviso, qui semper datur, quotiescunque a Deo confertur gratia congrua, N. A. Sensus compositus gratiæ congruæ & dissensus voluntatis est omnino impossibilis; non impossibilitate orta ob intrinsecam connexionem gratiæ cum

S. Augustini.

actu

actu salutari, sed ob infallibilitatem divinæ præscientiæ. Impossibile siquidem est, ut gratia congrua, & prævisa a Deo in his circumstantiis conjungenda cum consensu, conferatur in iisdem circumstantiis, & non conjungatur cum consensu, sed potius cum dissensu; quia sic falsificaretur divina præscientia. Hinc eandem objectionem sibi proponens Augustinus Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. scribit: *Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, jam volumus: ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus.* Difficiliores alios Augustini textus, qui hic objici possent, jam expendimus Num. 123. & sequent.

Ac Facultatis Theologicæ Lovaniensis ac Duacenæ.

187. Objic. V. Authoritas Facultatis Theologicæ Lovaniensis & Duacenæ, quæ Anno 1587. hanc, pluresque alias Lessii & Hamelii propositiones: *Fieri potest, & de facto sæpe fit, ut quis auxilium habeat præveniens, & omnino sufficiens in genere auxilii prævenientis ad conversionem; & tamen non convertatur, quia non vult,* damnarunt ut peregrinas, offensivas, & periculosas. R. Censuram illam, quæ ex officina potissimum Michaelis Baii prodiit, exigui esse momenti ac ponderis. Displicuit illa Facultati Theologicæ Academiæ Moguntinæ, Trevirensis, Ingolstandiensis, ac Sorbonæ, quarum sententiam exquisierant Lovanienses. Displicuit illa viris doctissimis, Thomæ Stapletono Duacensis Academiæ Professori, Lævino Torrentio Antuerpiensi, Joanni Strieno Middelburgensi Episcopo, Octavio Cajetano, Pontificio ad Belgas & Rhenum Legato, aliisque viris gravissimis in Ecclesiastica dignitate constitutis. Et Strienus quidem Middelburgensis Episcopus in epistola ad Joannem Hauchinum Mechliniensem Archiepiscopum XIX. Februarii data Anno 1588. scribit: *Post mortem meorum Præceptorum, Ruardi Tapperi & Jodoci Tiletani, & recessum ex hac Academia* (Lovaniensi) *ad Episcopalem residentiam Martini Rithovii Iprensis, & Cuneri Leovardiensis Antistitum, ut Africa semper aliquid monstri, ita hæc Facultas novæ doctrinæ aliquid gignit: adeo*

ut

ut liberas opiniones affigat prætextu fictæ hæreseos. Horum autem, Michaelis (Baii) *& Joannis* (a Lovanio, sive Hesselii) *discipuli sunt, quicunque nunc temporis Lovanii, & in recentiore Universitate Duacensi Theologi nominantur.* Denique, quod rei caput est, importuna atque injusta hæc censura displicuit Sixto V. Romano Pontifici, qui a Lessio rogatus, ut ipse sententiam ferret, convocato cœtu Cardinalium, post longam & profundam discussionem, propositiones illas Lessii approbavit tamquam articulos *sanam doctrinam* continentes, mandavitque Octavio Calatino Nuntio suo, ut hanc suam sententiam Lovanii promulgaret, præciperetque sub pœna excommunicationis, ne quis eosdem articulos damnaret, vel censura ulla notaret: quæ omnia a Calatino executioni fuere mandata Lovanii die X. Julii anno 1588. Atque ex eo tempore Patres Societatis satis quiete egerunt, multique Doctores Lovanienses sensim sententias suas mutare cœperunt. Vide, quæ de hac controversia scripserunt Isaacus Habertus Vabrensis Episcopus in Defens. Fidei, Cap. XIV. Paragr. III. & Theodorus Eleutherius, seu Livinus de Meyer Tomo I. Hist. Controvers. de Auxiliis Divinæ Gratiæ, Lib. I. a Cap. VI. usque ad Cap. XVIII.

188. Objic. VI. Libertas creaturæ. Non potest a nobis explicari, quomodo qui non habet gratiam congruam, possit nihilominus actum salutarem ponere. Ergo ex hoc capite, quod gratia concilietur cum libero arbitrio, systema nostrum aliis præferri non debet. P. A. Ut actu sequatur consensus salutaris, necessario requiritur gratia congrua, seu talis quæ infallibiliter a Deo per Scientiam mediam prævideatur esse connexa cum consensu. Ergo qui non habet gratiam congruam, non tantum salutariter non aget, sed neque agere potest. P. C. Quod requiritur ad agere, requiritur etiam ad posse agere. Atqui ad agere requiritur gratia congrua. Ergo etiam ad posse agere. Atqui qui actum salutarem non ponit, non habet gratiam congruam. Ergo qui actum salutarem non ponit, non habet veram potentiam ad illum ponendum. R. N. A.

Item libertas creaturæ.

N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Ad hujus *prob.* D. M. Quod requiritur ad agere propter aliquam virtutem, ſine qua impoſsibilis est actio, requiritur etiam ad poſse agere, C. M. Quod requiritur ad agere propter aliquam connexionem, ex qua infallibiliter ſequitur effectus, requiritur etiam ad poſse agere, N. M. Et ſic dist. minore, N. C. Ut quis actu agat, & Deus infallibiliter prævideat gratiam de ſe indifferentem conjungendam eſse cum consensu ſalutari conditionate futuro, neceſsario requiritur Scientia media, non quod illa det gratiæ virtutem aliquam efficiendi consensum; ſed quia ſine illa effectus infallibiliter a Deo ſub conditione ſibi ſoli libera prævideri non poſset. Ergo ſine Scientia media datur tota virtus ad agendum requisita, ac consequenter potentia completa ad agendum. Hac tamen responsione uti nequeunt gratiæ ex natura ſua efficacis patroni, juxta quos gratia ſufficiens caret virtute aliqua intrinseca, quam habet gratia efficax, & ſine qua repugnat dari actum ſalutarem.

189. Dices 1. Ut quis actu agat ſalutariter, requiritur gratia congrua collata per decretum ſpecialiter benevolum. Ergo qui non habet gratiam congruam, non potest ſalutariter agere. P. C. Ut quis poſsit ſalutariter agere, debet habere totum actum primum proximum completum, ſeu potentiam expeditam. Atqui qui non habet gratiam congruam non habet totum actum primum proximum, ſeu potentiam expeditam ad agendum. Ergo. P. m. Decretum benevolum tenet ſe ex parte actus primi proximi. Atqui hoc non habet, cui deest gratia congrua. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *prob.* C. M. N. m. Ad hujus *prob.* N. M. Actum primum proximum, ſeu potentiam expeditam constituit auxilium divinum ſupernaturale, abstrahendo an illud conferatur per decretum prædefinitivum, vel permiſsivum. Ratio est, quia actus primus proximus debet eſse indifferens, nec potest eſse connexus neceſsario cum consensu, vel diſsensu determinate ſumpto. Ergo quamvis homo careat auxilio collato per decretum ſpecialiter benevolum, potest tamen consentire: ſed non con-

consentiet; quia tale auxilium sic collatum non requiritur ad posse consentire, sed ad actu consentire.

190. Dices II. Qui non elicit actum salutarem, habet gratiam incongruam. Ergo non habet veram & completam potentiam illum eliciendi. R. D. A. Habet gratiam incongruam negative, id est, non habet gratiam specialiter congruam, C. A. Habet gratiam incongruam positive, seu carentem virtute aliqua ad agendum necessaria, N. A. & Conseq. Gratia incongrua non movet quidem voluntatem, quomodo illi aptum est ut consentiat; at illam movet, quomodo aptum ei est ut possit consentire: nec caret effectu, nisi quia voluntas ei consentire non vult.

191. Objic. VII. Sequela. Si gratia ex natura sua non est infallibiliter connexa cum actu salutari, tunc neque vis efficiendi consensum erit gratiæ intrinseca. Atqui hoc dici non potest. Ergo. P. M. Juxta nos idcirco gratia est efficax, quia voluntas eidem consentit. Ergo efficacia non est gratiæ intrinseca. P. A. Si voluntas non consentiret, gratia non esset efficax. Ergo gratia est efficax a consensu voluntatis. R. N. M. Ad *prob.* N. A. Voluntas non vult bonum salutare, nec consentit gratiæ, nisi prius natura a gratia moveatur, quomodo illi congruit ut consentiat. Ergo voluntas non tribuit consentiendo efficaciam aliquam gratiæ prævenienti. Ergo sicut effectus a sua causa, ita consensus voluntatis dependet a gratia præveniente. Et quamvis consensus voluntatis conditionate futurus prior sit prioritate suppositionis ad gratiam efficacem actu existentem; non tamen est prior prioritate naturæ & causalitatis, quia sicut in scientiam, ita etiam in gratiam, nullam ille exercet causalitatem. Ad hujus *prob.* C. A. N. C. Argumentatio illa est similis huic: Si non datur calor, non datur ignis: ergo calor est causa ignis. Ex actuali consensu, vel dissensu recte colligitur efficacia vel inefficacia gratiæ, sed a posteriori tantum, non a priori; eo modo, quo ex effectu infertur causa. *Ad Sequela.*

192. Dices. Voluntas juxta nos potest impedire efficaciam gratiæ. Ergo efficacia gratiæ est a voluntate. R. D. A. Impedire potest efficaciam gratiæ, id est, vim efficiendi consensum, N. A; hæc enim cum sit gratiæ intrinseca, nec augeri, nec minui potest a voluntate, sive eidem consentiat, sive disentiat. Impedire potest efficaciam gratiæ, id est, infallibilem illius connexionem cum consensu, subdist. Impedire potest indirecte, C. Directe, N. A. & Conseq. Voluntas hominis disentiendo impedire potest directe consensum, qui est objectum Scientiæ mediæ; hoc vero impedito, non amplius daretur Scientia media de consensu, neque Deus amplius cognosceret auxilium illud connexum esse cum actu salutari. Ergo voluntas indirecte tantum impedire potest hanc connexionem. Ex quo id solummodo inferri potest, quod consensus conditionate futurus sit purus terminus, seu ratio logica, cur Deus ex essentia sua determinatus ad cognoscendam omnem veritatem, prævideat infallibiliter auxilium A, si id dare vellet, connexum esse cum actu salutari; minime autem, quod consensus conditionate futurus sit vera causa hujus infallibilis connexionis; quemadmodum vera causa esse nequit Scientiæ mediæ, quæ cum Deo identificatur.

CONTROVERSIA IV.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

AN IN STATU NATURAE LAPSAE DETUR GRATIA PURE, SED TAMEN VERE SEFFICIENS?

CONTRA PROTESTANTES ET JANSENIANOS.

Quid sit gratia sufficiens?

193. Nomine *Gratiæ sufficientis* intelligitur interior gratia supernaturalis excitans intellectum & voluntatem, quæ sine alio auxilio, quod se teneat ex parte actus primi, dat voluntati completam bonum volendi & operandi potentiam, ac relativam ad præsentes in quibus homo versatur circumstantias. Gratia sic descripta si effectum suum sortiatur, dicitur *efficax:* omnis

nis enim gratia efficax est vere sufficiens, at non vice versa omnis gratia vere sufficiens est efficax. Si vero effectu suo frustratur ex malitia voluntatis, dicitur gratia *pure*, *sed tamen vere sufficiens*; quia voluntas hac gratia instructa plenam & expeditam habet potentiam ad actum salutarem, licet nolit consentire & cooperari gratiæ, ipsam ad consentiendum & cooperandum excitanti.

194. Porro gratia alia est proxime, alia remote tantum sufficiens. Gratia *proxime & immediate sufficiens* dicitur illa, quæ dat potentiam proximam & immediatam ad ipsum actum salutarem, v. g. ad seriam pœnitentiam & conversionem. *Remote* tantum ac mediate sufficiens est ea, quæ ad ipsum actum salutarem, v. g. seriam pœnitentiam remotam tantum includit potentiam, proximam vero dat ad alium actum, v. g. ad ferventem orationem, qua posita obtinetur dein potentia proxima ad agendam pœnitentiam. Unde gratia sufficiens vel dat posse proxime agere id, ad quod datur, vel certe posse proxime agere aliquid, quo obtineatur auxilium dans posse illud proxime agere. Divisio hæc gratiæ in proxime & remote sufficientem, ejusque explicatio nititur authoritate S. Augustini Lib. de Gratia & Libero arbitrio scribentis, Cap. XV. *Ad hoc valet, quod scriptum est, Si volueris, conservabis mandata: ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Et Tridentini Sess. VI. Cap. XI. *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere quod possis; & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.* Quare priorem non inepete quis vocaverit gratiam sufficientem *operis*; posteriorem vero gratiam sufficientem *orationis*, qua nimirum obtineri queat gratia proxime sufficiens ad opus.

Quid proxime ac remote sufficiens?

195. Præsens controversia versatur in eo, an in statu naturæ lapsæ detur gratia proxime vel remote, in sensu superius explicato, pure quidem, sed tamen vere sufficiens, qua voluntas adjuta possit actum aliquem supernaturalem deliberatum elicere, si velit;

Status quæstionis.

hic & nunc tamen illum non eliciat, quia non vult. Dixi *in ſtatu naturæ lapsæ;* nostrorum enim temporum Sectarii ultro admittunt, Adamum in ſtatu naturæ integræ & innocentis habuiſse gratiam vere quidem, ſed mere ſufficientem ad ſalutariter operandum, ad ſervandum Dei præceptum, & ad perseverandum in illo ſtatu.

Jansenii errores. 196. Contrà in ſtatu naturæ lapsæ Jansenius, ducibus Luthero & Calvino, nullam gratiam mere ſufficientem admittit, quæ potentiam completam conferat ad ſalutariter operandum, quæque idcirco effectu ſuo frustretur, quia voluntas consentire non vult. Lib. III. de Gratia Christi, Cap. III. ita ſcribit Jansenius: *Illud a recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum eſt, aut fiet unquam, ... videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, ſolummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ ſerviens; ideoque lapsis hominibus citra Dei invidiam damnandis excogitatum.* Idem de gratia ſufficiente Jansenii Discipulorum ſensus est. Gerberonius certe ſcribere ausus fuit: *Si diabolus poſſet gratiam dare, non aliam daret, quam ſufficientem; quia favet ipsius intentioni homines damnandi. Unde poteſt appellari gratia damnationis.* Qua in re inepte, ac pugnantia loqui manifeste deprehenduntur Janseniani. Si enim gratia ſufficiens monstrum est, si excogitata est ad damnandos homines citra Dei invidiam, si gratia damnationis vocanda est in ſtatu naturæ lapsæ, cur eam in ſtatu naturæ integræ & innocentis admittunt? An alterius tunc naturæ forsan erat gratia ſufficiens?

197. Causam absurdiſsimi erroris hanc aſsignant Janseniani, a nobis ſuperius jam profligatam: quod nimirum Adamus libere peccando liberum amiserit arbitrium; ſeu libertatem indifferentiæ, (hæc enim apud Catholicos idem ſonant, quamvis in Dictionario Cabalæ Janseniane diversa ſint) ita ut in præsenti ſtatu naturæ lapsæ homo malum velit & operetur, quia ad illud volendum & operandum irresistibiliter determinatur a prædominante delectatione terrena; nec velit & operetur bonum, nisi cum a gratia relative victrice

ad

ad illud volendum & operandum neceſsitatur. Ex quo neceſsario consequitur, non aliam dari gratiam quam efficacem, cui resisti non poſsit: eos qui mandata Dei transgrediuntur, in illis circumstantiis constitutos nullam habere gratiam vere ſufficientem ad illa observanda. Est enim impoſsibile in eorum ſystemate, ut delectatio v. g. cœlestis gradibus inferior terrena, voluntatem poſsit ad consensum ſalutarem determinare.

Jansenianorum fallacia, ac dolus.

198. Complures Janseniani, ut fucum Catholicis faciant, gratiæ ſufficientis nomen cum Catholicis retinent, aſserentes gratiam ſufficientem ſe admittere in ſensu Thomistico; rem tamen hoc nomine ſignificatam, ſeu gratiam, quæ in præsentibus circumstantiis confert veram & expeditam potentiam ad actum ſalutarem, penitus rejiciunt. *Gratia ſufficiens Thomiſtarum*, ſcribebant Duacenses quidam Profeſsores ad Arnaldum, *eſt nebula ad occultanda myſteria gratiæ. Si illa non ſufficit ad agendum, ſufficit ad nos defendendos a laqueis adversariorum.* Et D. de Lygny Epist. Vta Augusti ſcripta anno 1690. *Neceſse eſt uti voce gratiæ ſufficientis in ſensu Thomiſtico, ad evitandam perſecutionem Societatis vindicativæ.* Nomine autem gratiæ ſufficientis intelligunt vel ſolam gratiam habitualem, vel parvam actualem, quæ est delectatio cœlestis gradibus inferior terrena, hujus tantum effectus capax, ut in homine irresistibiliter excitet piam quamdam velleitatem, ſeu desiderium inefficax. At vero Janseniſtæ manifeste abutuntur terminis: neque enim ſola gratia habitualis, nec gratia illa parva actualis potest eſse gratia vere ſufficiens; non habitualis, nam præterquam quod infideles omnes & peccatores illa careant, ſicque destituerentur gratia ſufficiente, potentia ad actum ſalutarem nullo modo habetur ſine auxilio gratiæ actualis, interioris, ſupernaturalis, ut ostendemus Controversia VIII: non gratia illa parva actualis; quia in eorum ſystemate impoſsibile est, ut homo gratia illa parva instructus in illis circumstantiis, in quibus versatur, quando nimirum terrena delectatio gradibus ſuperat cœlestem, actum ſalutarem eliciat. Ergo gratia illa parva in illis circum-

cumstantiis non confert homini veram, relativam, & expeditam potentiam eliciendi actum salutarem.

Dari in statu naturæ lapsæ gratiam vere ac relative sufficientem ostenditur authoritate Scripturarum.

199. Conclusio. In statu naturæ lapsæ datur gratia pure quidem, sed vere sufficiens, quæ relate etiam ad præsentes circumstantias, voluntati confert veram ac completam potentiam eliciendi actum salutarem, effectuque suo destituitur ex culpa voluntatis. Prob. Conclusio hæc dogmatica 1mo Authoritate Scripturarum, atque iisdem textibus, quibus Num. 117. evicimus, gratiam ex natura sua non esse irrepudiabilem. Proverb. Cap. I. Deus ait: *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Quæ objurgatio iniqua fuisset, si qui objurgantur gratiam non habuissent vere sufficientem, sine qua Deo vocanti obsequi non poterant: Isaiæ Cap. V. Deus sub figura vineæ Judæorum incredulitatem & contumaciam increpat: *Judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ergo Judæi habuerunt gratias sufficientes copiosas, quibus cooperari potuissent, nec tamen ex malitia voluntatis cooperati sunt; alias Deus nec serio dicere potuisset, *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* nec serio ac prudenter expectare potuisset a Judæis consensum salutarem, qui sine gratia saltem vere sufficiente omnino elici nequit. Lucæ Cap. X. v. 13. ait Christus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnituerent.* Ergo gratia quam habuerunt Corozaitæ, non erat efficax, utpote quam rejecerunt; erat tamen vere sufficiens, quia si Tyriis hæc eadem entitas collata fuisset, salutarem pœnitentiam infallibiliter post se traxisset. Neque dicant Janseniani, sermonem hic esse de gratia tantum externa, seu prædicatione Evangelii; Christus enim loquitur de illa gratia, per

quam

quam converti debuerant Corozaitæ, & per quam Tyrii revera conversi fuissent. Atqui illa gratia non tantum est externa, sed etiam interna, supernaturalis, excitans intellectum & voluntatem. Ergo loco citato sermo est de gratia supernaturali interiori tam intellectus quam voluntatis.

200. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Capit. XXV. ait: *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Atqui si non haberent gratiam sufficientem, non possent adimplere quæ ad salutem pertinent, cum sæpe gratia efficaci destituantur. Ergo. Valentinum III. Sæculo IX. Can. II. ait: *Nec ipsi mali ideo pereunt, quia boni esse non potuerunt: sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Atqui sine auxilio interioris gratiæ, per quam datur completa potentia bonum faciendi, non potuerunt esse boni. Ergo gratiam habent reprobi; non efficacem, quia nolunt esse boni: ergo vere sufficientem, qua possent esse boni, si vellent. Tridentinum Sess. VI. Cap. XI. ait: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti,* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Atqui si Deus gratiam non dat vere sufficientem, præcepta homini justificato, & sæpe efficaci gratia destituto, essent tunc ad observandum impossibilia, & Deus merito impossibilia jubere dicendus esset. Ergo. *Conciliorum.*

201. Prob. III. Authoritate Pontificum. Innocentius X, cujus definitionem universa acceptavit Ecclesia, primam Jansenii propositionem, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant,* damnavit ut hæreticam. *Pontificum*

Ergo

Ergo contradictoria est de fide. *Nulla Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: nec deest illis gratia, qua possibilia fiant.* Atqui gratia, qua præcepta Dei possibilia fiunt, nec tamen observantur, est gratia mere, sed vere tamen sufficiens: Ergo de fide est dari gratiam mere, sed vere sufficientem in statu naturæ lapsæ. Alexander VIII. anno 1690. die VII. Decembris damnavit propositionem hanc, inter proscriptas ordine sextam: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficiente libera nos Domine.*

Ac præcipue S. Augustini.

202. Prob. IV. Authoritate S. Augustini, qui innumeris pene locis veritatem hanc inculcat. Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. ait: *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Ergo potuit Esau currere, si voluisset, si vocationem non contempsisset. Ergo gratiæ obstitit; non efficaci, quæ a nullo duro corde respuitur: ergo mere, sed tamen vere sufficienti, sine qua currere utique non potuisset. Idem Lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæstione LXVIII. scribit: *Ad illam cœnam, quam Deus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit.* Atqui nisi vocatio fuisset sufficiens, qui non sibi sed alteri tribuere possent ac deberent, quod non venerint. Ergo qui non venerunt, habuerunt gratiam internam, supernaturalem; non efficacem, vere tamen

suffi-

ſufficientem, qua adjuti potuiſſent venire, si voluiſsent, si Deum vocantem non ſpreviſsent. Lib. de Natura & Gratia, Cap. LXVII. ſcribit: *Recte fortaſse quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cum vero* (Deus) *ubique ſit præsens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem aversum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Ergo, teste Augustino, nullius roboris est excusatio peccatoris; quia Deus illi ſufficientia concedit gratiæ ſuæ auxilia, quibus ſanaretur, si volentem ſanare non contemneret. Enarratione in Psalm XCI. ait: *Si Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excusares. . . . Non ceſsat Satanas ſuadere malum: ſed nec Deus ceſsat admonere bonum.* Serm. XXVI. alias XI. de verbis Apoſtoli, Cap. I. *Adoremus eum, Fratres, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos: non enim fecit, & deserit: non enim curavit facere, & non curat cuſtodire. . . . Utique non poteſt non curare quos fecit.* Lib. II. de Serm. Domini in monte, Cap. IX. *Nulla anima eſt, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conscientia non loquatur Deus.* Enarratione I. in Psal. XVIII. *Cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis mortalitatem noſtram ſuscipiens, non permisit ullum mortalium excusare ſe de umbra mortis, & ipsam enim penetravit Verbi calor.* Lib. de Natura & Gratia, Cap. LXIX. *Eo quippe ipso quo firmiſsime creditur, Deum juſtum ac bonum impoſsibilia non potuiſse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Et Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. IV. *Homo ergo juvatur, ne ſine causa voluntati ejus jubeatur.* Profecto cæcus ſit oportet, qui ab Augustino gratiam ſufficientem negatam fuiſse aſserit.

203. Prob. V. Evertendo fundamenta Janseniano- *Evertendo fundamenta Janſenianorum.*
rum. Ex una parte Deus vult omnes homines ſalvos
fieri,

fieri, & Christus ex ſincero ſalutis omnium desiderio pro omnibus mortuus est, ut ostendimus Tomo I. Num. 358. & ſequentibus: ex altera parte datur etiam in ſtatu naturæ lapsæ libertas indifferentiæ: Tomo IV. Artic. IV. Controversia I. & IV.) neque motio gratiæ est irrepudiabilis, ut paulo ante ostendimus Num. 116. & ſeq. Ergo etiam in ſtatu naturæ lapsæ datur gratia mere quidem, ſed vere ſufficiens.

Atque ex ſequelis. 104. Prob. VI. Ex ſequelis ſane horrendis, quæ ex Janseniano ſystemate legitime deducuntur. Nam Imo Deus non peccatoribus modo, ſed justis etiam, amicis ſuis, antequam ab illis deseratur, præciperet impoſsibilia, quæ nullo modo præstari ab ipsis poſsent. Est enim impoſsibile impoſsibilitate non morali tantum, ſed etiam physica, ut homo gratia ſufficiente destitutus, ſalutariter detestetur peccata ſua, & Conditorem ſuum ſupernaturali amore prosequatur: ſicut impoſsibile est, ut homo amputatis pedibus currat. Atqui hoc infinitæ Dei bonitati repugnat; crudelem enim ſapit tyrannidem in terreno etiam Principe non ferendam. Ergo. IIdo. Si omnis gratia, quam Deus hominibus confert, foret efficax, omnemque effectum obtineret, cujus hic & nunc relative est capax: neque in potestate hominis eſset plures a Deo & efficaciores obtinere gratias, ut Jansenistæ contendunt, ſequitur neminem poſse plura bona opera facere, quam actu faciat, neque perfectius cooperari poſse auxiliis divinæ gratiæ, quam de facto cooperetur. Atqui hoc repugnat omnium fidelium, & piorum hominum ſensui, qui ſe accusare ſolent de omiſsione multorum bonorum operum, & negligentiam ac ſocordiam ſuam in ſequendis divinis inspirationibus deplorant. III. Si nulla datur gratia ſufficiens, apertiſsima via ſternitur ad omnia flagitia, & ſummam vitæ licentiam: quantumcunque enim homo de ſua ſollicitus ſit ſalute, illud inimpediibiliter & inevitabiliter aget, ad quod a delectatione relative victrice determinabitur, quin potentiam habeat vel proxime vel remote in illis circumstantiis ſufficientem ad cohibendos pravos animi motus. Ut quid

ergo

ergo frustra se fatiget, aut de sua salute sollicitus vivat? IV. Sublata esset omnis spes Christiana; merito enim cuilibet timendum esset, ne ex eorum numero sit, quos Deus ex solo suo beneplacito æternis inferorum cruciatibus destinavit, quibus intensiorem delectationem cœlestem denegat, sine qua tamen omnino impossibile est e cœno peccatorum emergere, aut tentationi resistere. Quo posito, ubi anchoram quis figet, aut unde firmam spem salutis concipiet? V^to. Sequeretur, omnes quotquot damnantur, citra culpam suam damnari, eoquod denegatum fuerit eis auxilium ad vitandum peccatum, atque ad agendam pœnitentiam sufficiens: deserti antea, quam ipsi Deum peccando desererent; qui tamen, teste Apostolo, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hæ profecto sequelæ tam absonæ, impiæ & crudeles sunt, ut absque horrore audiri nequeant.

Argumenta contraria refutantur.

205. Objicitur I^mo Authoritas Scripturarum. Isaiæ Cap. LV. ait Deus: *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Ergo omnis gratia Dei est efficax, adeoque non datur gratia mere sufficiens. II^do. Ad Rom. Cap IX. dicitur: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ergo non datur gratia sufficiens. P. C. Si daretur gratia sufficiens, cui homo consentiens uberiorem, nempe gratiam operis impetraret, opus salutare non esset Dei miserentis, sed hominis volentis & currentis. Ergo. III. Ad Rom. Cap. IX. v. 19. ait Apostolus: *Voluntati ejus quis resistit?* Ergo gratia sufficiens non datur. P. C. Quando Deus homini dat suam gratiam, vult ut agat bonum salutare. Ergo quando homo gratiam accipit a Deo, semper agit bonum salutare, quia voluntati Dei resistere nequit. Atqui peccator non agit bonum salutare. Ergo gratiam a Deo non accipit. IV. Joannis Cap. VI. ait Christus: *Omnis*

Jansenistæ perperam nobis objiciunt authoritatem Scripturarum.

nis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Ergo qui non venit ad Christum, neque didicit, neque audivit a Patre cœlesti, id est, nulla adjuvatur gratia: nam audire a Patre, est verbum Dei per internam illustrationem percipere; discere vero, est credere & doctrinam amplecti. R. ad 1mum C. A. N. C. Sermo ibi non est de gratia actuali, sed de Messia, & redemptione humani generis, ut S. Hieronymus, S. Cyrillus, aliique Interpretes locum illum exponunt, & ipse contextus indicat. Quod si etiam de gratia actuali locus ille intelligatur, non tamen de qualibet gratia id dictum est a Deo, sed de efficaci tantum. Præterea ipsa etiam gratia sufficiens numquam omni effectu caret, aut redit vacua; manifestat enim divinam misericordiam, providentiam, ac sinceram salvandi omnes voluntatem: excitat hominem ad faciendum quod potest, & petendum quod non potest: cupiditatem minuit, & ardorem concupiscentiæ temperat, ut voluntas resistere possit, quamvis ex propria malitia nolit resistere. Ad IIdum. C. A. N. C. Ad *prob.* N. A. Homo, cui confertur gratia orationis, impetrare non potest gratiam operis solis naturæ viribus, sed per gratiam liberaliter & gratis a Deo concessam roborari & adjuvari debet. Ergo bonum opus magis a Deo per gratiam est, quam a voluntate per conatum & consensum; quia sine gratia voluntas nec conari, nec consentire potest. Ad III. N. C. Ad *prob.* D. A. Vult id semper voluntate sincera, sed non absoluta, id est, id serio, quantum est in se, desiderat, C. A. Vult id semper voluntate absoluta & efficaci, N. A. & Conseq. Voluntas Dei disjunctive tendit; vult enim Deus ut homines gratiæ cooperentur, vel ut in suppliciis experiantur potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt: atque ideo voluntas Dei semper invicta est, & impletur; quia qui noluerunt facere voluntatem Dei, qua eos voluit liberare, facere coguntur & implere consequentem, qua eos justissime vult damnare. Ad IV. N. C. Ex illo antecedente inferri non potest, quod qui ad Christum non venit, neutrum habuerit, id est, quod neque audive-

diverit, neque didicerit a Patre, sed tantum quod non habuerit utrumque simul. Jam vero qui gratiam habet mere sufficientem, audivit quidem a Patre, quia gratiam accipit intellectus & voluntatis; at non didicit, quia ex propria malitia gratiæ non cooperatur, & inspirationi divinæ resistit.

205. Dices. Saltem gratia sufficiens nullibi reperitur in Scripturis, aut Veterum Patrum libris. Ergo commentum est recentiorum Theologorum. R. D. A. Nomen gratiæ sufficientis non reperitur, C. A. Res per nomen significata, N. A. & Conseq. Ecclesia justis de causis plura consecravit vocabula, quæ tantum quoad rem significatam continentur in Scripturis, ut patet in vocibus *Consubstantialis*, *Unio hypostatica*, *Deipara &c.* Hinc post exortos novos errores Lutheri, Calvini, & Jansenii, a Doctoribus Catholicis gratiæ sufficientis nomen usurpari cœptum est, ut Catholicam & antiquissimam doctrinam de Gratia contra novitios errores propugnarent. Verum Janseniani, qui in materiis Theologicis, & rebus ad fidem pertinentibus novas voces execrantur in Verbo Dei scripto non contentas, magnam apud nos gratiam inibunt, si ostenderint quonam Scripturarum divinarum libro, capite, versu, hæc vocabula legantur: *Gratia necessitans*, *irresistibilis*, *Delectatio relative superior*, *Gratia parva Jansenianæ*.

207. Objic. II. Authoritas S. Augustini. Imo S. Doctor Lib. de Prædest. SSrum, Cap. VIII. ait, *eos qui non credunt*, *foris tantum audire*, *non intus*. Ergo qui actum salutarem non eliciunt, non habent gratiam interiorem. IIdo. Eodem libro & capite expendens ea verba Christi, *Omnis qui audivit a Patre*, *& didicit*, *venit ad me*, scribit Augustinus: *Quid est, nisi nullus est, qui audiat a Patre & discat, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit a Patre & didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim ullus audivit & didicit, & non venit.* Ergo qui non venerunt, non didicerunt, idest, gratia erant destituti. III. Lib. de *Ac S. Augustini.*

Gra-

Gratia & Libero arbitrio, Cap. XVII. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam. - - - Ipsam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. - - - Et tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.* Ergo qui peccant non habent gratiam vere ſufficientem. IV. Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. *Ad alios vero vocatio quidem pervenit: ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, ut eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* Et Lib. VIII. Confeſs. Cap. V. *Voluntas nova - - - nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.* Sed gratia, quæ voluntatem idoneam non reddit, eamque movere non potest, non est vere ſufficiens. Ergo. V^to. Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XI. fatetur, gratiam ſufficientem non amplius dari in pœnam peccati originalis, ait enim: *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet, - - - non utique ſua culpa cecidiſſent. - - - Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.* VI. Juxta Augustinum gratia in ſtatu naturæ lapsæ debet eſse potentior; quia debet per eam vinci concupiscentia, quæ nulla fuiſset in ſtatu naturæ integræ. Ergo in ſtatu naturæ lapsæ gratia ſemper debet eſse efficax, nec ſatis est gratia mere ſufficiens, quæ etiam requirebatur ante lapsum. P. A. Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XI. ſcribit: *Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate ſpiritus vincat.*

208. Resp. ad I^mum, eos qui non credunt, foris tantum audire, non quantum ad ſufficientiam gratiæ, quasi

quasi nullam interiorem gratiam haberent ad credendum; sed foris audire quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam si foris dumtaxat audirent. Ad II. N. C. Qui non venerunt ad Christum, non didicerunt equidem a Patre secundum gratiam efficacem, didicerunt tamen secundum gratiam sufficientem, quæ intus eos movebat, licet frustra, propter cordis duritiam. Hinc non audivisse dicuntur eo sensu, quo inobediens & duræ cervicis servus non audire dicitur herum præcipientem. Ad III. N. C. Ex textu illo hoc unum merito inferri potest, non semper adesse potentiam immediatam & proximam bene operandi, v. g. vincendi graves tentationes; sed remotam dumtaxat & mediatam, per orationem scilicet, qua homo uberiora semper Dei auxilia impetrare potest, & potentiam proximam bene operandi. Certe si Petrus juxta monitum Christi vigilasset, & orasset, tentationi non succubuisset. Ad IV. Verba illa, *Moveri non possunt*, significant tantum impotentiam consequentem, ortam ex eo, quia illorum vocatio prævisa fuit incongrua ob refractariam ipsorum voluntatem. Hanc ipsam responsionem assignat Augustinus Tract. LIII. in Joannem, explicans illud Joan. Cap. XII. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias &c.* Ait enim: *Quare non poterant, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænunciavit.* Posteriori textu ex Lib. VIII. Confessionum petito significat Augustinus defuisse sibi tunc temporis gratiam efficacem, qua actu superaret, non vero gratiam sufficientem, qua posset superare depravatam voluntatem. Ad V. N. A. Per adjutorium illud, quod in pœnam peccati denegatur, non intelligit Augustinus gratiam simpliciter sufficientem, sed *proxime* sufficientem, quæ dat *facile* posse, qualem in felicissimo illo primæ innocentiæ statu habuit Adamus, in quo nullum erat appetitus inferioris cum ratione certamen. Hanc potentiam, non remotam, quam nemini denegat, sed proximam tantum, ait S. Doctor aliquibus non dari in pœnam peccati, aliis

mise-

misericorditer concedi. *Quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.* Ergo juxta Auguſtinum in ſtatu naturæ lapsæ datur gratia vere & proxime ſufficiens absque effectu. Ad VI. N. C. Gratia medicinalis, quamvis mere ſufficiens, potentior est gratia ſanitatis, quia voluntatem ſomnolentam & pigram excitat, movet, roborat; quod in ſtatu naturæ integræ & innocentis non erat neceſsarium, cum gratia ſanitatis ſolum intellectum illustraret. Hinc Auguſtinus gratiam ſanitatis numquam appellat delectationem, voluptatem, ſuavitatem prævenientem, aut motionem voluntatis; ſed Lib. de Natura & Gratia, Cap. XLVIII. illam comparat lumini. Ad *prob.* C. A. N. C. Auguſtinus loco cit., ut diximus Num. 131, non loquitur de gratia actuali, ſed de ipsa formali perseverantia. Et quamvis daretur, ſermonem hic eſse de gratia actuali, ſeu causa efficiente perseverantiam; S. Doctor tamen non opponit hic omnem gratiam medicinalem adjutorio, ſine quo non perseverare potuiſset Adamus, ſed tantum illi opponit gratiam efficacem, ſeu adjutorium quo electi perseverant usque ad mortem. Ergo legitime a Janſenianis inferri nequit, gratiam mere ſufficientem in ſtatu naturæ lapsæ non amplius dari, eoquod illa data fuerit in ſtatu naturæ integræ & innocentis.

209. Dices I^mo. S. Auguſtinus eam tantum gratiam agnovit, quam adversus Pelagianos propugnavit. Atqui adversus illos propugnavit tantum gratiam efficacem. Ergo. P. m. Adversus Pelagianos propugnavit tantum gratiam, qua actu creditur, ſperatur, amatur, bonum actu persuadetur. Atqui talis est gratia efficax. Ergo tantum propugnavit gratiam efficacem. Resp. I^mo retorquendo. Illam gratiam agnovit Auguſtinus, quam in ſuis libris tradidit. Atqui Auguſtinus gratiam ſufficientem in libris ſuis tradidit, non quoad vocem quidem, ſed quoad rem ſignificatam, ut ostendimus Num. 202. Ergo. R. II^do. C. M. N. m. Ad *prob.* D. M. Id est, docuit, quod actus ſalutares non eliciantur absque gratia ſupernaturali, distincta a libero arbitrio,

reve-

revelatione & doctrina legis, C. M. Docuit quod quælibet gratia ſupernaturalis ſemper post ſe trahat illos actus, N. M. Cum Pelagius non aliam admitteret gratiam quam externam, internam vero, præcipue voluntatis, constanter negaret ad ſalutariter agendum neceſsariam eſse; Augustinus totus in eo est, ut argumentis ſuis Pelagianos permoveat ad confitendam illam gratiam, qua voluntas excitatur, ut velle & agere valeat ſalutariter. Hinc mirum non est, quod S. Doctor frequentiſsime loquatur de gratia efficaci, quæ ſola voluntati actum ſalutarem persuadet.

210. Dices II. Augustinus constanter rejecit gratiam poſsibilitatis. Atqui gratia ſufficiens est gratia poſsibilitatis. Ergo. IIdo. Gratia ſufficiens eſset omnibus communis, quia urgente præcepto omnibus daretur. Atqui gratiam communem rejecit Augustinus Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. XIII. & Lib. de Prædestin. SSrum, Cap. V. Ergo. R. D. M. Rejecit gratiam poſsibilitatis in ſenſu Pelagii, C. M. In ſenſu Catholico, N. M. Pelagius per gratiam poſsibilitatis, quamvis eam fraudulenter donum Dei vocaret, non intelligebat gratiam interiorem ſupernaturalem illuſtrationis & inspirationis, quam Catholici omnes dicunt ſimpliciter neceſsariam eſse ad ſalutariter agendum, ſed liberum ſolummodo intelligebat arbitrium: ſubinde faſsus est liberum arbitrium adjuvari per gratiam externam, nimirum Legem, doctrinam, ac prædicationem Evangelicam, & Christi exempla. Tandem, rejecta ſemper gratia inspirationis, admisit etiam illuſtrationem internam intellectus, quam tamen contendebat non eſse neceſsariam ad ſimpliciter poſse, ſed tantum ad facilius poſse. Ad IIdum. C. M. D. m. Augustinus rejecit gratiam communem in ſenſu Pelagianorum, qui per eam intelligebant naturam & liberum arbitrium, C. m. In ſenſu Catholico, N. m.

211. Objic. III. Inutilitas gratiæ ſufficientis. Gratia mere ſufficiens est inutilis tum homini, tum etiam Deo. Ergo cum dona Dei non ſint inutilia, Deus gratias mere ſufficientes nemini concedit. Prob. Ima. pars *Inutilitatem.*

Anteced. Gratia mere ſufficiens numquam profuit, numquam prodest, aut proderit homini. Ergo est homini inutilis. Prob. altera pars Anteced. Si gratia mere ſufficiens eſset utilis Deo, tunc ideo, quia Deus illam concedendo ſeriam ſuam voluntatem ostenderet ut omnes homines ſalvi fiant. Atqui hanc ſeriam voluntatem Deus non ostendit concedendo hominibus gratiam mere ſufficientem. P. m. Qui ſerio intendit finem, non utitur mediis quæ certo ſcit effectum non habitura, præcipue si media efficacia ad manum habeat. Atqui Deus juxta nos per Scientiam mediam prævidet hanc gratiam consensum ſalutarem non eſse operaturam, plurimaque alia in thesauro gratiarum ſuarum habet auxilia cum consensu infallibiliter conjungenda, si darentur. Ergo Deus concedendo gratiam ſufficientem non potest ſerio intendere consensum ſalutarem. P. M. Pater non censetur ſerio velle emendationem filii, si media adhibet quæ ex malitia filii prævidet fore inefficacia; nolit autem adhibere illa, quibus certo cognoscit filium ad meliorem frugem rediturum. Ergo neque Deus ſerio velle ſalutem hominum censendus est, si eas homini gratias ſuppeditet, quas infallibiliter prævidet effectu frustrandas eſse ex malitia hominis, nolitque ea auxilia largiri, quæ infallibiliter cognoscit cum consensu conjungenda eſse. *Confirmat.* Deus gratiam mere ſufficientem confert ut prævisam inefficacem, dependenter a Scientia media de diſsensu. Ergo non vult consensum ſalutarem. R. I^mo retorquendo argumentum in Janſenianos, qui ultro admittunt, Adamo collatam fuiſse gratiam mere ſufficientem. Atque hac unica retorsione ostenditur infirmitas totius argumenti. R. II^do. N. A. Ad I^mam *prob.* D. A, Numquam profuit, prodest, aut proderit, ex mera culpa accipientis, C. A. Ex natura & infirmitate gratiæ ſecundum ſe ſpectatæ, N. A. & Conseq. Gratia mere ſufficiens ſecundum entitatem ſuam ſpectata ſæpe tam potens est, immo non raro potentior est, quam multæ gratiæ efficaces ſpecificative acceptæ: quod vero hic & nunc non prosit, hominis malitiæ adscribendum est

qui ,

qui cum posset, gratiæ cooperari non vult ex malitia voluntatis, non defectu potentiæ. Neque idcirco gratia mere sufficiens inutilis dici potest, nisi res saluberrimas, aurum, medicinas, scientiam, atque ipsa etiam Sacramenta inter res inutiles recenseas, quod illa ob culpam abutentium sæpe non prosint, vel etiam obsint. Ad IIdam *prob.* C. M. N. m. Ad *prob.* D. M. Qui serio vult, & simul illimitate, C. M. Qui serio quidem vult, sed limitate, N. M. Ille serio quid velle censendus est, qui media eligit necessaria, & plene sufficientia ad obtinendum finem, quamvis in promptu habeat media efficaciora. Ad hujus *prob.* C. A. N. C. In humanis electio mediorum inefficacium præ efficacibus conciliari non potest cum seria voluntate effectus. Cum enim regulariter impedire teneamur effectum malum, aut damnum proximi, quantum possumus, si media quæ inefficacia prævidentur præ efficacibus eligimus, plerumque non id præstamus quod a nobis exigitur: At vero Deus quamtumvis serio, voluntate antecedente & conditionata, consensum salutarem desideret, omniumque hominum salutem, ita ut per ipsum non stet quo minus omnes illam adipiscantur; mala tamen, ex quibus plurima bona scit eruere, impedire non tenetur: secus peccatum omne non modo numquam contingeret, sed nec contingere posset. Ad *confirm.* D. A. Id est, Deus non obstante prævisione dissensus confert gratiam sufficientem, C. A. Confert illam ob prævisam inefficaciam, & ideo quia scit fore inefficacem, N. A. & Conseq. Decretum permissivum ita tendit: *Quamvis prævideam Petrum dissensurum auxilio A vere sufficienti, si daretur; statuo tamen conferre illi auxilium A, & permittere dissensum.*

212. Objic. IV. Implicantia gratiæ mere sufficientis. Hæc gratia esset vere sufficiens, ut nos dicimus, & simul non esset vere sufficiens. Ergo involvit contradictionem. Prob. altera pars Anteced. Potentia quam dat gratia sufficiens, necessario excludit actum salutarem. Sed si hunc excludit necessario, non est vera potentia. Ergo. P. M. Si actum salutarem necessario

Atque implicantiam gratiæ mere sufficientis.

non excluderet, gratia illa non amplius esset mere sufficiens, sed omnino efficax. Ergo. *Confirmat.* Sine gratia efficaci elici non potest actus salutaris. Ergo sine gratia efficaci non datur vera potentia ad actum salutarem. R. N. alteram partem Anteced. Ad *probat.* D. M. Potentia illa per se & ab intrinseco excludit necessario actum, N. M. Facta suppositione abusus, qui in libera est hominis potestate, C. M. Quæ de gratia efficaci priori Controversia dicta sunt, applicari etiam suo modo gratiæ sufficienti debent. Gratia pure, vere tamen sufficiens *specificative* sumpta, est virtus supernaturalis, seu illustratio & inspiratio, quæ ex natura sua vires habet sufficientes ad trahendum post se consensum voluntatis, modo voluntas nullum ponat impedimentum. Atque hoc modo specificative sumpta non differt intrinsece a gratia efficaci: præscindendo enim a Scientia media, gratia neque cum consensu neque cum dissensu infallibiliter est connexa, ideoque nec mere sufficiens, nec etiam efficax dici potest. Gratia mere sufficiens *reduplicative* sumpta, dicit hoc ipsum gratiæ divinæ auxilium collatum dependenter a Scientia media de dissensu: *Si Petrus haberet auxilium A, non consentiret.* Atque hoc modo sumpta differt extrinsece a gratia efficaci; mere enim sufficiens confertur per decretum permissivum, dependenter a Scientia media de dissensu, estque infallibiliter cum illo connexa: at vero gratia efficax confertur per decretum prædefinitivum, dependenter a Scientia media de consensu salutari, atque infallibiliter cum illo connectitur. Hæc tamen infallibilis connexio sufficientis cum dissensu, & efficacis gratiæ cum consensu nullam infert antecedentem necessitatem, sed mere consequentem. Homo enim libera sua voluntate, supernaturali gratia adjutus, impedire potest si velit Scientiam mediam de consensu aut dissensu: nam non ideo homo consentit, quia Deus eum novit consensurum; sed vice versa ideo Deus prævidet hominem consensurum esse, quia ille consentiet. Igitur gratia mere sufficiens *specificative* sumpta non excludit actum salutarem; eadem enim enti-

tas

tas gratiæ ſecundum ſe conjungi potest, ac ſæpe conjungitur cum actu ſalutari, ut patet in gratia efficaci, quæ entitative ac ſecundum ſe non differt a pure ſufficiente: si vero *reduplicative* ſumatur, nimirum ut est *pure, vere tamen ſufficiens*, neceſsario, at neceſsitate ſolum consequente, excludit actum ſalutarem; quia gratia pure ſufficiens reduplicative ſumpta dicit gratiam collatam dependenter a Scientia media de diſsensu, quam homo libere impedire potest, si velit. Ad *confirm.* D. A. Sine gratia efficaci elici non potest actus ſalutaris, potentia consequente, & in ſensu composito, conjungendo ſcilicet actum cum carentia gratiæ efficacis, C. A. Non potest elici potentia antecedente, & in ſensu diviso, N. A. & Conseq. Impoſsibile est, ut homo actum ſalutarem absque gratia ſupernaturali eliciat, aut quin Deus illum actum per Scientiam mediam prævideat eliciendum eſse, si daretur gratia illa. Hinc impoſsibile est, ut homo actum ſalutarem eliciat absque gratia efficaci, quæ nihil aliud est quam auxilium collatum a Deo dependenter a Scientia media de consensu, & infallibiliter cum illo connexum per hanc ipsam Scientiam mediam. Ergo in ſensu composito cum gratia inefficaci elici non potest actus ſalutaris: ſicut in ſensu composito ſeſsionis homo ſtare non potest, ſeu conjungere ſeſsionem cum ſtatione. At vero homo, posito quod Deus illi conferat auxilium A, potest terminare Scientiam mediam de consensu, ſicque consensus conditionate futurus eſset ratio logica, cur Deus hominem illum prævideat potius consensurum quam diſsensurum: & gratia illa non amplius mere ſufficiens, ſed omnino efficax foret.

213. Dices I. Illa gratia non est vere ſufficiens, quæ numquam potest exire in actum, nisi illi accedat nova gratia. Atqui gratia ſufficiens quam nos adstruimus, numquam potest exire in actum, quin illi accedat nova gratia. Ergo. P. m. Liberum arbitrium etsi gratia excitante instructum, non potest producere actum ſalutarem ſine gratia cooperante & adjuvante. Ergo debet illi accedere nova gratia. R. D. M. Nisi illi

acce-

accedat nova gratia distincta ab actu salutari, C. M, quia tunc potentia ad agendum expedita primum obtineretur per hanc gratiam secundam. Nisi accedat nova gratia indistincta ab actu salutari, & quæ proin non constituat potentiam & actum primum, sed sit ipse actus secundus, N. M. Et sic dist. min. N. C. Ad *prob.* D. A. Et hæc gratia cooperans seu adjuvans realiter distinguitur ab actu salutari, N. A. Non distinguitur realiter, C. A. N. C. Gratia cooperans & adjuvans in actu secundo est realiter ipse actus salutaris, & formalis cooperatio ac concursus Dei cum libero arbitrio, seu ipse actualis influxus Dei in actum salutarem, qui non distinguitur realiter ab actu salutari, sicut actualis concursus Dei naturalis non distinguitur realiter ab actu hominis naturali. Ex quo manifestum est, quod gratia adjuvans & cooperans in actu secundo non se teneat ex parte potentiæ, neque libero arbitrio vires præstet ad producendum actum salutarem: adeoque quod tota sufficientia jam habeatur per gratiam excitantem cum reliquis quæ actum primum proximum constituunt. Quod si vero gratia adjuvans & cooperans, quæ non differt ab adjuvante, sumantur in actu primo, dicunt auxilium natura prius ad actum salutarem, idemque sunt cum gratia excitante. Proinde quælibet gratia, non tantum efficax, sed etiam mere sufficiens, est gratia excitans, adjuvans, & cooperans in actu primo.

214. Dices II. Saltem gratia sufficiens remota, v. g. gratia orationis non tribuit veram potentiam ad consensum salutarem. Ergo non est vere sufficiens. P. A. Potentia ad consensum salutarem, quam tribuit gratia sufficiens remota, numquam potest exire in actum, nisi illi accedat nova gratia operis, quæ dat potentiam proximam ad consensum salutarem. Ergo potentia quam tribuit gratia sufficiens remota, non est vera potentia: adeoque gratia remota non est vere sufficiens. R. D. A. Non tribuit veram potentiam proximam ad consensum salutarem, C. A. Veram potentiam remotam, N. A. & Conseq. Gratia orationis tribuit

buit veram potentiam proximam orandi; ad depellendam vero v. g. tentationem molestam tribuit mediatam quidem & remotam, veram tamen potentiam, qua homo orando certo obtinebit potentiam proximam resistendi molestæ tentationi. Ad *prob.* C. A. D. C. Ergo potentia quam tribuit gratia sufficiens remota, non est vera potentia proxima ad depellendam tentationem, C. C. Non est vera potentia proxima ad orationem, & vera potentia mediata quantumvis & remota ad depellendam tentationem, N. C. Hoc ipso quod homo veram potentiam proximam orandi habeat, & per orationem acquirere possit potentiam proximam resistendi tentationi, gratia orationis dat homini proximam potentiam orandi, & veram potentiam remotam resistendi tentationi.

215. Dices III. Gratia mere sufficiens nullum umquam in humana voluntate effectum habuit, aut habebit. Ergo non confert veram potentiam ad consensum salutarem. R. D. A. Gratia sufficiens entitative sumpta nullum habuit & habebit effectum, N. A. Reduplicative sumpta, C. A. N. C. Gratia sufficiens entitative vel specificative sumpta non est talis naturæ ac essentiæ, ut in quibuscunque demum circumstantiis conferatur, numquam effectum suum obtineat; sed eadem gratia quoad entitatem suam spectata, & æqualiter intensa, in his circumstantiis collata effectum suum obtinet, quem non obtinebit in aliis circumstantiis, non tantum respectu diversorum, sed ejusdem etiam hominis: eadem enim illustratio & inspiratio, quamvis non sit intensior, Petrum v. g. cras movebit, quem hodie non movet. Quod si vero gratia sufficiens reduplicative sumatur, nullum effectum umquam habuit, neque umquam habere poterit; sic enim considerata supponit Scientiam mediam de dissensu; hæc vero liberum exercitium voluntatis humanæ nolentis consentire auxilio divinæ gratiæ. Impossibile est autem, impossibilitate nimirum consequente, ut dissensus conjungatur cum consensu, & gratia mere sufficiens cum effectu salutari.

216.

216. Dices IV. Quamvis explicari posit, quomodo gratia sufficiens, abstrahendo an sit vere sufficiens vel non, conferat voluntati veram potentiam; explicari tamen non potest, quomodo gratia mere sufficiens hanc ei tribuat. Ergo. R. N. suppositum, quod gratia *ut mere sufficiens*, & reduplicative sumpta veram potentiam eliciendi actum salutarem voluntati conferat; sed hanc potentiam acquirit voluntas a gratia sufficiente secundum entitatem suam sumpta. Quotiescunque enim divinæ gratiæ auxiliis roboratur; acquirit veram potentiam salutariter operandi, sive dein auxilia illa prævideantur a Deo fore efficacia, vel mere tantum sufficientia.

Ad naturam gratiæ in genere.

217. Objic. V. Natura gratiæ in genere. Omnis gratia Dei est beneficium Dei. Atqui gratia mere sufficiens non est beneficium Dei. Ergo. Prob. m. Imo. Deus conferens gratiam mere sufficientem, prævidet illam conjungendam esse cum dissensu. Ergo illam conferendo nullum homini præstat beneficium. P. C. In creatis stare non potest beneficium cum præscientia damni. Ergo neque in Deo. P. m. IIdo. Id, quod non habere esset nobis longe melius, non est beneficium. Sed longe melius esset nobis non habere auxilium pure sufficiens. Ergo auxilium pure sufficiens non est beneficium. *Confirm.* Possumus prudenter petere a Deo, ut nobis non conferat auxilium pure sufficiens. Ergo istud non est beneficium, quia gratiam nemo prudenter deprecatur. R. Imo, retorquendo argumentum in gratiam Adamo innocenti collatam, quæ ipsis Jansenianis fatentibus, fuit mere sufficiens, & verum Dei beneficium. R. IIdo. C. M. D. m. Gratia mere sufficiens specificative sumpta, non est beneficium Dei, N. m. Reduplicative sumpta prout involvit ac supponit abusum divinæ gratiæ, C. m. Et N. C. Ad Imam *prob.* C. A. N. C. Deus est vere beneficus erga hominem, quia illi confert medium aptissimum ad salutem, licet prævideat ex malitia abutentis secuturum esse damnum, quod Deus impedire non tenetur. Ad hujus *prob.* D. A. Si damnum illud sit directe vel indirecte voluntarium

rium conferenti beneficium, C. A. Si nec directe nec indirecte sit voluntarium, N. A. & Conseq. Deus neque intendit dissensum, neque illo delectatur, aut eum tenetur impedire: hinc damnum, quod resistendo gratiæ sibimet ipsi infert peccator, neque directe neque indirecte Deo voluntarium est. Ad II. *prob.* D. M. Id non est beneficium, quod non habere esset optabilius, si tale sit per suam entitatem, ut melius sit ipso carere, C. M. Si tale sit præcise ex culpa abutentis, N. M; secus omnia bona naturalia, quin immo ipsa etiam creatio, Incarnatio, Sacramenta &c. non essent beneficia Dei respectu reproborum. Et sic dist. minore, N. C. Ad *confirm.* D. A. Ut non conferat nobis auxilium pure sufficiens, spectata tantum entitate ipsius, N. A. Spectato ipsius abusu, & ineficacia, sive ne conferat nobis auxilium pure sufficiens reduplicative sumptum, C. A. D. C. Ergo gratia mere sufficiens denominative sumpta non est beneficium, N. C. Reduplicative sumpta, C. Conseq.

218. Dices 1mo. Illud vocari non potest beneficium Dei, quod nemini licet a Deo petere, aut pro illo obtento gratias agere. Atqui talis est gratia pure sufficiens. Ergo. R. C. M. D. m. Talis est gratia pure sufficiens specificative accepta, N. m. Reduplicative, C. m. Nemo mentis compos petere a Deo potest gratiam infallibiliter connexam cum dissensu, seu gratiam pure sufficientem reduplicative sumptam: sic enim considerata, non est Dei beneficium, sed hominis libertate sua abutentis maleficium, Prudentia itaque, & propriæ salutis studium a nobis exigunt, ut gratias petamus a Deo efficaces, quibus nos cooperaturos prævidet, & gratiam operis proxime sufficientem ad salutem consequendam enixe flagitemus, ut non tantum possimus, sed velimus etiam auxiliis tam liberali manu concessis strenue in rem nostram uti.

219. Dices II. Deus interdum confert gratiam mere sufficientem in pœnam peccati præcedentis. Ergo gratia mere sufficiens non habet rationem beneficii, sed pœnæ. *Confirm.* Illa gratia non est beneficium cui

nemo

nemo potest cooperari. Talis est gratia mere sufficiens. Ergo. R. D. A. Ita ut Deus hominem puniat præcise per hoc, quod conferat hanc gratiam, quam prævidet fore inefficacem, N. A. Per hoc, quod non conferat aliam, quam prævidet fore efficacem si daretur, & quam alias contulisset, si homo non peccasset, C. A. Et D. C. Ergo gratia mere sufficiens secundum entitatem suam spectata non habet rationem beneficii, N. C. Reduplicative considerata, & quatenus substituitur a Deo gratiæ efficaci, quam alias concessisset Deus, nunc autem denegat in pœnam peccati præcedentis, C. Conseq. Ad *confirm.* D. M. Cui nemo potest cooperari ob defectum virtutis, & potentia antecedente, C. M. Cui nemo potest cooperari ob abusum propriæ libertatis, & potentia consequente, N. M. Et D. m. Talis est gratia mere sufficiens specificative sumpta, N. m. Reduplicative sumpta, ob malitiosam resistentiam voluntatis, qua posita fieri non potest potentia consequente ut homo gratiæ cooperetur, C. m. Et N. C. Eadem responsio datur adversariis, si contendant, gratiam mere sufficientem obesse magis quam prodesse, eoquod homines reddat graviori supplicio dignos. Entitas enim gratiæ secundum se spectata semper prodest, eoquod semper veram potentiam vel proximam vel remotam conferat eliciendi actum salutarem. Quod si vero reduplicative sumatur, involvit Scientiam mediam de dissensu, quæ supponit liberum exercitium creaturæ. Ergo si gratia mere sufficiens reduplicative sumpta obsit magis quam prosit, id non naturæ gratiæ sufficientis, sed perversæ hominum voluntati imputandum est.

220. Dices III. Saltem gratia mere sufficiens non est beneficium speciale. Ergo adnumerari non potest gratiis supernaturalibus. R. D. A. Non est beneficium ita speciale, ut gratia efficax, C. A. Non est beneficium speciale, si comparetur cum beneficiis pure naturalibus, N. A. & Conseq. Gratia quantumvis mere sufficiens, cum sit supernaturalis, est indebita naturæ, eam-

que

que elevat ut posit agere supernaturaliter. Ergo excedit vires omnium donorum naturalium.

CONTROVERSIA V.

AN OMNIBUS JUSTIS, URGENTE PRAECEPTO, DETUR GRATIA AD IMPLENDUM PRAECEPTUM, PROXIME AUT REMOTE, VERE TAMEN AC RELATIVE SUFFICIENS?

CONTRA PROTESTANTES, ET JANSENIANOS.

221. Priori Controversia existere gratiam pure, sed tamen vere sufficientem ostendimus: modo hæc ipsa divinæ gratiæ auxilia vere sufficientia liberali manu omnibus hominibus distribui ostendemus, ita ut per Deum non stet, quo minus omnes convertantur a viis suis pessimis, mandata Dei observent, & salutem æternam adipiscantur. Duplicis generis homines considerari possunt, parvuli scilicet, de quibus quid hac in re sentiendum sit, diximus Tomo I. Num. 371, & adulti, qui vel infideles sunt, vel fideles, iique aut justi, aut peccatores. De singulis suo ordine & loco disseremus, a justificatis initium ducendo.

Status quæstionis.

222. Status itaque præsentis quæstionis est, an singulis justis, urgente præcepto, semper a Deo conferatur gratia vel proxime vel remote saltem, vere tamen sufficiens, per quam relative ad præsentem concupiscentiam possint tentationes superari, & mandata observari. Dicitur I^mo *Singulis justis*, non tantum illis, qui actu tentationes superant, & actu mandata observant; hi enim gratiam habent omnino efficacem: sed illis etiam, qui tentationi misere succumbunt, & mandata transgrediendo statu justitiæ excidunt, sive dein sint prædestinati sive reprobi. II^do. *Urgente præcepto*, quando nimirum illud proxime & in actu secundo obligat; vel si sermo sit de præcepto negativo, quando gravis urget tentatio ad illud violandum. III. *Proxime vel remote*, in sensu, priore Controversia Num. 194 explicato; ita ut si

non

non gratia operis, saltem gratia orationis concedatur, per quam acquiri possit potentia proxima ad superandam v. g. gravem tentationem. IV. *Gratia vere sufficiens*, id est, gratia interior, supernaturalis, actualis, seu gratia excitans, quæ veram potentiam conferat eliciendi actum salutarem, quamvis hic & nunc ille non eliciatur ob malitiosam resistentiam voluntatis. V. *Relative ad præsentem concupiscentiam*, ita ut gratia illa quæ justis confertur, non tantum absolute quoad vires suas considerata præscindendo a viribus delectationis terrenæ præsentis, sed relate etiam & comparate ad illam, sit vere sufficiens, & potentiam expeditam constituat resistendi gravi tentationi, & actum salutarem eliciendi.

Jansenii doctrina.

223. Quid Jansenius, quem hic præcipue impugnamus, hac de re senserit, manifestum est ex ejusdem Lib. III. de Gratia Christi, Cap. XIII. *Hæc igitur omnia*, inquit, *plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse precepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis; sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deesse quoque gratiam qua fiant possibilia. Hoc enim S. Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere.* Haud absimilis est propositio Antonii Arnaldi, quam Sacra Facultas Parisiensis anno 1656. proscripsit: *In B. Petro exhibetur homo justus, cui gratia, sine qua nihil possumus, in ea defuit occasione, in qua eum non peccasse dici non potest.*

Justis, urgente præcepto, non denegari gratiam veræ sufficientem, asserunt Scripturæ

224. Conclusio: Justis omnibus, urgente præcepto, dantur gratiæ ad implendum præceptum proxime vel remote, vere tamen & relative sufficientes. Prob. Conclusio hæc dogmatica 1mo Authoritate Scripturarum. I. ad Cor. Cap. X. v. 13. scribit Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Quorum verborum hic est sensus: Fidelis Deus est, qui non permittet vos supra vires tentari;

ri; ſed in tentatione ipsa vos roborabit ac confirmabit gratiæ ſuæ abundanti præsidio, quo poſsitis tentationem ſustinere, & victoriam referre. Atque hæc præcipue de justis dicuntur, ut patet ex verbis immediate præcedentibus, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Atqui nisi justi haberent veram atque expeditam potentiam resistendi tentationi in illis circumstantiis, tentarentur ſupra vires. Ergo. Idem docent alii Scripturarum textus, qui ſaltem de justis intelligi debent. Ecclesiastici Cap. XV. dicitur: *Si volueris mandata ſervare, conservabunt te.* Matth. Cap. XI. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* I. Joan. Cap. V. *Mandata ejus gravia non ſunt.* At quomodo homo potest velle mandata ſervare? quomodo jugum Christi ſuave, onus leve, mandata gravia non ſunt, ad quæ ſervanda neque justi veram ac relativam potentiam habent? quæ neque justi, quamvis amici ſint ac filii adoptivi Dei, ſervare aut portare poſsunt?

225. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Milevitanum II, aut verius Carthaginense anno 418. Can. IV. ſtatuit: *Placuit, ut quicunque dixerit, gratiam Dei, in qua juſtificamur per* JESUM *Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſsionem peccatorum valere, quæ jam commiſsa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, anathema ſit.* Arausicanum II. Capit. XXV. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſsint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* At quomodo adimplere poterunt justi, si gratia vere ac relative ſufficiente destituanrur? Tridentinum Seſs. VI. de Justificatione, Cap. XI. ait: *Nemo temeraria illa, & a Patribus prohibita voce uti,* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad observandum eſse impoſsibilia. Nam Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuvat ut poſsis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. - - - Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos, non dese-* *Concilia.*

deserit, nisi ab eis prius deseratur. Et Can. XVIII. de Justificatione: *Siquis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* At quomodo possibilia sunt Dei mandata, quomodo Deus adjuvat hominem ut possit, quomodo non deserit hominem antequam ipse deseratur, nisi Deus justis gratiam vere sufficientem, & potentiam relative expeditam conferat ad observanda præcepta?

Pontifices. 226. Prob. III. Authoritate Pontificum. S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc Baji propositionem ordine LIV. *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum sit Pelagii.* Innocentius X. & Alexander VII. primam Jansenii propositionem, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant,* proscripserunt ut temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam. Ergo omnino fide divina credendum est, justos non destitui gratia vere sufficiente ad observanda omnia mandata Dei.

Ac S. Augustinus. 227. Prob. IV. Authoritate S. Augustini, ex cujus libro de Natura & Gratia, Cap. XLIII. deprompta est doctrina Tridentini paulo ante laudata. Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. VII. de justificatis ita loquitur S. Doctor: *Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles.* At quomodo justus potest velle perseverare, si auxilium non habet vere ac relative sufficiens ad perseverandum? Janseniani equidem dicunt, sensum laudati textus esse hunc: perseverares, si voluntatem in bono perseverantem haberes per gratiam a se efficacem. Verum sine gravi S. Doctoris injuria hæc dici nequeunt; verba enim illa hoc pacto sensum haberent ineptum, ridiculum, & Augustino prorsus indignum, nimirum hunc: *Homo perseverares, si perseverares.* Lib. de Natura & Gratia, Cap. XXVI. ait: *Deus, cum per mediatorem Dei & hominum* JESUM *Chri-*

Christum spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & eum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi ab æterna luce justitia divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus. Et Enarratione in Psalm. XXXIX. Num. XXVII. sic hominem justificatum alloquitur: *Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ: curam tui non habebit, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Immo vero & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat, & noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui; securus esto. Ille protegit, qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere. - - - Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.* Et in Psalm. LXI. *Qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiam. Ad mensuram quippe permittitur tentare diabolus.* Lib. III. Operis imperfect. Num. CXVI. *Hæc imperat Deus, quæ fieri possunt: sed ipse dedit ut faciant, eis qui facere possunt & faciunt; & eos qui non possunt, imperando admonet a se poscere, ut possint.*

228. Prob. V. Ratione Theologica. Nisi dicatur omnibus justis auxilia concedi vere ac relative sufficientia ad observanda mandata, explicari non potest seria voluntas Dei, ut omnes homines, præcipue autem justi, salvi fiant, & mors Christi pro omnium, præcipue justorum, salute obita: magnaque divinæ bonitati inferretur injuria; fieri enim non potest, ut Deus erga omnes misericors, amicos suos & filios adoptivos præcipue sub pœna æternæ mortis ad aliquid obliget, quod ipsis hic & nunc omnino est impossibile. Vide alias rationes, quas adduximus Num. 204. *Et ratio Theologica evincit.*

229.

Ut Deus dicatur ſerio velle ſalutem omnium, debet omnibus concedere gratias vere ſufficientes.

229. Quæres Imo. An ſeria illa voluntas Dei ut omnes homines ſalvi fiant, ſufficienter explicetur per hoc, quod Deus omnibus justis (eadem est ratio de peccatoribus etiam aut infidelibus) præparaſse quidem, ſed non omnibus concedere dicatur gratias vere ſufficientes, quin immo easdem compluribus denegare? R. Negative. *Deus* enim, ut ſcribit S. Thomas in Epist. ad Hebr. Cap. XII. Lectione III, *vult omnes homines ſalvos fieri, & ideo gratia Dei nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat, ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis.* Prob. Aſsertio I. Authoritate Patrum, præcipue Augustini, ejusque Discipulorum, Prosperi, Orosii, Fulgentii, qui frequentiſsime aſserunt, *Deum neminem deserere, quem fecit. Nullam eſse animam tam perversam in cujus corde non loquatur. Nulli pereuntium excusationem ſupereſse de abnegato lumine veritatis. Evidentiſsimum eſse, nemini hominum deeſse adjutorium Dei: gratiam nulli deeſse, ſed omnibus communicari. Deum, quantum in ſe eſt, omnibus ad trahendum manum porrigere: ſi homines non trahantur, non eſse defectum ex parte trahentis Dei*, & quæ plura ſunt hujusmodi. IIdo. Ratione. Si gratiæ ſaltem remote ſufficientes omnibus actu non concedantur, Deus quam plurimos homines ad impoſsibilia obligaret, quod bonitati Dei, & ſanæ rationi omnino repugnat. Etenim dogma fidei est, hominem ſine gratia interiori ſupernaturali, neque moralem, quin immo neque physicam habere potentiam eliciendi actum ſalutarem. Ergo si Deus gratiam ſaltem remote ſufficientem aliquibus denegaret, ac nihilo ſecius ſeriam conversionem, pœnitentiam, ac detestationem peccati ab illis exigeret, obligaret eos ad aliquid, quod illi nec physice nec moraliter præstare poſsent. IIItio a pari. Nemo potest ſerio velle, ut Petrus v. g. ſcribat, si calamos omnes penes ſe retineat, nullumque illi tradat aptum & ſcriptioni idoneum eo casu, quo Petrus nullum calamum penes ſe habeat, aut aliunde obtinere poſsit. Medicus ſalutem ægrorum ſerio non vult, si remedia, quantumvis præsentiſsima, ſua

manu

manu & arte confecta ita custodiat, ſerisque claudat, ut nemo accipere poſsit, nisi eo dante; ipse vero firmiſsimum propositum haberet dandi aliquibus tantum, non vero omnibus. Ergo neque Deus ſerio velle omnium ſalutem dici potest, si gratias etiam remote tantum ſufficientes, quæ ad actum ſalutarem omnino neceſsariæ ſunt, neque aliunde haberi poſsunt, multis deneget, easque actu non largiatur.

Datur omnibus juſtis gratia vere ſufficiens, ut poſsint perſeverare in ſtatu juſtitiæ.

230. Quæres II^do. An omnibus justis detur gratia vere ac relative ſufficiens ad perseverandum in ſtatu justitiæ? R. Quamvis non omnes justi habeant donum actualis perseverantiæ, cum frequentiſsime damnentur, qui olim fuere justificati in Sacramentis baptismi & pœnitentiæ; datur tamen omnibus justis gratia vere ſufficiens, ut poſsint perseverare in ſtatu justitiæ, ſicque consequi vitam æternam. Ratio est, quia gratia ſufficiens ut quis poſsit perseverare in ſtatu justitiæ, nihil aliud est, quam gratia ſufficiens ad ſervanda omnia præcepta, quæ per vitæ decursum urgent. Atqui hanc gratiam omnes justi habent, ut ſuperius ostendimus. Ergo omnibus justis gratia vere ac relative ſufficiens conceditur, ut poſsint perseverare in ſtatu justitiæ. Ex quo colliges, quod cum gratia ſanctificans tribuat homini justo jus aliquod ad potentiam moralem consequendi vitam æternam, ſeu ad illa media, ſine quibus non potest moraliter obtineri vita æterna; hoc ipso eadem gratia tribuat homini justo etiam jus ad gratiam vere ſufficientem finaliter perseverandi: quia ſine hac nequidem datur potentia ad obtinendam vitam æternam, quæ tamen datur ſine actuali perseverantia. Sic Adamus, quamvis dono actualis perseverantiæ careret, habuit tamen gratiam vere ac relative ſufficientem ad perseverandum, id est, ut poſset perseverare si vellet.

231. Neque hactenus dicta Concilio Tridntino opponuntur, quod Seſs. VI. Can. XXII. ſic pronuntiat: *Siquis dixerit, juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perseverare poſse, vel cum eo non poſse, anathema ſit.* Vel enim Concilium loquitur de poten-

tia reducenda ad actum, non de potentia reducibili: vel per ſpeciale auxilium intelligit gratiam actualem, ſuperadditam gratiæ habituali, quæ ſola ſine gratia actuali non ſufficit, ut quis finaliter poſsit perseverare. Quod si dicas: si justis omnibus datur gratia vere ſufficiens ad perseverandum, non opus erit recurrere ad inscrutabilia Dei judicia; ſed quærenti cur unus perseveret, alter non perseveret, responderi poterit, quia unus consentit gratiæ, alter non consentit. R. N. ſequelam. Nam quamvis poſsit ita responderi, quæri tamen ulterius potest, quare hic justus rapiatur ante lapsum, & alter non rapiatur: quare hic justus usque in finem vocetur congrue, & alter non vocetur: quare uni detur perseverantia actualis usque in finem, non item alteri? Cujus rei cum nulla ex parte hominis ratio aſsignari poſsit, merito cum Apostolo exclamandum est ad Rom. Cap. XI. v. 33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehensibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

Argumenta contraria refutantur.

Janseniani fruſtra obtendunt authoritatem Scripturarum.

205. Objicitur I^mo. Authoritas Scripturarum. Joan. Cap. VI. v. 44. ait Christus: *Nemo poteſt venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ex quo hoc instruitur argumentum. Quando justus non trahitur a Patre, non habet veram potentiam veniendi ad Christum. Atqui quando justus peccat, non trahitur a Patre. Ergo quando justus peccat, non habet veram potentiam veniendi ad Christum, ſeu abstinendi ab actu peccaminoso. Major constat ex verbis citatis. Minor prob. Quando justus peccat, non habet gratiam efficacem; alias certiſsime non peccaret. Ergo non trahitur a Patre: tractio enim denotat gratiam efficacem. R. I^mo D. M. Non habet veram potentiam reducendam ad actum, & conjunctam cum victoria ſalutari, C. M. Non habet veram potentiam mere reducibilem, atque ab actu ſalutari ſejunctam, N. M. R. II^do. N. m. Ad *prob.* C. A. N. C, & rationem additam. Tractio ſignificat

nificat motionem divinam, ſive gratiam, præscindendo an ea ſit efficax vel ſufficiens tantum; probabilius enim Christus loco cit. docere nos voluit neceſsitatem gratiæ divinæ, utpote ſine qua nullum prorsus ſalutarem actum elicere poſsumus, ſicut Joan. Cap. XV. dicitur: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et I. ad Cor. Cap. XII. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu ſancto.* S. Thomas in Cap. VI. Joannis Lectione I. textum illum ita interpretatur: *Respondeo dicendum, quod vere nullus venire poteſt, nisi tractus a Patre. Nam ſicut grave per naturam non poteſt per ſe ſursum ferri, nisi trahatur ab alio: ita cor humanum ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſursum elevari, nisi tractum. Si vero non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt, nulli deficit; ſed eſt propter impedimentum ejus, qui non trahitur. . . . Deus autem ad trahendum omnibus manum porrigit, quantum in ſe eſt: & quod plus eſt, non ſolum attrahit manum recipientis, ſed etiam aversos ad ſe convertit.*

Infirmitatem probationis ex Paulino textu.

233. Objic. II. Infirmitas probationis ex Paulino textu petitæ. Verba illa Apostoli I. ad Cor. Cap. X. v. 13. intelligenda ſunt de ſolis prædestinatis quantum ad finalem perseverantiam. Ergo ex iis inferri non potest, omnibus justis conferri gratias ſufficientes. P. A. S. Hormisdas Papa Epist. XV. ad Poſseſsorem, & S. Augustinus Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. V. applicant verba illa prædestinatis in ordine ad ſuperandam tentationem finalem. Ergo. R. N. A. Ratio negandi est Imo, quia Apostolus eo fine verba illa protulit, ut Corinthios ſolaretur, eosque in firmam ſpem erigeret. At vero si de ſolis prædestinatis loqueretur, ſublatum eſset consolationis ac ſpei fundamentum, quia nullus certo novit, ſe eſse de numero prædestinatorum. II. Quæcunque Apostolus in ea Epistola ſcribit, absque dubio ad omnes fideles Corinthios direxit, qui certe non omnes erant prædestinati. III. Nullum in eo Apostoli textu vestigium extat tentationis finalis. IV. Tridentinum Seſs. XXIV. Can. IX. ad omnes

Clericos majores, & Regulares illud testimonium ſpectare affirmat, quoties ipsos urget ſervandæ castitatis præceptum, & gravis eos ſollicitat carnis tentatio. *Cum Deus id* (donum castitatis) *recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.* Atqui certum est, non omnes Regulares & Clericos majores eſse prædestinatos. Ad *prob.* D. A. Id est, ſpecialiter ea verba prædestinatis applicant, reprobos excludendo N. A. Eos non excludendo, C. A. N. C. S. Augustinus Enarratione in Psal. CXX, & S. Thomas in Cap. X. I^mæ ad Cor. ad alios etiam extendunt verba Apostoli.

Et Conc. Tridentino petita.

234. Objic. III. Inſirmitas probationis petitæ ex Tridentino Concilio. Tridentinum Seſs. VI. Can. XVIII. de Justificatione, damnat errorem Calvini & Lutheri, aſserentium mandata Dei eſse homini justo impoſsibilia; non quia gratia illi ſæpe deest, ſed quia concupiscentia inquinat omnia justorum opera. Ergo ex Tridentino probari non potest, gratiam justo numquam deeſse. II^do Tridentinum Seſs. VI. Cap. XI. non loquitur de gratia actuali, ſed habituali, qua Deus justos non ſpoliat, nisi illi graviter delinquendo eam deseruerint. Ergo. R. N. A. Nam I^mo Concilium damnat omnes illos, qui quocumque demum ex capite aſseruerint, mandata Dei eſse homini justificato hic & nunc impoſsibilia. Ergo cum Janseniani aſserant, ex defectu gratiæ mandata Dei eſse homini justificato hic & nunc impoſsibilia, jam prædamnati fuerunt a Tridentino. II^do. Absurdum illum Lutheri & Calvini errorem fabulantium justum in omni opere peccare, damnavit Sancta Synodus eadem Seſsione Can. XXV. *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema ſit.* Ergo hunc ipsum errorem non proscripsit Canone XVIII; Concilia enim non ſolent eumdem prorsus errorem pluribus Canonibus confodere, præcipue in eadem Seſsione. III. Rationes, quibus Tridentinum Cap. XI. veri-

tatem

tatem Catholicam confirmat, manifeste ostendunt, mandata Dei eo ex capite esse possibilia homini justificato, quia sufficiente gratia non destituitur; dicitur enim: *Quia Deus jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. --- Quia mandata ejus gravia non sunt. --- Quia Deus sua gratia semel justificatos non deserit.* Ad II^dum. N. A, quod sine insigni temeritate, injuria, ac contumelia Sanctæ Synodi dici nequit. Concilium enim loco cit. hortatur fideles, ut in Dei auxilio firmissimam spem collocent, hanc assignans rationem, quia Deus semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Jam vero si horum verborum sensus foret, neminem semel justificatum, gratia sanctificante sive habituali prius spoliari, quam ipse Deum mortaliter peccando deseruerit, Concilium tam inepte ac stolide loqueretur, ac ille, qui ægroto mortem graviter timenti diceret: Bono sis animo, ne timeas, spera te sanitatem recuperaturum; quia tamdiu non morieris, quamdiu vixeris. Præterea Concilium non de habituali, sed de actuali gratia loqui manifeste patet ex Cap. XIII. Sess. VI, ubi ait: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

235. Objic. IV. Lapsus S. Petri. S. Petrus justus erat eo tempore quo Christum abnegavit. Atqui tunc S. Petro defuit gratia ad omittendam negationem Christi. Ergo justis quandoque deest gratia. P. m. Authoritate Patrum. S. Chrysostomus Hom. XXXIV. in Matth. de S. Petro loquens scribit: *Ille, etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio stare non potuit.* Et Hom. XXXI. in Epist. ad Hebræos: *Negatio Petri non tam erat socordiæ ac negligentiæ, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat.* S. Augustinus Serm. CXXIV. de Tempore: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? --- Ideo B. Petrum Dominus paululum subdesseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia præ-*

Lapsum S. Petri.

prævalere. Confirm. Christus S. Petro dixit: *Non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea.* Joan. Cap. XIII. v. 36. Ergo tunc impoſsibile fuit Petro implere præceptum. Hinc Augustinus de eodem S. Petro, qui Christo responderat, *Animam meam pro te ponam*, ſcribit Sermone CCXCVI. alias CVI. de Diversis: *Secutus eſt Dominum paſsurum: ſed tunc non potuit ſequi paſsurus. Secutus eſt pedibus, nondum idoneus ſequi moribus. --- Plus enim ausus erat, quam ejus capacitas ſuſtinebat. Plus promiserat, quam poterat.* Ergo. R. Omitto majorem, quam negant Chrysostomus & Augustinus, eoquod putent S. Petrum jam ante negationem Christi graviter peccaſse peccato ſuperbiæ & præsumptionis. Et D. m. Petro defuit gratia efficax, aut etiam gratia proxime ſufficiens, C. m. Defuit remote ſufficiens, & gratia orationis, N. m. & Conseq. S. Petrus cum Christum ter negavit, poterat non negare, recurrendo ſcilicet ad orationem, ad quam recurrere poterat ac debebat. Ad *prob.* C. A. N. C. Ex citatis textibus plus non evincitur, quam gratiam tantum proxime ſufficientem S. Petro defuiſse, quod a nobis minime negatur. Chrysostomus ait quidem negationem Petri tribuendam non eſse ſocordiæ aut timori mortis: at non negat eam tribuendam eſse ſocordiæ, quam admisit Petrus quando a Christo præmonitus, ad negationem evitandam divinum neglexit implorare auxilium. Augustinus autem Lib. de Unitate Ecclesiæ, Cap. IX. ſcribit: *Quis dubitaverit, quod Judas Chriſtum, ſi voluiſset, non utique tradidiſset, & Petrus ſi voluiſset, ter Dominum non negaſset?* Ad *confirm.* C. A. N. C, vel potius ſuppositum, quod tunc impositum fuerit S. Petro præceptum moriendi pro Christo, ut patet consideranti locum citatum Joannis Cap. XIII. *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus: Quare non poſsum te ſequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.*

neges. Ergo verba illa Christi male afferuntur contra poſsibilitatem mandatorum Dei.

236. Objic. V. Authoritas S. Augustini. S. Doctor Epist. CCXVII. alias CVII. ad Vitalem ſcribit: *Scimus* (gratiam Dei) *non omnibus hominibus dari - - Scimus eis, quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. Scimus eis, quibus non datur, juſto Dei judicio non dari.* II^do Epist. CCXX. alias LXX. ad Bonifacium Comitem ſcribit, orandum Deum, *Ut quod non potes modo, poſsis aliquando.* III. Libro de Gratia & Lib. Arbitrio, Cap. XVII. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robuſtam.* Ergo. R. in I^mo & III. textu Augustinum intelligendum eſse vel de gratia efficaci, id est, de potentia conjuncta cum actu, vel certe de potentia proxime tantum ſufficiente, qua non peccatores modo, ſed justi etiam ſæpe carent, quamvis vere ſufficientem gratiam orationis habeant, qua impetrare dein poſsunt potentiam proximam ad resistendum tentationi, & observanda mandata. Igitur justo Dei judicio quandoque non datur potentia proxima, ſeu gratia operis; at ſemper datur potentia remota, ſeu gratia orationis. II^dus textus ad rem præsentem omnino non facit. Scribit S. Doctor ad Bonifacium Comitem, qui cum ſe proposito ſervandæ post primas nuptias continentiæ obstrinxiſset, ad ſecunda nihilominus vota convolaverat. Hinc Augustinum interrogavit, quid consilii ea in re capere poſset. Respondet ille, optandum fore, ut ejus uxor vellet pariter cum illo continentiam ſervare: quod si ea nollet, orandum eſse Deum, ut quod ab ea nondum impetravit, deinceps impetret. *Ut quod non potes modo* (defectu consensus uxoris) *poſsis aliquando* (accedente illius consensu.)

Et authoritatem S. Auguſtini.

237. Dices. S. Augustinus docet ipsam etiam gratiam orationis, ſeu potentiam remotam interdum denegari. Ergo. P. A. Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. XXI. ſcribit: *Nonne aliquando ipsa oratio noſtra*

ſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida & pene nulla, immo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus. Ergo Augustinus docet, aliquando non concedi gratiam orationis. R. N. A. Ad *prob.* C. A. D. C. Non concedi gratiam orationis, per quam ferventer ac perseveranter reipsa oretur, C. C. Gratiam proxime ſufficientem, per quam quis orare poſsit, N. C. Omnes habent gratiam ad orandum proxime ſufficientem; ſed quia ea vel non utuntur omnino, vel negligentius orant, idcirco uberius auxilium, ſeu potentiam proximam ad præceptum actu observandum non impetrant.

CONTROVERSIA VI.

AN DEUS PECCATORIBUS ETIAM OBSTINATIS, QUI SEMEL JAM JUSTIFICATI FUERUNT, DET GRATIAS PROXIME VEL REMOTE SALTEM SUFFICIENTES VERE AC RELATIVE AD CONVERSIONEM AC POENITENTIAM?

Quinam dicantur indurati, & quotuplex induratio?

238. *Obſtinati*, vel indurati peccatores dicuntur illi, qui jam multas gratias, multaque remedia ſalutis proterve rejecerunt. Induratio cordis duo involvit, nimirum ex parte creaturæ obstinatam & contumacem in malo voluntatem: ex parte Dei gratiæ congruæ ſubtractionem, juxta illud Augustini Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum: *Non abdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo misericordiam.* Porro duplex a Theologis considerari ſolet induratio, *perfecta* nimirum, quæ est propria damnatorum, quæque excludit omnem gratiam tam efficacem quam remote etiam ſufficientem: & *imperfecta*, qua ſæpe puniuntur peccatores in via constituti ob præcedentia peccata, privanturque dumtaxat gratiis congruis, aut etiam proxime ſufficientibus.

Status quæſtionis.

239. Quæritur modo, an Deus non illis tantum qui post acceptam gratiam justificationis in grave peccatum lapsi ſunt, ſed peccatoribus quibuscunque obſtina-

stinatis & excæcatis, qui in Deum credunt, & veram Religionem agnoscunt, (de Infidelibus enim paulo post agemus,) opportuno tempore gratias vere ac relative, quantumvis remote tantum sufficientes concedat, quibus adjuti e peccatorum cœno emergere queant, & libertatem filiorum Dei consequi; ita ut per Deum non stet, quo minus pœnitentiam agant, & salventur: an vero Deus omnem illis subtrahat gratiam interiorem, etiam remote tantum sufficientem? Quæstio hæc, cum nondum supremo Ecclesiæ judicio decisa fuerit, in oppositas partes ipsos etiam Catholicos Doctores distrahit. Ac I^mo quidem conveniunt in eo, quod Deus non semper illis gratias det proxime sufficientes. II^do. Quod non semper, omni tempore, ac singulis momentis a Deo illæ conferantur. III. Quod illi, qui commisso & nondum retractato peccato usum rationis amittunt, aut subito atque in flagranti, vita spoliantur, nullam obtineant gratiam, etiam remote tantum sufficientem. At pro illo tempore non amplius, saltem proxime, obligantur ad agendam pœnitentiam, ita ut pœnitentiam non agendo novum ac distinctum peccatum commitant.

Catholicorum Doctorum communis sententia.

240. Præter Jansenium itaque aliqui Doctores Catholici censent, ejusmodi peccatores excæcatos & induratos, post certam aliquam gratiarum ac peccatorum mensuram, omni non numquam auxilio ad seriam conversionem etiam remote tantum sufficiente destitui. At vero communissima Doctorum Catholicorum sententia est, etiam induratis, modo post admissum peccatum adhuc supervivant, usumque rationis aliquanto diutius retineant, benignissimum Deum concedere tempore opportuno gratias, vere, relative, proxime aut remote sufficientes ad pœnitentiam agendam, & salutem consequendam. Atque hæc sententia, quamvis de fide non sit, maximum tamen fundamentum habet in Verbo scripto & tradito, videturque benignitati Dei, doctrinæ Ecclesiæ, ac sensui communi longe conformior. Dictum est autem paulo ante *tempore opportuno* gratias illas concedi; quia vox Dei non quotidie aut singulis momentis auditur, sed tunc præcipue, quando occur-

occurrit talis occasio, in qua homines ordinarie excitari ſolent ad actus ſalutares, quod fit v. g. audita ferventi concione, intellecta morte præpropera aut ſubitanea amici, immiſso morbo &c. Et quamvis Concilium Senonense A. 1528. Pariſiis celebratum Decreto XV. dicat, *nec momentum quidem præterire, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulset*, hæc tamen verba adhibita moderatione intelligenda ſunt; nec aliud volunt, quam gratiam omnibus momentis adeſse, quibus urget tentatio quæ ſuperari, aut obligatio alicujus præcepti, quod adimpleri non potest ſine gratiæ interioris adjutorio.

Induratis etiam dari gratias vere ſufficientes, oſtenditur ex Scripturis.

241. Conclusio. Deus Fidelibus peccatoribus, etiam induratis & obstinatis, dat gratias proxime vel remote ſaltem, vere ac relative ſufficientes ad ſeriam conversionem, & mandata divina observanda. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Sapientiæ Cap. XI. dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes. & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Ezechielis Cap. XXXIII. ait Deus: *Vivo ego, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini a viis veſtris peſſimis: & quare moriemini?* Quæ exhortatio plane irrisoria eſset, nisi Deus vires daret, quibus converti poſsent. Matth. Cap. XI. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, id est, omnes omnino peccatores, quantumvis gravibus criminibus onerati. II. Petri Cap. III. *Non tardat Dominus promiſsionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ad Rom. Cap. II. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Quæ verba certe Apostolus ad obstinatos dirigit.

Conciliis.

242. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Coloniense I. Anno 1536. Parte VII. Cap. XXXII. *Quamquam,*

quam, inquit, *nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur: quod ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum & externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima.* Tridentinum Sess. VI. Cap. XIV. de omnibus fidelibus indiscriminatim contra Lutherum & Calvinum, qui non negabant posse quemlibet pœnitentiam agere, si Deus det illi auxilium sufficiens, ita loquitur: *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint.* Ergo Tridentinum absolute docet posse omnes pœnitentiam agere, & omnibus paratum esse auxilium.

243. Prob. III. Authoritate Patrum. S. Leo M. *Patribus.* Serm. XVI. de Passione Domini ait: *Juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio.* S. Irenæus Lib. IV. adv. Hær. Cap. LXXI. *Vis a Deo non fit, sed bona sententia adest illi* (homini) *semper.* S. Augustinus Serm: II. in Psal. LVIII. *Si nolis curari, vulnus tuum admonet ut cureris: & aversum revocat, & refugientem quodam modo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus implet quod dictum est, Misericordia ejus præveniet me.* Enarratione in Psal. CII. *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per Lectorem, vocat per Tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Longanimus, & multæ misericordiæ. Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu tibi thesaurises, quod ait Apostolus, iram in die iræ.* Enarratione in Psal. VI. *Ea est cæcitas mentis: In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur: sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate?* Ergo juxta Augustinum obstinati non privantur gratia remote sufficien-

ficiente; alias penitus in hac vita excluderentur ab interiore Dei luce. Tract. LIII. in Joan. ait: *Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non poterant credere, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt.* Ubi vides causam infidelitatis juxta Augustinum non fuisse defectum divini auxilii, sed malam voluntatem. Enarratione in Psal. LXIII. *Numquid consilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis hodie fit? nonne si vis, modo fit?* Intellige, divina gratia auxiliante, ut ipse Augustinus observat Lib. I. Retract. Cap. XXII. *In potestate quippe hominis est mutare voluntatem in melius: sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur.* Enarratione in Psal. LV. de obduratis in die judicii scribit: *Illis pœnitendi locus nullus remanebit, qui eo tempore quo fructuosa esse posset pœnitentia, cor obduraverunt adversus monentem Dominum.* Ergo ex S. Augustino obdurati supernis Dei admonitionibus excitantur, quas parvi faciunt; ac proinde sufficientes habent a Deo gratias, quarum beneficio, donec sunt in hac vita, fructuosam possent agere pœnitentiam, si vellent. S. Prosper, Augustini discipulus Respons. XV. ad Objectiones Vincentianas ait: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Author librorum de Vocatione Gentium, Lib. I. Cap. XXI. *Credimus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam.* Et Lib. II. Cap. XXVIII. *Quæ beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinæ fuisse constitutionis, sed propriæ fuisse voluntatis.*

Ac ratio Theologica.

244. Prob. IV. Ratione Theologica triplici. Ima est. Quamdiu peccator vivit, semper est viator: de ratione autem viæ & viatoris est, ut in ea progredi viator, & ad terminum viæ possit pervenire. Ergo repugnat tam statui viatoris quam ipsius viæ, ut homo viator privetur potestate accedendi ad terminum, ad

quem

quem tamen graviter obligatur, adeoque etiam ut privetur omnibus auxiliis neceſsariis, ſine quibus perveniendi ad terminum non haberet potestatem.

245. II^da. Quilibet tenetur ſperare veniam peccatorum. Atqui si Deus obstinatis non largiretur gratiam ſufficientem ad pœnitentiam agendam, neceſsario deberent illi desperare de impetranda venia; quia ſcirent ſe veniam peccatorum ſperare non poſse, atque in hac providentia peccatum non remitti ſine ſpe veniæ. Ergo. P. m. Nemo potest ſperare veniam peccatorum, nisi firmiter credat, illam ſibi promiſsam fuiſse a Deo: ſpes enim nititur promiſsione divina tamquam motivo partiali, vel certe tamquam conditione neceſsario requisita. Atqui si Deus non promisit, neque concedere ſolet omnibus peccatoribus, etiam obstinatis, auxilium ſufficiens ad impetrandam veniam, credere illi non poſsunt veniam peccatorum ſibi eſse a Deo promiſsam. Ergo nequeunt ſperare veniam peccatorum. Ergo non obligarentur Lege Ecclesiastica annuæ Confeſsionis & Communionis: Ecclesia enim obligare illos nec vult, nec potest ad ſacrilegium, neque in ipsorum potestate foret validam Confeſsionem peragere, ad quam juxta Tridentivum, Seſs. VI. Cap. VI. requiritur actus ſpei ſaltem virtualis: aut Eucharistiam ſalutariter percipere, quia ad hoc requiritur ſtatus gratiæ.

246. III^tia. Quamvis adversarii explicare poſsint, quomodo peccatoribus obstinatis, omnique Dei gratia destitutis, imputari queant plurima peccata in ſtatu indurationis commiſsa, cum juxta plurimos Theologos, etiam absque gratia habeant indurati potentiam physicam vincendi graviſsimas tentationes victoria non ſalutari, ut nos ipsi dicemus Num. 313; explicare tamen nequeunt, quomodo ipsa impœnitentia, ſeu negatio conversionis ad Deum, item omiſsio amoris Dei ſupernaturalis propter ſe ſuper omnia dilecti, ipsis imputari poſsit ad novum ac distinctum peccatum. Ergo cum Deus impoſsibilia non præcipiat, dat illis gratiam ſaltem remote ſufficientem. P. A. Seria conversio ad

Deum

Deum ut Authorem ſupernaturalium, & ſupernaturalis amor Dei ſuper omnia propter ſe dilecti, ſunt actus meritorii & ſalutares, ad quos eliciendos homo ſine gratia interiori neque physicam neque moralem habet potentiam. Ergo homini imputari non poſsunt, cum nemo peccet in eo, quod caveri nullo modo potest. Quod si dicant adversarii, obstinatos non obligari ut convertantur ad Deum tamquam authorem ſupernaturalium, eumque amore ſupernaturali prosequantur, rem dicunt antehac in Ecclesia Dei inauditam, Scripturæ, Patribus, & communiſsimo Fidelium ſensui adversantem; cum certum ſit & exploratum, quod amor Dei ſupernaturalis respectu omnium primum ſit & maximum mandatum: & ſeria conversio dolorem ac detestationem criminum includat, quibus Deum bonorum omnium fontem & remuneratorem, ac malorum vindicem offendimus, quem non ſola ratio fidei lumine destituta, ſed fides præcipue, & ſacræ paginæ nobis ostendunt.

Argumenta contraria refutantur.

Adversariis non ſuffragatur authoritas Scripturarum.

247. Objicitur I. Authoritas Scripturarum. Ecclesiastis Cap. VII. dicitur. *Considera opera Dei, quod nemo poſsit corrigere, quem ille despexerit,* II. De Esau ad Hebr. Cap. XII. dicitur: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſset eam.* Et de Antiocho Epiphane Lib. II. Machab. Cap. IX. *Orabat hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſset misericordiam consecuturus.* III. Matth. Cap. XII. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* IV. I. Joan. Cap. V. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* V. Ad Hebr. Cap. VI. *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati --- & prolapsi ſunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* VI. Ad Hebr. Cap. X. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* VII. Amos Cap. I. *Super tribus ſceleribus Damasci,*

masci, *& ſuper quatuor non convertam eum.* Ergo Deus obstinatis nullam dat gratiam, qua a peccatis ſuis convertantur. R. ad Imum. Hic locus probat dumtaxat inutilem fore correctionem respectu cujuslibet peccatoris, nisi Deus interius adspiret, quod omnino veriſsimum est. Ad II. Sensus prioris loci est: Esau obtinere numquam potuit, ut ſubtractæ ipsi, & Jacobo impertitæ benedictionis pœniteret aut parentem ſuum Isaac, aut Deum. Sed neque ipsius pœnitentia ei utilis fuit, qua doluit non de peccato ſuo; nam mox voluit occidere fratrem, ſed de damno quod incurrit, de vendito nimirum jure primogenituræ, & de amiſsa benedictione, desiderans & ſatagens illa recuperare, ſed frustra. Vide Tirinum Comment. in hunc locum. Antiochus misericordiam consecutus non est; non quia omne auxilium illi deerat, ſed quia ficte & ſimulate orabat, hoc unum quærens ut a morbis & doloribus liberaretur, nihilo melior futurus si convaluiſset. Unde ſignanter dicitur, *oraſse Dominum*, ſed manens *ſceleſtus*. Ad III. R. per blasphemiam in Spriritum Sanctum Patres, Athanasius, Hilarius, Hieronymus &c. intelligunt malitiosam impugnationem veritatis fidei ſufficienter manifestatæ, quæ irremiſsibilis dicitur, non quod ea absolute remitti non poſsit; ſed quia difficillime remittitur, ſubtrahente plerumque Deo gratias efficaces. Ita S. Chrysostomus in hunc locum, & S. Ambrosius Lib. II. de Pœnitentia, Cap. IV. Ad IV. R. per peccatum illud intelligi potest cum Augustino Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XII. impœnitentia finalis, quæ cum dicat conjunctionem mortis cum ſtatu peccati, remitti amplius non potest. Alii cum Hieronymo, Cypriano, & Hilario intelligunt apostasiam a fide, cujus remiſsio a Deo longe difficilius impetratur, quam aliorum peccatorum non ita gravium. Ad V. Responderi potest cum Chrysostomo, impoſsibile eſse, ut qui exciderunt gratia per baptismum accepta, iterum per baptismum renoventur, qui ſemel tantum valide conferri potest: aut cum aliis Scripturarum Interpretibus, difficillimum eſse ut apostatæ resipi-

sipiscant. Vox enim illa *impoſsibile* denotare non potest impoſsibilitatem absolutam, ſed moralem tantum, cum certum ſit, & Ecclesia contra Novatianos definiverit, nullum peccatum absolute eſse irremiſsibile. Ad VI. R. Apostolus dicit, postquam Christus pro peccatis nostris ſemetipsum Deo Patri hostiam obtulit, non ſupereſse aliam victimam, qua ut olim in veteri Testamento, peccata expientur: proinde illis, qui hac hostia pro omnibus oblata rite non utuntur, nihil aliud ſupereſse, quam terribilem judicii expectationem. Quæ omnia veriſsima ſunt. At nullibi affirmat Apostolus, peccatoribus gratias ſufficientes non concedi, quibus adjuti rite uti poſsint hac hostia, ſemel pro peccatis nostris oblata. Ad VII. Resp. ſermonem ibi eſse de pœnis temporalibus; prædicit enim Dominus per Amos Prophetam, ſe non revocaturum populum Damascenum a morte & excidio, ob graviſsima peccata ab eo commiſsa.

Tridentini. 248. Objic. II. Authoritas Tridentini. Tridentinum Seſs. VI. Cap. XI. ait: *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deserit, niſi ab eis prius deseratur.* Ergo juxta Tridentinum Deus deserit illos, a quibus deseritur prius. Ergo obstinati omni auxilio & gratia destituuntur. P. C. Indurantur. Ergo omni gratia destituuntur. P. C. Non quævis ſubtractio gratiæ est induratio; ſecus qui vel ſemel tantum delinquunt, poſsent dici indurati. Ergo induratio est ſubtractio omnis gratiæ. *Confirm.* Si peccatoribus obstinatis daretur auxilium ſufficiens, hi non differrent ab illis peccatoribus non obstinatis. Atqui ab illis certe differunt. Ergo. R. C. A. D. C. Ergo Deus eos a quibus prior deseritur, deserit, hoc est, non dat eis gratias congruas, vel proxime ſufficientes, C. C. Penitus deserit, nec dat gratias remote ſufficientes, N. C. Ad *prob.* C. A. N. C. Ad hujus *prob.* iterum C. A. N. C. Ad *confirmat.* N. M. Subtractio gratiæ, vel derelictio juxta S. Joan. Damascenum Lib. II. de Fide Orthodoxa, Cap. XXIX. duplex est, una *medicinalis*, *& eruditiva*, per quam etiam justi aliquando de ſe præsumentes veniunt in cognitio-

nitionem propriæ infirmitatis, ac Deo postea reconciliati, propriisque viribus diffidentes, cum timore & tremore auxiliis divinis cooperantur. Alia est *finalis & desperativa*, quæ ad finalem impœnitentiam deducit, non ob defectum gratiæ remote saltem sufficientis, sed ex malitia humanæ voluntatis, quam Deus potentioribus auxiliis expugnare nec vult, nec tenetur. Sæpe itaque non obstinati peccatores ex eo capite differunt ab obstinatis, quod priores derelictione medicinali tantum & eruditiva sæpe mulctentur; posteriores vero finali & desperativa, eo sensu quo superius diximus: semper vero non obstinati ab ostinatis peccatoribus differunt, quod illi non tam multas gratias & salutis remedia proterve ac contumaciter rejecerint, ac obstinati.

249. Objic. III. Authoritas S. Augustini, & Discipulorum ejus. S. Augustinus Epist. CCXVII. alias CVII. ad Vitalem scribit: *Scimus gratiam non omnibus dari.* S. Prosper Carm. de ingratis: *Dic unde probes, quod gratia Christi nullum omnino hominem de cunctis qui generantur, prætereat, cui non regnum vitamque beatam impertire velit?* Præsules Africani in Sardinia exules, in Epist. Synodica ajunt, *de gratia non digne sentire, quisquis eam putat omnibus hominibus dari.* II. S. Augustinus Lib. de Perfect. justitiæ, Cap. XIX. excæcatum appellat *desertum omni lumine veritatis.* III. Lib. I. Operis imperfecti, Num. XLVII. ait: *Quis porro volens cæcus est corde, cum nemo velit cæcus esse vel corpore?* Ergo cæcitas mentis non est homini voluntaria. IV. Enarratione in Psal. CXLVII. *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.* R. ad I. Augustinus, Prosper, & Africani Præsules dicunt non dari gratiam omnibus ad sensum Semipelagianorum, id est, non dari omnibus æqualiter, aut propter initium fidei, quod fit ex solis naturæ viribus; minime autem negant gratiam sufficientem dari omnibus in sensu Catholico, ut superius a nobis probatum fuit. Ait quidem sæpius Augustinus, *natu-* *Ac S. Augustini.*

ram esse communem, non autem gratiam: at ibi nomine gratiæ non actualem intelligit, sed gratiam justificantem, aut baptismum; de proxime enim baptizandis Lib. VIII. Confessionum, Cap. II. ait, *quod accessuri sint ad gratiam.* Et Lib. I. de peccat. meritis & remiss. Cap. XXII. prædicare gratiam idem ei est, quod fidem annuntiare: *Ubi ei prædicari gratia Christiana non possit.* Qua quidem in re plures SS. PP. ei consensere. Innocentius I. Epist. III. de illis loquitur, *qui post acceptam gratiam in forensi exercitatione versati sunt.* Et S. Leo M. Epist. XVIII. *de die legitimo celebrandæ gratiæ*, id est, conferendi baptismatis loquitur. Ad II. N. A. S. Doctor Cœlestium docentem bonum opus esse a Deo, bonam voluntatem vero a nobis, his verbis impugnat: *Quasi non debeat gratias agere Deo, quia præcepta voluit; qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset.* Ex quibus verbis patet, Augustinum non dicere, quod homo omni gratia destituatur; sed quod homo, si omni gratia destitueretur, non posset velle salutariter: ideoque Deo gratias agendas esse non tantum ob opus bonum, sed etiam ob bonam voluntatem, quia sine gratia Dei, bona non esset. Ad III. C. A. D. C. Ergo cæcitas mentis non est homini voluntaria directe, C. C. Indirecte, N. C. In peccato duo consideranda sunt; actus malus, ad quem directe se determinat peccator, & pœna quæ sequitur actum malum, scilicet cæcitas mentis, induratio, ac æterna damnatio. Hanc non vult peccator, nisi indirecte, & quatenus vult causam; quia pœna repugnat inclinationi patientis. Ergo nullus directe vult esse cæcus corde, sed indirecte tantum, quod non impedit quin ipsa cæcitas sit peccaminosa, & absolute voluntaria. Ad IV. R. Sensum illius loci esse: non vocat peccatorem vocatione congrua: non infundit gratiam efficacem, vel etiam proxime sufficientem.

250. Dices Imo. S. Augustinus in Expositione quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos, propositione LXII. scribit: *Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat.* ---

Non

Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate. Ergo hæc inobedientia juxta Augustinum non erat Pharaoni libera, quia gratiam a Deo non acceperat, qua adjutus posset Deo imperanti obedire. R. Augustinus librum illum scripsit initio conversionis suæ, errore implicitus quem postea Semipelagiani acriter propugnarunt, putans initium fidei & bonam voluntatem esse a nobis, ut ipse fatetur Lib. I. Retractat. Cap. XXIII. & Lib. de Prædest. SSrum Cap. III. Idque manifeste patet ex eo ipso loco qui objicitur; ait enim Propositione LXI: *Non ergo eligit Deus bene operantes, sed credentes potius, ut ipse illos faciat bene operari. Nostrum enim est credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum.* Cum igitur S. Doctor tunc temporis existimaret, piam credulitatis affectionem esse a nobis, atque ita necessario præire debere gratiæ divinæ, ut nisi præcesserit, nulla prorsus sequatur gratia: ex eo necessario conficit, Pharaonem induratum omni caruisse gratiæ auxilio, eoquod viribus liberi arbitrii disponere se conatus non fuerit ad credendum & obtemperandum Moysi gravia minitanti: ideoque peccata Pharaonis posteriora imputanda esse potius primæ ejus infidelitati, ex qua necessario sequebantur; quia ob liberi arbitrii abusum disponere se nolentis nulla ei gratia collata est, quæ tamen necessaria est ad credendum & obtemperandum. At vero hæc Augustini opinio & Scripturæ contraria est, quæ Exodi Cap. IX. ait Pharaonem, postquam cessavit pluvia & grando, peccatum suum auxisse: & ab ipso Augustino rejecta est post exortam hæresin Semipelagianorum, dum Lib. I. Retractat. Cap. XXIII. scripsit, etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, & utrumque quidem nostrum esse, & credere & operari, propter arbitrium voluntatis; utrumque tamen datum esse per spiritum fidei & charitatis. Immo jam diu antè errorem hunc exuit S. Doctor, atque agnoscere visus est, Pharaonem non omni prorsus de-

stitutum fuisse auxilio sufficiente ad obtemperandum. Etenim Libro LXXXIII. Quæstionum, quem ante Episcopatum suum conscripsit, Quæst. LXVIII. Num. V. scribit: *Numquid latebat Pharaonem, quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joseph? Illius ergo rei gestæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Israel misericorditer tractans non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eos, quibus humanitas & misericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot & tantis tamque manifestis Dei signis non crederet.* Ubi vides, non negare hic Augustinum, quin illa vocatione excitari potuerit Pharao, non modo ut populum illum humaniter tractaret, sed etiam ut dimitteret: neque dici, Pharaonem meruisse tantam cæcitatem mentis, ut tam manifestis signis credere non posset, sed ut non crederet.

251. Dices II. Qui cogenti cupiditati resistere non potest, non habet auxilium sufficiens ad non peccandum. Atqui juxta Augustinum homo quandoque resistere non potest cogenti cupiditati. Ergo. P. m. Lib. I. Retract. Cap. XV. ait S. Doctor: *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Ergo. R. D. M. Qui non potest resistere cogenti cupiditati in sensu composito dominantis cupiditatis, non habet auxilium sufficiens, N. M. Qui id non potest in sensu diviso dominantis cupiditatis, & ita ut sensus hic divisus non sit sufficienter in ejus potestate, non habet auxilium sufficiens ad non peccandum, C. M. Et sic dist. minore, N. C. Voluntas, cogente cupiditate, habet gratiam remote sufficientem, seu gratiam orationis, qua obtinere potest auxilium proxime sufficiens, seu gratiam operis; sicque facere ut cupiditas non amplius dominetur. Manente itaque ac dominante cupiditate, homo resistere ei non potest: & hæc impotentia mere consequens est liberum arbitrium; quia si gratiæ remote sufficienti coopere-

peretur, vires acquireret proxime ſufficientes ad deſtruendum imperium cupiditatis.' Simile responsum dat S. Augustinus Tract. LIII. in Joan. *Non poterant credere: non quia mutari in melius homines non poſſunt; ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere.*

Non experientia.

252. Objic. IV. Experientia, qua constat inveteratos peccatores nullum amplius ſentire conscientiæ remorsum, atque ab omni pietatis ſensu ita alienos eſſe, ut ne ipsum quidem orationis nomen audire ſustineant. Ergo nullam omnino illi gratiam habent, qua converti poſsint. R. Aliqui internam quietem exterius ſimulant: aliis conscientia quasdam quasi inducias ad tempus concedit, acriori laniena in eos paulo post ſævitura, juxta illud Isaiæ Cap. LVII. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non poteſt.* Ex eo autem quod multi peccatores ab ipsa etiam oratione vehementer abhorreant, non ſequitur eos numquam habere gratiam orandi; ſed ſignum est, quod ipsi eam gratiam indurato corde rejiciant.

CONTROVERSIA VII.

AN INFIDELIBUS OMNIBUS DENTUR GRATIÆ PROXIME VEL REMOTE, VERE AC RELATIVE SUFFICIENTES AD FIDEM ET JUSTIFICATIONEM?

Quinam nomine infideliun hic veniant?

253. Præsens quæstio ad eos etiam extendi potest, qui extra Ecclesiam ſunt constituti, quamvis in Christum aliquo modo credant, ut hæretici ac apostatæ: aut quamvis cum Ecclesia in fide conveniant, aliis tamen de causis ab Ecclesia præcisi ſunt, ut Schismatici ob obedientiam legitimis Pastoribus denegatam, & excommunicati nominatim, ſeu non tolerati, ob enormia ipsorum crimina. Infideles in ſtricto ſensu dicuntur illi, qui Christianæ Religionis omnino expertes ſunt, ut Judæi, Pagani, Mahometani, vel quod nullam habuerint Christianæ legis notitiam: atque hi dicuntur *negative* infideles: vel quod Evangelio ſibi annuntiato non crediderint: atque hi ſunt *vositive* infideles.

254.

Jansenii, & aliorum quorumdam doctrina.

254. Janseniani docent, duce Jansenio, Lib. III. de Gratia Christi, Cap. XI, & Paschasio Quesnello in suis Observationibus moralibus, infideles omnes carere omni gratia tam proxime quam remote sufficiente ad salutem, adeoque etiam ad fidem & justificationem, sine quibus æterna salus obtineri nequit; existimant enim fidem esse primam gratiam, & fontem omnium aliarum, nullamque extra Ecclesiam concedi gratiam. Ex Catholicis Doctoribus quidam, iique pauci, quamvis illuminatam illam Jansenianorum doctrinam pro eo ac par est execrentur, docentque *positivè* infidelibus gratias a Deo conferri proxime vel remote sufficientes ad fidem & justificationem; negant tamen eas omnibus omnino, ac præcipue *negative* infidelibus, qui de Christo nihil audiverunt, obtingere. At vero communissima Theologorum Catholicorum, gratiam Dei supernaturalem proxime vel remote saltem sufficientem ad fidem & justificationem nemini infidelium umquam deesse docet, qua adjuti, quotiescunque urget præceptum, possint se disporere ad fidem & justificationem, sicque æternam consequi salutem.

Deus aliquibus saltem infidelibus dat gratias vere sufficientes ad fidem & salutem.

255. Conclusio I. Deus aliquibus saltem infidelibus, hæreticis, apostatis, Schismaticis &c. gratiam confert vere ac relative, proxime vel remote saltem sufficientem, ad fidem & justificationem. Conclusio hæc certa omnino est, ita ut opposita absque intolerabili errore defendi nequeat. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Act. Cap. VII. exprobrat Stephanus incredulis Judæis: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* Ergo cum sine gratia obtemperare Spiritui Sancto non potuerint, collata fuit ipsis gratia, qua adjuti possent obtemperare; secus exprobratio illa ridicula & injusta fuisset. Matth. Cap. XXIII. exprobrat Christus rebelli Jerosolymæ, quoties voluerit congregare filios suos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & ingrata noluerit. Ergo Christus incredulis Judæis non denegavit gratiam, qua possent Christo aggregari.

256.

256. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Cap. XXV. ait: *Ipse* (Deus) *nobis, nullis præcedentibus meritis, & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipsius adjutorio ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus.* Ergo extra Ecclesiam concedit Deus gratiam, qua infideles baptismum requirant, & qua hæretici & apostatæ, aliique ab Ecclesia præcisi, implere poſsint quæ Deo ſunt placita. Lateranense IV. Cap. *Firmiter* ſic loquitur: *Si poſt ſusceptionem baptiſmi quiſpiam relapsus fuerit im peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari.* Ergo hæretici, apostatæ &c. non destituuntur gratia, ſine qua vera pœnitentia exerceri nequit.

257. Prob. III. Authoritate Pontificum. Alexander VIII. inter propositiones, quas VII. Decembris anno 1690. tamquam temerarias, ſcandalosas, male ſonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresin ſapientes, erroneas, ſchismaticas, & hæreticas respective in globo damnavit, proscripsit hanc quoque Antonii Arnaldi ordine V^tam^, quam ille tradiderat in denuntiatione peccati philosophici: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Chriſto influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis eſse voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente.* Ergo contradictoria illius est vera & Catholica, *Aliqui Pagani &c. accipiunt influxum a Jesu Chriſto.* Clemens XI. in Bulla *Unigenitus* has Quesnelli propositiones damnavit: XXVI. *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem.* XXVII. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.* XXIX. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

258. Prob. IV. Ratione Theologica. Infideles, quibus annuntiatum est Evangelium, tenentur credere; Hæretici vero, aliique extra Ecclesiam constituti, ſub gravi tenentur certis quibusdam temporibus fidem, ſpem, & charitatem elicere. Ergo cum Deus impoſsibilia non præcipiat, & ſine gratia Dei ſupernaturali nemo poſsit actus illos elicere, Deus dat illis gratiam

ſuffi-

ſufficientem ad eos actus eliciendos. Certum item est, quod multi infideles Christianam fidem amplectantur, multique hæretici & apostatæ agnitam veritatem aspernari desinant, ad ſinum Matris Ecclesiæ redeuntes. Atqui hoc fieri non potest ſine gratia Dei præveniente, ut manifeste colligitur ex Tridentino Seſs. VI. Cap. V. *Declarat præterea ipsius juſtificationis exordium in adultis a Deo per Jesum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſse: hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipsorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſsentiendo & cooperando, disponantur.* Ergo infidelibus, hæreticis, aliisque extra Ecclesiam constitutis, ſaltem aliquibus, datur gratia vere ſufficiens ad fidem & justificationem. Ergo fides non est prima gratia.

Immo omnibus extra Ecclesiam conſtituris, idque oſtenditur ex Scripturis.

259. Coclusio II. Omnes extra Ecclesiam constituti, tam positive quam negative infideles, hæretici, apostatæ &c. habent gratiam vere ac relative, proxime vel remote ſaltem ſufficientem ad fidem & justificationem. Conclusio hæc non eam quidem certitudinem habet, quam prior; est tamen communiſsima Catholicorum, & vix in dubium trahi potest. Prob. Imo. præcipue de Infidelibus, authoritate Scripturarum. Sapientiæ Cap. XI. absque limitatione ulla dicitur: *Misereris omnium, quia omnia potes, & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam. --- Parcis autem omnibus, quoniam tui ſunt Domine, qui amas animas.* At quomodo miseretur omnium, & parcit omnibus si non dat gratiam, qua justificationem consequi poſsint? Neque verba hæc ad ſolos electos restringi queunt; nam ratio, quare Deus omnium misereatur, & omnibus parcat, petitur hic ex creatione, quod beneficium certe omnibus commune est. I. ad Timoth. Cap. II. ait Apostolus de Deo: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* At quomodo hoc Deus potest ſerio velle, si media non det ad id conſequen-

quendum ſufficientia? Certe ſeria Dei voluntas otiosa & ſterilis eſse non potest. I. ad Timoth. Cap. IV. *Qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* At quomodo omnium hominum, adeoque etiam infidelium Salvator dicendus est, si intuitu meritorum Christi nullæ eis conferantur gratiæ? II. Petri Cap. III. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* At pœnitentiam agere ſine gratia impoſsibile est. Joan. Cap. I. dicitur de Christo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo illuminat etiam infideles, qui utique ad homines pertinent. Matth. Cap. XI. Christus omnes homines ad ſe invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ergo ne irrisoria ſit hæc invitatio, dicendum est quod omnibus det gratias ſufficientes, quibus adjuti venire poſsint, & ſine quibus venire non poſsent.

Authoritate S. Auguſtini, eſusque Diſcipulorum.

260. Prob. II. Authoritate S. Augustini, ejusque Discipulorum. Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXXIII. ſcribit S. Doctor: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſe ipsos fraudant magno & ſummo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis misericordiam contempſerunt,* gratias nimirum internas ſupernaturales, ſine quibus credere non poſsunt; quæ si non dentur, juste puniri nequeunt, quod non crediderint. Lib. de Prædest. SSrum, Cap. XVI: *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati unici Filii ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt & qui noluerunt venire ad nuptios; illa quippe vocatione & Judæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt; & Gentes, quibus Crucifixus ſtultitia eſt.* Enarrat. I. in Psal. XVIII. *Non eſt qui ſe abscondat a calore ejus. Cum autem Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis mortalitatem noſtram ſuscipiens, non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor.* At justam excusationem non ademiſset, nisi gra-

gratiam sufficientem & necessariam ad credendum omnibus daret. Paulus Orosius, inter primos Augustini discipulos, ipsi coætaneus & amicus, in Apologetico suo pro libertate arbitrii ita Pelagium affatur: *Mea semper hæc est fidelis & indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem dona largitur; verum etiam universis in hoc mundo Gentibus, propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam; sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomas, & cunctis & singulis ministrare.* Post plura sic concludit: *Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse adjutorium Dei, præsertim cum & seductor instat, & insit infirmitas.* S. Prosper, aut quicunque sit auctor Librorum de Vocatione Gentium, quem S. Gelasius I. Papa, si quisquam alius certe ex asse Augustinianus, in Opusculo suo, *Dicta adversus Pelagianum hæresin*, vocat sapientem Ecclesiæ Magistrum, Lib. II. Cap. XXIX. scribit: *Universitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari.* Lib. II. Cap. XVII. *Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, ... quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.* Lib. II. Cap. XXVI. *Opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur, ipsorum est vequitiæ; quod autem a multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.* Lib. II. Cap. XXXI. *Elaboratum est, quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari & bonitate generali,*

sed

ſed multimodo opere, diversoque mensura: quoniam ſive occulte ſive manifeſte ipse eſt, ut Apoſtolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

261. Prob. III. Authoritate aliorum Patrum. S. Chrysostomus Hom. VII. in Joan. ſcribit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent? neque enim omnes Chriſtum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipso eſt. Si qui autem ſponte ſua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed malitia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa eſt: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem effugit, aut dedignatur: Omnibus eadem eſt, omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipsis imputent.* S. Ambrosius in Psalm. CXVIII. Sermone VIII. *Super omnes Sol oriri jubetur. Et hic quidem Sol ſuper omnes oritur. Myſticus autem Sol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus resurrexit. Ideo autem poſsus eſt, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipse ſe fraudat: ut ſi quis clausis feneſtris radios Solis excludat, non ideo Sol non ortus eſt omnibus, quia calore ejus ſe ipse fraudavit: ſed quod Solis eſt, prærogativam ſuam ſervat; quod imprudentis eſt, communis a ſe gratiam lucis excludit.* Clemens Alexandrinus in Orat. exhortatoria ad Gentes: *Audite qui eſtis longe, audite qui prope: nulli celatum eſt Verbum: lux eſt communis, omnibus elucescit hominibus.* *Patrum.*

262. Prob. III. Ratione Theologica duplici. 1ma est, quam ſæpius insinuavimus. Christus est Redemptor omnium hominum, & Deus ſerio vult omnes omnino homines ſalvos fieri. Ergo per Deum ſtare non debet, quo minus omnes homines ſalventur. Atqui nisi Deus omnibus, etiam infidelibus, conferret gratias *Ac ratione Theologica.*

tias ſufficientes, ſine quibus impoſsibile est ut illi ad fidem & justificationem ſe disponant, per Deum ſtaret quo minus infideles ſalutem consequi poſsint. Ergo. IIda est. Deus impoſsibilia non præcipit. Atqui si infidelibus gratias remote ſaltem ſufficientes non conferret, præciperet ipsis impoſsibilia. Ergo. P. m. Deus juxta S. Thomam Ima IIdæ Quæst. LXXXIX. Art. VI. & alibi ſæpius, omnibus & ſingulis hominibus, cum ad usum rationis perveniunt, præcipit ut ſese ad Deum tamquam finem ſuum ſupernaturalem convertant, ſicut id exigebat ab Adamo primum condito, paratus dein ulteriores gratias cuilibet homini conferre, quibus paulatim perfectius converti, atque ad ipsam justificationem perduci poſsit, modo ipse prioribus gratiis cooperatus fuerit. Atqui homo nullo modo potest ſe convertere ad Deum tamquam finem ſuum ſupernaturalem ſine auxilio gratiæ interioris. Ergo.

263. Neque dicas, Deum ſeriam habere ſalutis omnium voluntatem, modo paratus ſit omnibus & ſingulis hominibus dare primam gratiam ſupernaturalem, si omnes & ſinguli ministerio aliorum hominum in rebus fidei ſufficienter instruantur, etiamsi conditione hac per accidens non purificata, Deus nullas ipsis gratias ſupernaturales actu conferat. Resp. enim N. A. Nam Deus vult homines adultos & ratione utentes ſalvos fieri per actus propriæ voluntatis ſupernaturales: & ideo omnibus & ſingulis, cum ad usum rationis perveniunt, præcipit ut ſese ad Deum tamquam finem ſuum ſupernaturalem convertant. Ad hoc autem omnino neceſsarium est, ut omnibus & ſingulis immediate per ſe ipsum conferat gratiam aliquam ſupernaturalem.

Explicatur axioma illud: Deus facienti quod eſt in ſe non denegat gratiam.

264. Quæres, quis ſensus ſit veriſsimi atque indubitati illius axiomatis Theologici, *Deus facienti quod eſt in ſe non denegat gratiam?* R. Miſsis hæreticorum erroribus, duæ ſunt celebriores Catholicorum Doctorum opiniones. Ima est eorum, qui cum Durando, Scoto, Gabriele Biel, Alphonso a Castro &c. axioma illud intelligunt etiam de faciente quod est in ſe viribus naturæ. Docent nimirum hi Theologi, Deum ob merita

Chri-

Christi Redemptoris de se paratum esse singulis infidelibus conferre primam gratiam supernaturalem, necessariam ad fidem & salutem, modo infideles illi viribus suis naturalibus relicti, certo tempore, & usque ad terminum sibi a Deo præfixum, Deum colant, & legem naturalem integre observent. Quod si egerint, certa atque infallibili lege conferendam ipsis esse primam gratiam supernaturalem vocationis ad fidem, eoquod Deus ex pacto cum Christo fidejussore nostro inito se obligaverit ad conferenda illis auxilia supernaturalia, eosque ad fidem vocandos, qui viribus naturæ & auxilio mere naturali adjuti, fecerint quod est in se, nullumque obicem, præcepta transgrediendo, gratiæ posuerint. Quod si vero infideles mandata neglexerint, eos culpa sua supernaturali gratia carituros esse, quin Deo hoc imputari possit, qui vi pacti cum Christo initi, omnibus & singulis hominibus offerre tantum, non etiam conferre divinæ gratiæ suæ dona teneatur. Ajunt tamen præcedentia opera bona ordinis mere naturalis lege non ita indispensabili requiri, ut si illa defuerint, Deo integrum non sit positive indigno gratiam supernaturalem conferre ex mera liberalitate & misericordia; eademque opera ne de congruo quidem primæ gratiæ supernaturalis meritoria esse, aut dispositionem positivam, sed mere negativam, quatenus removentur peccata, quæ collationem gratiæ impediunt: ac purum terminum, cui nimirum Deus, etsi in se nullam habenti virtutem & congruentiam, affixit collationem primæ gratiæ supernaturalis, ad quam conferendam aliunde movetur, scilicet ex meritis Christi.

265. II^da^ eaque valde communis est eorum, qui axioma illud, de faciente tantum quod in se est viribus gratiæ, intelligi volunt. Putant enim hi hominem numquam facere quod in se est, nisi viribus gratiæ supernaturalis adjuvetur. Quare juxta hos Theologos Deus ob merita Christi Redemptoris omnibus & singulis infidelibus, ante vocationem ad fidem, confert gratias supernaturales, quibus juventur ad observandam legem naturalem, ac paulatim disponantur ad ipsam gratiam fidei,

fidei, ut ſuperius a nobis explicatum fuit. Atque hæc opinio priori longe probabilior mihi videtur, expedita magis, ac paucioribus tricis obnoxia, Scripturæ, Patribus, ac Conciliorum effatis longe conformior. Certe nec leves nec contemnendæ difficultates primam opinionem circumstant.

266. Nam Imo pactum illud, quod Deum inter & Christum initum fuiſse dicitur, longe probabilius est commentitium, cujus nec vox nec vestigium extat in Scripturis, aut Patribus; nullaque urget neceſsitas illud adstruendi, cum seria voluntas Dei ut omnes homines ſalvi fiant, longe connaturalius explicetur a ſecundæ ſententiæ patronis, qui cuilibet infideli a Deo auxilium aliquod ſupernaturale conferri dicunt ob merita Christi, cui si infidelis cooperetur, paulatim ad ipsam fidem disponitur. IIdo. Quamvis Theologi illi dicant opera moraliter bona non eſse causam moralem, qua Deus moveatur ad conferendam primam gratiam ſupernaturalem: item non habere illa rationem meriti, non eſse dispositionem positivam, ſed mere negativam ac purum terminum; non videntur tamen ſatis recedere a Semipelagianorum confiniis. Si enim ex parte hominis est aliquid, quod Deum ex certa lege moveat ad conferendam gratiam, explicari nequit quomodo gratia ſit pure gratuita, nisi ad commentitium illud pactum Deum inter & Christum confugiatur, dicaturque, gratiam quidem respectu hominis gratuito & liberaliter, respectu Christi tamen conferri ex obligatione. Certe ab his Theologis ſimpliciter ut veræ admitti debent quatuor propositiones, quas Arausicana II. Synodus, ut jacent, damnavit Cap. III. IV. VII. & XXV. nulla facta mentione meriti. Ima est. *Ad invocationem humanam gratia poteſt conferri: non autem ipsa gratia facit, ut invocetur a nobis.* IIda. *Voluntatem noſtram ſine Spiritus Sancti infusione conceptam Deus expectat, ut a peccato purgemur.* IIItia. *Poteſt quis per naturæ vigorem bonum aliquod cogitare & eligere, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ.* IVta. *In opere bono nos incipimus, & poſtea per misericordiam Dei adjuvamur.* Nam si Deus faci-

facienti viribus naturæ quod est in se, infallibiliter deinde confert gratiam, saltem aliquando expectat voluntatem pure naturalem, ut a peccato purgemur. Deniqne opera illa mere naturalia vere ad salutem pertinerent, nam disponerent infallibiliter ad gratiam supernaturalem.

267. Respondent primæ sententiæ patroni, has propositiones damnatas esse in sensu Semipelagianorum, qui docebant opera illa naturalia esse meritoria gratiæ saltem de congruo. Verum reponimus, has propositiones damnatas fuisse ab Arausicana Synodo ut jacent, nulla facta mentione meriti. Est autem omnino incredibile, quod Concilium damnarit tot propositiones simpliciter veras ac Catholicas, & in omnibus prætermiserit illam unicam vocem *meritum*, quæ tamen unice damnanda erat, & qua ablata, tota illa doctrina fuisset Catholica. Ergo illæ propositiones, etiam prout jacent, sunt falsæ & rejiciendæ. Profecto Semipelagianis ad intentum & scopum suum suffeciset, si ipsis fuisset concesum, præcedentia opera bona mere naturalia esse saltem occasionem, qua posita certo & infallibiliter conferretur gratia, licet simul ipsis negatum fuisset, illa opera esse meritum, causam moralem, vel motivum Deo ad conferendam gratiam.

268. Solent adversarii sententiam suam authoritate S. Thomæ communire. Verum quamvis S. Doctor alicubi adversariis favere videretur, in Summa tamen Theologica, quæ postremus fuit illius partus, aperte nobis patrocinatur. Scribit enim 1ma IIdæ. Quæst. CIX. Artic. IV. ad IIdum. *Dicendum, quod nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Joannis XV. Sine me nihil potestis facere. Et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo.* Idem dicit 1ma IIdæ. Quæst. CXII. Art. III. Et in Commentario Epist. ad Romanos, Lectione III.

269. Ex hactenus dictis facile colliges, cur dictum a nobis fuerit ipso quæstionis hujus initio, Deum omnibus & singulis infidelibus conferre gratias sufficientes

tes

tes ſupernaturales, quibus disponantur paulatim ad fidem & justificationem, modo illis cooperentur. Qui enim primam ſententiam defendunt, ajunt a Deo non conferri quidem omnibus, attamen offerri gratiam ſupernaturalem, ſeu Deum paratum eſse ſingulis illam dare, modo viribus naturæ faciant quod in ſe est. At vero ſecundæ ſententiæ patroni ajunt gratiam ſupernaturalem omnibus dari, ut faciant quod in ſe est.

Argumenta contraria refutantur.

Adversarii nihil præſidii inveniunt in Scripturis.

270. Objicitur I. Authoritas Scripturarum. Act. Cap. XIV. ait Paulus: *Qui* (Deus) *in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias ſuas.* II. Act. Cap. XVI. Paulus & Timotheus *transeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem vetiti ſunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia.* III. Ad Ephes. Cap. II. *Eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati a conversatione Israel, & hospites teſtamentorum, promiſsionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.* Ergo ante conversionem carebant Ephesii omni gratia ſufficiente. IV. Ad Rom. Cap. V. ait Apostolus: *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum, per quem & habemus acceſsum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Ergo ante fidem non datur gratia. *Confirm.* Judæi in veteri Testamento nullas habuerunt gratias ad ſalutem ſufficientes. Ergo multo minus infideles. P. A. Lex nova dicitur lex gratiæ. Ergo. R. ad I. Deus dicitur in præteritis generationibus dimisiſse omnes Gentes ingredi vias ſuas, non quod gratias ſaltem remote ſufficientes eisdem denegaverit; ſiquidem Apostolus ad Rom. Cap. I. ait, Gentiles illos inexcusabiles fuiſse, *qui cum cognoviſsent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt:* ſed quia non impertivit eis ſpecialia illa beneficia, quæ Judæis, legem ſcriptam dando, ac Prophetas mittendo, totique humano generi post Christi in terras adventum contulit. Ad II. Apostolus certo aliquo tempore prohibitus fuit prædicare Evangelium in Asia,

quia

quia Spiritus Sanctus volebat illud prius prædicari in Macedonia. Neque tamen Asiatici interea caruerunt gratia remote sufficiente, qua bene utentes omnia ad credendum proxime in Christum requisita impetrare possent. Ad III. N. C. Ephesii, quia ante prædicationem Evangelii Christum ignorabant, carebant quidem gratia proxime sufficiente ad fidem; at non carebant remote sufficiente, cujus ope poterant naturalem legem servare, sicque ulteriores gratias acquirere ad fidem & salutem. Ad IV. N. C. Apostolus loco cit. non loquitur de gratia actuali, sed habituali; ait enim: *Gratiam istam in qua stamus.* At gratia in qua stamus, non est actualis, sed habitualis. Quare ante fidem non datur quidem gratia habitualis & sanctificans, datur tamen actualis. Ad *confirm.* N. A, cujus falsitas manifeste patet 1mo ex Scripturis, in quibus Deus Judæis sæpius exprobravit ingratum animum & incredulitatem. Isaiæ Cap: V. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Isaiæ Cap. LXV. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Isaiæ Cap. I. Judæos ad pœnitentiam hortatus est, serio utique, non irrisorie. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Ezechielis Cap. XXXIII. *Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.* II^do^ Authoritate Ecclesiæ, quæ has Quesnelli propositiones justissime proscipsit, ordine VI. *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando.* Et VII. *Quæ utilitas pro hominibus in veteri fœdere, in quo Deus illos reliquit propriæ infirmitati, imponendo ipsis suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?* Ad *prob.* C. A. N. C. Lex nova dicitur lex gratiæ, non quod nulla gratia data fuerit in lege veteri, quæ multos Sanctos numeravit; sed quia lex nova per se & ratione sui dat gratiam, & quidem auxilia gratiæ longe potentiora & uberiora: contrà

Lex vetus non per se & ratione sui gratiam contulit, nec Judæi justificabantur virtute legis, sed ex fide in Christum Mediatorem venturum.

271. Dices. Saltem ex textu illo Joan. Cap. I. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, non evincitur omnibus infidelibus conferri gratias sufficientes. Ergo. P. A. S. Augustinus verba illa ita exponit, ut sensus sit: illuminat omnem hominem, qui illuminatur; aitque verba hæc accipi posse pro generibus singulorum, ita ut dicatur, ex omni statu hominum aliquos illuminari. S. Thomas exponit Verbum *illuminat* de lumine rationis naturalis. Ergo. R. N. A. Ad *prob.* R. dum Augustinus citata verba S. Joannis sic intelligi posse asserit, loquitur de illuminatione efficaci, qua homo actu credit; neque ullibi negat textum illum intelligi posse de illuminatione sufficiente, quæ omnibus, nullo excepto, conceditur. S. Thomas non tantum de lumine rationis naturalis, verum etiam de lumine gratiæ supernaturalis verbum *illuminat* exponit, S. Cyrillum Alexandrinum, S. Chrysostomum, & S. Augustinum secutus.

In Tridentino. 272. Objic. II. Authoritas Tridentini, quod Sess. VI. Cap. III. ait: *Verum etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ergo saltem infidelibus non dantur gratiæ sufficientes. P. C. Si illæ darentur etiam infidelibus, meritum passionis Christi omnibus communicaretur. Atqui juxta Tridentinum non omnibus communicatur. Ergo. R. C. A. N. C. Ad *prob.* D. M. Communicaretur aliquo modo, in quantum intuitu meritorum Christi gratiæ sufficientes ipsis dantur, C. M. Eo modo, quo communicatur illis qui beneficium mortis Christi recipiunt, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Tridentinum per beneficium mortis Christi non intelligit auxilium qualecunque ob merita Christi concessum, sed gratiam ipsam justificationis, ut constat ex toto illo capite, ita ut sensus citati textus sit: Quamvis Christus pro omnibus moriendo sufficientia auxilia omnibus

bus meruerit, non omnes tamen in hac vita recipiunt completum beneficium mortis ejus, id est, justificationem; sed ii tantum, quibus meritum passionis ejus perfecte communicatur per debitam Sacramenti susceptionem, vel per fidem, spem, & charitatem continentem votum Sacramenti.

273. Objic. III. Authoritate S. Augustini, ejusque Discipulorum. S. Augustinus Lib. de Prædest. SSrum, Cap. VIII. ait: *Fides igitur, & inchoata & perfecta, donum Dei est: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare.* Atqui gratia sufficiens esset fides inchoata. Ergo gratia sufficiens ad credendum quibusdam datur, quibusdam non datur. II. Enarrat. in Psal. CXXXVI. de Infidelibus scribit: *Quomodo illos videmus, & tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid unde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi.* III. Lib. de Gratia & Lib. Arbitrio, Cap. XIII. *Gratia per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides.* Atqui infideles non habent fidem. Ergo non habent gratiam. IV. Lib. I. Operis imperfecti, Num. LXXXIII. ait: *Gratia Dei Christianis est propria, non Christianis Gentilibusque communis.* Et Serm. CLIV. alias V. de Verbis Apost. *Pagani, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum.* V. S. Doctor pluribus locis affirmat gratiam efficacem non omnibus dari, ut appareat illam esse donum gratuitum. Ergo juxta Augustinum dicendum pariter erit, gratiam sufficientem non omnibus dari, ut appareat eam esse donum gratuitum. VI. S. Augustinus ad solvendam quæstionem illam, quare Deus ex infidelibus unum potius quam alium vocet ad fidem, recurrit ad inscrutabilia Dei judicia. Atqui non opus fuisset ad illa recurrere, si omnibus infidelibus gratiæ sufficientes dantur; sed dicere potuisset, aliquos ad fidem vocari, quia prioribus gratiis bene usi fuerunt. VII. Serm. CCXCII. scribit: *Illis non est ortus Christus, a quibus non est agnitus*

In Authoritate S. Augustini, ejusque Discipulorum.

Christus. Sol ille justitiæ, sine nube, sine nocte, ipse non oritur malis, non oritur impiis, non oritur infidelibus.

274. Eadem quæ Augustini, fuit etiam Discipulorum ejus doctrina. S. Prosper in Responsione quarta ad Capitula Gallorum, asserit non omnes vocari ad fidem. II. Idem in Epistola sua ad Augustinum, quæ inter Augustinianas est CCXXV, Semipelagianos erroris arguit, quod gratiam quamdam generalem omnibus oblatam esse dicerent; scribit enim: *Hæc ipsorum definitio ac professio est, -- universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicunque ad fidem & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.* III. S. Fulgentius Lib. I. de Veritate Prædestinationis & Gratiæ, Cap. XX. *Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari; non enim omnium est fides.* IV. Episcopi Africani in Sardinia exules in Epistola sua Synodica ajunt: *Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt qui fideles non sunt.*

275. R. ad I. D. M. Fides etiam inchoata est donum Dei, quod quibusdam non datur quoad actum; quia nempe non omnes credunt, nec illa gratia bene utuntur, quæ conceditur ut ad finem pervenire possint, C. M. Non datur quibusdam quoad posse saltem remotum, N. M. Ad II. R. S. Augustinus non dicit, *Ut non appareat*, sed *ut difficile nobis appareat*, quod sane non est affirmantis infidelibus deesse omnem gratiam, qua adjuti ad fidem pervenire possint. Ex eo autem, quod in infidelibus nullus fructus inveniatur, quodque ii nec sapiant, nec capiant, aliud non sequitur, quam infideles illos gratia congrua carere. Ad III. R. Augustinum ibi non de omni gratia loqui, sed de gratia justificante, de gratia spei Christianæ, charitatis ac pœnitentiæ, quæ utique dari non potest nisi per fidem Christi; agit enim ibi S. Doctor contra Pelagianos solam naturam gratiæ nomine indigitantes, ostenditque illis aliam quoque gratiam a natura distinctam admittendam esse, hoc nimirum argumento: Natura

tura communis est omnibus, etiam paganis; fides autem Christi non est omnium. Ergo gratia illa, quæ teste Apostolo datur per fidem, non est natura. Ergo aſserenda est gratia alterius ordinis, quam sit natura. Ad IV. R. Augustinus per gratiam Dei, quæ datur per Jesum Christum, intelligit eam quæ ejusdem Christi cognitionem & fidem involvit, quæque proxime ad justificationem disponit, qualis certe non est gratia illa communiter Gentilibus data ante prædicationem. Ad V. R. rationem illam ab Augustino aſsignatam non adeo ſolidam eſse; omnibus enim Angelis, nullo excepto, collata ſuit gratia ſufficiens, quacum perseverare potuiſsent, si voluiſsent, neque tamen id circo fuit Angelis debita, ſed donum plane gratuitum. Certe ſolidiorem rationem, cur gratia gratuitum ſit beneficium, aſsignat S. Doctor Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XII. *Dando quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſse voluit.* Nimirum ut gratia ſit, & appareat gratuitum beneficium, ſufficit quod non ſit debita, & non detur omnibus nisi gratis, atque ex mera misericordia & liberalitate. Gratia autem ſufficiens, quamvis omnibus detur, confertur tamen indignis ob peccatum tum originale, tum personale, atque ex mera misericordia. Ad VI. N. m. Quamvis enim recte responderi poſsit, aliquos ad fidem vocari, quia prioribus gratiis bene usi ſunt, alios in ſua infidelitate relinqui ob abusum priorum gratiarum; redit tamen quæstio, cur Deus dederit uni auxilia congrua, quibus prævidit eum cooperaturum, alteri vero mere ſufficientia, quibus prævidit eum non cooperaturum: cui quid aliud respondeas, quam cum Apostolo, *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Ad VII. R. ſensum eſse, quod Christus ſol justitiæ non ſit exortus impiis & infidelibus lumine efficaci & practico, quod expulerit ab eorum cordibus nubes, & injustitiæ noctem. Oritur tamen & illis lumine aliquo, quamvis ſuboscuro, nihilominus ſufficiente. *Chriſtus Dominus*, ſcribit idem S. Doctor Tractatu XXXV. in Joannem, *& inter fideles ſuos, & inimicos Judæos, tamquam*

quam inter lucem & tenebras distinguebat; tamquam inter illos, quos radio fidei perfundebat, & illos quorum clausos oculos circumfundebat.

276. Neque magis authoritate Discipulorum Augustini premimur. Ad I. R. S. Prosper non negat gratiam remote sufficientem omnibus dari; sed vult tamen non omnes vocari vocatione proxime sufficiente, nec omnibus Evangelium annuntiari, nec omnibus dari æqualem gratiæ mensuram. Certe in Responsione VIII. ad Capitula Gallorum ait, omnium hominum curam esse Deo, & infidelitatem hominum ipsis adscribendam esse hominibus: quæ vera esse nequeunt, nisi Deus omnibus gratias saltem remote sufficientes daret. Ad II. R. Semipelagianos non argui a S. Prospero, quod dicerent gratiam sufficientem omnibus a Deo dari; sed quod dicerent eam sic offerri, ut illam consequerentur quicunque vellent, eamque solis naturæ viribus desiderarent, absque auxilio gratiæ supernaturalis. Ad III. R. S. Fulgentium loqui de gratia justificante; subjungit enim continuo post verba citata: *Et quidam charitatem Dei non recipiunt, ut salvi fiant.* At vero neque in Scripturis, neque in Patrum libris de aliis dicitur, quod charitatem Dei non receperint ut salvi fierent, nisi de iis quibus charitas Dei oblata sit, & quibus liberum fuerit eam recipere: quam reprobi malitia sua repulerunt. Unde evidens fit, omnes qui charitatem juxta Fulgentium non receperunt, destitutos nequaquam fuisse omni ad justitiam & salutem præsidio necessario, quod est gratia seu proxime seu remote sufficiens, etsi caruerint tum gratia efficaci, tum etiam sanctificante. Ad IV. R. Episcopos pariter Africanos de gratia, quæ proxime disponit ad justificationem, ut ex ipso contextu elucescit, non autem de quovis gratiæ auxilio, cum ab illo fidem necessario prævenirì universa cum Tridentino Concilio Sess. VI. Can. III. credat Ecclesia.

Frustra obtenditur sequela.

277. Objic. IV. Sequela. Si gratia sufficiens omnibus infidelibus daretur, sequeretur 1mo infidelem sine fide posse placere Deo; quia ante fidem posset eli-

cere

cere actus quosdam supernaturales. Atqui hoc repugnat Apostolo ad Hebr. Cap. XI. scribenti: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ergo. Sequeretur II^do, nullam dari infidelitatem pure negativam etiam in illis, quibus prædicatum numquam fuit Evangelium. Atqui hoc repugnat communissimæ Theologorum. Ergo. P. M. Omnis infidelitas oriretur ex abusu priorum gratiarum. Ergo omnis infidelitas esset culpabilis & volita saltem in causa. R. D. M. Sine fide posset placere Deo aliquo modo, C. M. Eo modo quo placet Deo homo justus, ac filius adoptivus Dei, N. M. Atque hoc modo hominem sine fide placere posse Deo negat Apostolus, exemplum Enoch & Noe adducens, qui utique erant justi. Ad II. N. M. Ad *prob.* C. A. N. C. Negative infideles dum resistunt gratiæ remote sufficienti, nec prævident, nec prævidere possunt se propterea privandos esse notitia & fide mysteriorum nostrorum. Ergo infidelitas illa non est volita in causa; quia malus effectus qui sequitur ex aliqua causa, ponenti causam non imputatur ad culpam, nisi prævideatur, aut prævisus fuerit, aut prævideri saltem potuerit ac debuerit.

Aut obscuritas & implicantia hujus gratiæ.

278. Objic. V. Obscuritas & implicantia hujus gratiæ remote sufficientis. Non potest explicari, in quo consistat hæc gratia remote sufficiens. Ergo commentitia est. R. I^mo. N. C. Multa certo existunt, quæ qualia sint ignoramus. R. II^do. N. A. Hæc gratia remote sufficiens ad fidem & justificationem probabilius est supernaturalis illustratio mentis, & pia motio voluntatis, qua infideles illustrantur, excitantur, & adjuvantur ad servandam legem naturalem, ad credendum quod existat Deus, & quod inquirentibus se sit remunerator. Quod si infidelis huic gratiæ cooperetur, dat Deus ulteriores gratias ad legem naturalem diutius servandam, ad vincendas tentationes graviores, ad desiderandam sollicite salutem, atque ad opera pietatis exercenda. Si & hac ulteriori gratia bene utatur, dabit tandem illi Deus gratiam proxime sufficientem ad fidem & justificationem. Ex quo patet, quomodo infide-

fideles omnes gratiam habeant ſufficientem ad fidem; non proxime, quia nondum proxime credere poſsunt in Christum, ſed remote, quia actu habent talem gratiam, qua si bene uterentur, acquirerent potentiam proximam credendi in Christum. Hæc explicatio optime conciliatur cum doctrina S. Thomæ Quæst. XIV. de Veritate, Artic. XI. *Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſsariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus* (in ſylvis) *ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni, & fuga mali, certiſsime eſt tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſsaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut misit Petrum ad Cornelium.*

279. Dices I. Si infideles habent gratias ſufficientes ad exercenda opera pietatis, & ſervandam legem naturalem, poterunt in ſtatu infidelitatis amare Deum ſuper omnia amore ſupernaturali. Atqui hoc dici non potest, quia in hac providentia nemo justificatur ſine fide in Christum. Ergo. Antequam respondeam, noto objectionem hanc ſupponere, quod explicita fides SSmæ Trinitatis & Incarnationis ſit neceſsaria neceſsitate medii ad fidem & ſalutem, quod tamen a magni nominis Theologis negatur. Verum quidquid de hoc ſit, ob maximam probabilitatem ſententiæ neceſsitatem hanc adstruentis, R. N. M. Deus in hac providentia neminem excitat vel adjuvat ad actum perfectæ charitatis ſupernaturalis, nisi post elicitam fidem explicitam Mysteriorum SSmæ Trinitatis, & Incarnationis. Infidelis itaque, antequam explicite ista credat, habet tantum potentiam remotam eliciendi actum charitatis perfectæ, quæ numquam evadet proxima, nisi purificetur conditio, id est, nisi explicite credat Mysterium Trinitatis, & Incarnationis.

280. Dices II. Vocatio ad fidem est prima gratia ſupernaturalis. Ergo infideles, antequam eis fides nostra proponatur, non habent gratiam ſufficientem ad ſalutem. Sed infidelibus ſæpiſsime fides non proponitur. Ergo ſæpiſsime nullam habent gratiam ſufficien-

tem

tem. P. M. Juxta Tridentinum Sess. VI. Cap. VIII. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Ergo si non fides ipsa, saltem vocatio ad fidem est prima gratia supernaturalis. R. D. A. Vocatio ad fidem inchoatam, seu vocatio ad fidem latius dicta, est prima gratia supernaturalis, C. A. Vocatio ad fidem perfectam & stricte talem, N. A. & Consenq. Gratia sufficiens ad servandam legem naturalem, atque excitans ad inquirendum mundi hujus Authorem, Gubernatorem & Judicem, cum ordinetur a Deo tamquam medium efficacissimum ad obtinendum donum fidei perfectæ & supernaturalis, nisi homo gratiæ contumaciter resistat, merito vocari potest vocatio ad fidem latius dicta, sive vocatio ad fidem inchoatam. Atque hanc esse primam gratiam supernaturalem ultro concedimus, quæ a Deo homini infideli liberaliter conceditur. Vocatio vero stricte talis ad fidem perfectam alias supponit gratias, quæ præcesserunt. Fidem hanc inchoatam haud dubie agnovit jam S. Augustinus Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. scribens: *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes: non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam.* Ad *prob.* C. A. N. C. Fides a Tridentino dicitur humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, non quia est prima gratia, siquidem fides in stricto sensu sumatur; sed quia inter pietatis opera ad justitiam & salutem conducentia est primum, & ad cætera requiritur. Hinc S. Augustinus Serm. XXVII. alias XX. de verbis Apostoli, ait: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Et S. Prosper in Responsione ad Excerptum VIII. Genuensium: *Fides est virtutum omnium fundamentum.* Sed inde quis prudens colligat, fidem gratia non præveniri, fidem elici absque ulla prævia dispositione? Quamvis igitur fides dicatur justitiæ radix, non desinit tamen ipsa radix esse ex semine, quod est gratia. Accedit quod sine fide perfecta ac stricte dicta, homo quidem gratia adjutus possit actum supernaturalem elicere, numquam vero actum meritorium

vitæ

vitæ æternæ, qui ſupponit gratiam ſanctificantem in homine operante; hæc vero fidem perfectam ſupernaturalem.

281. Dices III. S. Augustinus Lib. de Prædest. SSrum, Cap. VII. ſcribit: *Ex fide autem* (Apoſtolus) *ideo dicit juſtificari hominem, non ex operibus; quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur.* Et Enchiridii Cap. CXVII. *Fides impetrat quod lex imperat.* IIdo. S. Augustinus & S. Prosper, ut videre est apud Suarium Lib. IV. de Gratia, Cap. XV. Num. XXIII. & XXIV, ſæpius repetunt, hominem nihil meriti habere ante fidem: vocationem ad fidem non poſse ſub cujuscunque boni operis meritum cadere: fidem æquiparari cum Incarnatione; quia ſicut in humanitate aſsumpta nihil potuit præcedere, quo ista mereretur unionem hypoſtaticam: ita in homine nihil poſsit præcedere, quo mereatur fidem. Ergo juxta Augustinum & Prosperum vocatio ad fidem est prima gratia ſupernaturalis, quæ homini confertur. R. ad I. S. Augustinus Lib. de Prædest. SSrum arguit Semipelagianos, qui prædestinationis initium naturalibus viribus liberi arbitrii tribuebant, dicentes, gratiam non operum, ſed fidei merito obvenire, atque in omnium potestate eſse absque gratiæ auxilio pium credulitatis affectum in ſe excitare, ſeque ad fidem disponere. Ait itaque S. Doctor, ipsam quoque fidem Dei opus eſse, per fidem tamquam radicem proxime impetrari cætera: per fidem, perfectam illam & justificantem, haberi opera meritoria: fidem anteriorem eſse operibus meritoriis & vere Christianis, ſive illis, *in quibus juſte vivitur;* at nullibi dicit fidem anteriorem eſse omni gratia, etiam illa, qua ipsa fides producitur. Ad IIdum. N. C. Quamvis actus fidem præcedentes eliciantur ope gratiæ ſupernaturalis, ſintque & ipsi ſupernaturales, mereri tamen non poſsunt ipsam fidem, ſeu vocationem congruam ad fidem, & gratiam efficacem ad credendum; nam ipsa ſemper manet donum Dei, quod Deus juxta beneplacitum ſuum potest per gratiam efficacem dare uni, &

non

non dare alteri. Neque mereri quis potest actibus illis gratiam sufficientem ad credendum; non enim videtur, quod ille, qui nondum est filius adoptivus Dei, proprie mereri possit donum aliquod supernaturale, quamvis supernaturali auxilio non careat. Quare qui præcedentibus gratiis cooperatus est, infallibiliter quidem vocabitur ad fidem; hanc tamen vocationem accipiet non propter sua, sed unice propter merita Christi.

CONTROVERSIA VIII.

DE NECESSITATE GRATIAE.

AN AD QUEMLIBET ACTUM SALUTAREM, ATQUE ETIAM AD INITIUM FIDEI, ET PIUM CREDULITATIS AFFECTUM NECESSARIA SIT GRATIA SUPERNATURALIS?

CONTRA PELAGIANOS ET SEMIPELAGIANOS.

Qui circa necessitatem gratiæ divinæ Pelagianorum ac Semipelagianorum, seu Massiliensium errores fuerint, diligenter notavimus in prævia Dissertatione Historica II. & III., ad quas proinde Lectorem remittimus. Quid vero sit gratia actualis, & quæ ejus divisio, diximus Num. 101. & 102.

282. Conclusio. Ad quemlibet actum salutarem, atque etiam ad initium fidei, & pium credulitatis affectum necessaria est gratia supernaturalis. Prob. Conclusio hæc dogmatica contra Pelagianos & Semipelagianos 1mo Authoritate Scripturarum. Joan. Cap. VI. ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Joan. Cap. XV. *Sine me nihil potestis facere.* His verbis sæpius adversus Pelagianos usus est Augustinus, præcipue Tract. LXXXI. in Joannem scribens: *Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset, Hic fert fructum multum, non ait, Quia sine me parum potestis facere: sed, Nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil*

Necessitas gratiæ supernaturalis ad quemlibet actum salutarem, atque ad initium fidei evincitur ex Scripturis.

nihil fieri poteſt. I. ad Cor. Cap. VII. ait Apostolus: *Misericordiam consecutus ſum a Domino, ut ſim fidelis.* Ubi iterum observat Augustinus Lib. de Gratia & Lib. arbitrio, Cap. VII. *Non enim dixit, Misericordiam consecutus ſum, quia fidelis eram; ſed, ut fidelis eſsem: hinc oſtendens, etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non poſse, & eſse donum Dei.* Ad Ephes. Cap. II. idem Apostolus ait: *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* II. ad Cor. Cap. III. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* I. ad Cor. Cap. IV. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ad Philippenses Cap. II. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Jacobi Cap. I. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum eſt; descendens a Patre luminum.* Hæc autem Scripturarum loca non externæ tantum, ſed interioris etiam gratiæ neceſsitatem ostendunt, qua oculi mentis interius aperiantur, dum prædicator Evangelicus exterius auribus insonat; quæ exponat Scripturarum ſensum, & cor lapideum in carneum mutet; quæ diffundatur in cordibus per Spiritum Sanctum, juxta illud Apostoli I. ad Thessalonic. Cap. I. *Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu Sancto*, intus nimirum movente & inspirante.

Conciliis. 283. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Diospolitana Synodus A. 415. ſeptimum hunc Pelagii articulum proscripsit: *Gratia Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus datur, ſed de libero eſt arbitrio, vel in lege atque doctrina.* Carthaginense III. in causa Pelagianorum A. 418. Can. VI. ait: *Placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſsimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſsimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.* Arausicana II. Synodus

dus Semipelagianorum errores pluribus Capitulis damnavit. Capit. VII. ait: *Siquis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, absque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati; hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis, Sine me nihil poteſtis facere.* Plura ex Arausicanis Capitulis exhibuimus Num. LIII. Arausicanam doctrinam innovavit Tridentina Synodus Seſs. VI. de Justificatione, Can. I. *Si quis dixerit, hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo; anathema ſit.* Can. II. *Si quis dixerit, ad hoc ſolum divinam gratiam per Chriſtum Jesum dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratia utrumque, ſed ægre tamen & difficulter poſſit; anathema ſit.* Can. III. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

284. Prob. III. Authoritate Pontificum. S. Innocentius I. in Epist. ad Patres Conc. Milevitani ſcribit: *Cum in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non niſi adjutorium Dei legamus eſſe nectendum, eamque nihil poſſe cœleſtibus præſidiis deſtitutam: quonam modo huic ſoli poſſibilitatem hanc pertinaciter defendentes, ſibimet, immo plurimis Pelagius Cœleſtiusque perſuadent?* S. Zosimus in Epist. tractoria ad omnes orbis Episcopos: *In omnibus actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, ut quidquam ſibi humana natura præſumat.* S. Cœlestinus in Epist. ad Episcopos Galliarum: *His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex divina ſumptis authoritate documentis, ita adjuvante Domino conformati ſumus, ut omnium ſtudiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum* *Pontificibus.*

profi-

profiteamur authorem: & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri; per quem fit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Bonifacius II. damnatis Maſsiliensium erroribus, ratam habuit doctrinam Synodi Arausicanæ.

Patribus. 285. Prob. IV. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Lib. III. ad Quirinum, Cap. IV. ſcribit, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.* S. Ambrosius Lib. de Fuga ſæculi: *Non eſt in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes.* Et Lib. II. in Lucam, Cap. III. *Ubique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis, ut nemo poſsit ædificare ſine Domino, nemo quidquam incipere ſine Domino.* S. Hieron. Lib. III. contra Pelagianos ait, *Dominum gratia ſua nos in ſingulis operibus juvare, atque ſuſtentare.* S. August. indefeſsis XVIII. annorum laboribus, & libris plus quam triginta orthodoxam de divina gratia doctrinam contra Pelagianos & Semipelagianos propugnavit. Magistrum ſecuti ſunt Discipuli relatis de impia ſecta triumphis insignes, S. Prosper Aquitanicus, Paulus Orosius, S. Fulgentius, S. Cæsarius Arelatensis &c. Quis cæterorum per orbem Episcoporum hac de re ſensus fuerit, refert S. Augustinus Lib. IV. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Cap. VIII, ubi ait, *Se rectam & antiquitus fundatam Catholicam fidem adversus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque defendere.* Tum disertis verbis aſserit, *eorum profanas vocum novitates Eccleſiam Chriſti & Orientalem & Occidentalem horruiſse.* Idem S. Doctor Lib. II. contra Julianum, Cap. VII. *Nunc*, inquit, *ſententiis Episcoporum, qui fuerunt ante nos, urgere te inſtitui;* atque id ita præstat, ut totum hunc fere librum in authoritatibus & testimoniis consumat. Aſserit ſub illius finem, Cap. X. aut tot ſententiis ſanandum fore Julianum, aut nihil amplius de ipso ſperari poſse, si non vereatur *tot Sanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicæ veritatis accusare, Irenæum, Cyprianum, Rheticum, Olympium, Hilarium, Gregorium* (Nazianzenum) *Basilium, Ambro-*

brosium, Joannem, (Chrysostomum) *Innocentium, Hieronymum, cæterosque socios ac participes eorum, insuper & universam Ecclesiam.*

Ac ratione Theologica.

286. Prob. V. Ratione Theologica. Beatitudo, ad quam homo de facto ordinatus est a Deo, est supernaturalis, ut ostendimus Tomo IV. Artic. IV. Controversia VI. Ergo etiam actus, qui ad illam conducunt, debent esse supernaturales, quia inter finem & media debet dari proportio. Atqui actus supernaturalis elici non potest per vires mere naturales, & absque gratia supernaturali; alias non esset supernaturalis, quia non excederet vires totius naturæ creatæ. Ergo ad omnem actum salutarem necessaria est gratia supernaturalis.

Corollaria

287. Ex Catholica hac doctrina sequitur Imo, hominem sine gratia supernaturali neque moralem, neque physicam habere potentiam eliciendi actum salutarem; eoquod aliquo careat constitutivo actus primi proximi, sive gratia supernaturali, quæ necessario requiritur, ut potentia in actum salutarem exire queat. IIdo. Hominem solis naturæ viribus disponere se non posse ad gratiam actualem recipiendam; tum quia hæc dispositio esset actus ad salutem conducens, qui tamen solis naturæ viribus elici non potest: tum quia sic gratia daretur secundum merita, atque ita desineret esse gratia, esetque pedissequa naturæ.

Argumenta contraria refutantur.

Pelagiani perperam nobis objiciunt Scripturas.

288. Objic. I. Authoritas Scripturarum. Proverb. Cap. XVI. v. 1. dicitur: *Hominis est animam præparare.* Et v. 9. *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus ejus.* Lucæ Cap. XI. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Ergo præparatio, desiderium salutis, ac bona voluntas præcedunt gratiam. IIdo. Ad Rom. Cap. VIII. *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* IIItio. Zachariæ Cap. I. *Convertimini ad me, ait Dominus, & convertar ad vos.* IV. Matth. Cap.

Cap. XXV. *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem. Confirm.* Zachæus Lucæ XIX. gratiam consecutus est ob meritum aliquod præcedens naturale, atque ob desiderium quo flagrabat Christum videndi. Latro in Cruce pendens Lucæ XXIII. ob verba illa, *Domine cum veneris in regnum tuum, memento mei.* Cornelius Centurio Act. Cap. X. ob eleemosynas & orationes. Ergo. R. C. A. N. C. Textus illi liberam quidem voluntatis nostræ cum gratia cooperationem commendant, at neutiquam neceſsitatem gratiæ prævenientis excludunt. Nemo enim mortalium petere, pulsare, vias ſuas disponere, atque animam præparare potest absque auxilio gratiæ Dei, qui ſolus præparat voluntates nostras. Ad II. R. Apostoli mentem non eſse, quod voluntas illa ſit absque auxilio gratiæ; ſecus non ſcripsiſset ad Philippenses Cap. II. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Hoc unum itaque ibi docet, præter gratiam quæ facit velle, aliam eſse neceſsariam, quæ det agere & perficere. Ad III. respondet Tridentinum Seſs. VI. Cap. V. *Cum dicitur, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur: cum respondemus, Converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratia præveniri confitemur.* Quare homo gratia excitante præventus ad Deum convertitur cooperando gratiæ, ac tum Deus convertitur ad hominem infundendo ipsi gratiam ſanctificantem. Ad IV. R. Si de gratia ſanctificante ibi ſit ſermo, nihil inde consequi; quia gratia illa datur ſecundum mensuram præviæ dispositionis, quæ non est a natura, ſed a præveniente gratia. Quod si vero de gratiis gratis datis is locus intelligendus ſit, ſensus parabolæ erit, quod Deus gratias gratis datas illis distribuat, quos vel ipse idoneos facit, aut quos natura ad illud munus idoneos invenit, quin hæc capacitas naturalis ſit causa moralis & meritoria, quasi major capacitas & virtus naturalis moveret Deum ad conferendas plures aut majores gratias. Quamvis itaque

Deus

Deus gratias gratis datas ſæpe viribus naturæ contemperet, id tamen non facit intuitu meritorum naturæ, ſed pro nudo beneplacito ſuo: nam ſæpe præstantiori naturæ minora paucioraque largitur, quam minus præstanti. Ad *confirm.* responsio habetur ex Arausicana Synodo, quæ ſua de neceſsitate gratiæ Capitula ita concludit: *Unde manifeſtiſsime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſsus eſt, & Zachæi, qui ipsum Dominum ſuscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.*

289. Dices I. Apostolus I. ad Timoth. I. ſcribit: *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: ſed misericordiam Dei consecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Ergo ignorantia fuit causa, cur veniam consequeretur. Ergo multo magis opus naturaliter bonum potest eſse causa moralis gratiæ. R. C. A. N. C. Particula *quia* in Scripturis non ſemper denotat causam, ſed ſæpe terminum tantum & objectum, idemque ſignificat ac particula *cum.* Quis enim ſanæ mentis dicat, quod David Psalmo XL. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, Deo peccata ſua proponat tamquam causam moralem & motivum, quo Deus excitetur ad conferendam illi gratiam ſanationis? Proposuit itaque illa præcise tamquam terminum ſeu objectum, circa quod occuparetur Dei miseratio. Itaque etiam ignorantia Pauli non erat causa meritoria misericordiæ divinæ; ſed hoc ſolum præstabat, ut venia minus eſſet indignus, quam si peccaſset ex malitia.

290. Dices II. Scriptura nos hortatur, nobisque præcipit, ut convertamur ad Deum, ut petamus ac pulsemus. Ergo initium ſalutis, conatus ille, ac bona voluntas est a nobis. P. C. Quod ab alio petimus, non est in nostra potestate. Ergo quod a nobis petitur & exigitur, pendet a nobis. Atqui a nobis petitur & exigitur, ut pulsemus, petamus, quæramus, credamus. Ergo pulsare, petere, credere &c. est in nostra libe-

ra potestate. *Confirm.* Credere vel non credere est in arbitrio voluntatis. Ergo fides a nobis oritur. R. C. A. N. C. Ad *prob.* C. A. D. C. Pendet a nobis, id est, a viribus solius liberi arbitrii, N. C. A viribus liberi arbitrii adjuti per gratiam prævenientem, & omnino gratuitam, C. C. Ad *confirm.* D. A. Credere per gratiam est in arbitrio voluntatis humanæ, C. A. Sine gratia, N. A. & Conseq. Homo potest non credere sine gratia; at non potest credere sine gratia.

Ac Patres Græcos.

291. Objic. II. Authoritas Patrum, præcipue Græcorum, Ignatii Martyris, Irenæi, Justini, Clementis Alexandrini, Athanasii, Chrysostomi, aliorumque, qui in ea fuisse sententia videntur, quod initium salutis a nobis fit; quod bona voluntas præveniat gratiam, & quod Deus subsequente sua gratia pios ac naturales voluntatis conatus juvet. R. inverecundam hanc Græcorum Patrum accusationem a Jansenianis præcipue susceptam esse eo animo, ut illorum Patrum authoritatem, a quibus in materia de Libero Arbitrio vehementer premi se animadvertunt, elevent atque infirment. Hac in re itaque observo Imo. Quod præcipue in præsenti argumento non tam verba Catholicum aut hæreticum efficiant, quam sensus quem fortiuntur a proferente, & de quo aliunde nobis constat. Græci libere & absque scrupulo dicebant, initium actionis bonæ a nobis duci; sed intelligebant primam ad bonum determinationem, quam facit voluntas. Intelligebant principium, at non primum: intelligebant primum in homine, sed factum & ab homine & a Deo, non quod ante a solo Deo factum est in homine. Gratiæ nomine sæpe intelligebant illi non initialem & communem, quæ occultum quasi atque imperfectum principium est, & sine merito confertur; sed ulteriorem, auctiorem, luculentiorem, salutique nostræ viciniorem, ad quam opera nostra & conatus quid conferunt. Docuerunt Deum non præcedere nostram voluntatem; sed intelligebant non præcedere vim inferendo, quæ ita ad se trahat voluntatem, ut volitio non amplius homini sit libera. Docuerunt, debere nos primum decernere, velle,

le, eligere; sed illam supponebant gratiam, quæ hanc nobis clanculum suppeditat facultatem. Docuerunt, volendo & omnem diligentiam adhibendo impetrari a nobis gratiam; sed intelligebant subsequentem & adjuvantem. Atque id ex plurimis aliis eorum locis evincitur, quibus doctrinam hanc suam clare exprimunt. Profecto molesta atque intolerabilis res foret, si omni propositioni, quæ sinistre explicari posset, clausulam aliquam in familiari sermone, aut etiam libris conscribendis, semper adhibere deberemus. Hoc autem eo minus temporibus illis necessarium erat, quod, exorta nondum Semipelagianorum secta, gratia praveniens tacite ab omnibus intelligebatur.

292. Observo II. Antequam circa dogmata aliqua nascerentur hæreses; non loquebantur homines ea cautela, iisque verborum limitationibus, quæ postmodum fuerunt adhibitæ. Controversiæ nimirum exortæ effecerunt, ut constituerentur ac definirentur voces, certaque cautione modi loquendi circumscriberentur. Non habuere occasionem Veteres Patres, priusquam Pelagiana, ac Massiliensium hæresis oriretur, rem hanc ex instituto tractandi; ideoque plurimi de gratia non sunt locuti, nisi breviter & transeunter. Dandum est præterea etiam aliquid linguarum atque idiomatum diversitati. Novimus quantæ exortæ sint tempestates ex græca voce *hypostasis*, & qualis item differentia in exprimendo, per diversimode usurpatas voces *causa* & *principium*.

293. Observo III. Ut certi reddamur de genuino Patrum Græcorum sensu, non oportet in testimonio uno vel altero, a reliquo contextu avulso, conquiescere, sed totam libri structuram pervadere, atque omnia illius effata universe observare est necesse. Non loquuntur profecto illi tam frequenter de gratia, neque ita minute dotes ejus peculiares describunt, quia rei hujus occasionem non habebant. S. Augustinus, qui contra homines adversus gratiam hæresin molientes calamum strinxit, feliciſsime hac in re versatus est. Anteriores vero, qui scripserunt contra Marcionitas,

eosque hæreticos qui aſserebant ex quadam fati ſpecie pendere omnia, nihilque prorsus conferre industriam nostram ad ſalutem, constricti omnino erant ad declarandam potestatem liberi arbitrii; non vero ad curam in prædicanda explicandaque gratia ponendam. Suppositam nihilominus, taciteque ſemper ab illis intellectam fuiſse prævenientem gratiam, vel inde ſolum colligi potest, quod generatim omne bonum Deo referant acceptum, & ſæpenumero omnem bonum actum ipsius gratiæ adscribant.

294. Observo IV. Si propositiones quædam a contextu ſeparatæ, & ſensu a mente loquentis alieno expositæ, ſufficerent ad Patres Græcos Semipelagianis adnumerandos, non Græca modo, ſed Latina etiam Ecclesia integris IV. ſæculis perinde infecta fuiſset Maſsiliensium erroribus; ſiquidem Patres Latini primorum ſæculorum eodem idiomate, eademque phrasi usi fuere. Certe S. Cyprianus Lib. III. Testimoniorum, Cap. LII. ſcribit, *Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam eſse.* Tertullianus Lib. II. contra Marcionem, Cap. V. *Totam nobis libertatem arbitrii in utramque partem conceſsam eſse.* S. Hilarius in Psal. CXVIII. *Ex nobis initium eſse, ut Deus perficiat.* S. Ambrosius Lib. II. de Abraham Num. LXXIV. *Oportere, ut tales nos præbeamus bonis ſtudiis & prompta fide, ut Deus noſtri misereatur, & vocet nos.* S. Hieronymus adverſus Pelagianos Dial. III. *Noſtrum eſse rogare; illius tribuere quod rogatur: noſtrum incipere; illius perficere.* Et in Comment. in Cap. V. Epistolæ ad Galatas: *Sive ergo in bonam, ſive in malam partem, nec Deus, nec diabolus* (operationis nostræ) *causa eſt; quia persuasio noſtra non eſt ex eo, qui vocavit nos, ſed ex nobis, qui consentimus, vel non consentimus vocanti. --- Inter hoc jurgium media anima conſiſtit, habens quidem in ſua poteſtate bonum & malum, velle & nolle.* Quin ipse S. Augustinus, Pelagianorum ac Maſsiliensium domitor, eodem modo quo Patres Græci ſæpius locutus est, non in primis dumtaxat libris, quos ante exortam hæresin illam conscrip-

scripsit; sed etiam in posterioribus, posteaquam cum novis hæreticis, divinæ gratiæ hostibus, sæpius congressus fuerat. Enarrat. in Psal. XCII. scribit: *Para locum in corde tuo, ubi sedeat.* (Deus.) Serm. CLXV. alias VIII. de Verbis Apost. *Quia ut Deus velit dare, debes & tu ad accipiendum accommodare voluntatem. Quomodo vis accipere gratiam divinæ bonitatis, qui sinum non aperis voluntatis?* Lib. I. de Lib. Arbitrio, Cap. XII. ait, *in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto & tam vero bono*, vitam nimirum agendi honestam & sanctam. Ad Simplic. Lib. I. Quæst. I. *Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniam adjacet nobis: sed quod perficere bonum non est in nostra potestate, ad meritum pertinet originalis peccati.* Serm. IV. Num. XVII. ait, Christum *elegisse quosdam, qui pertinebant ad filium minorem* (Jacob) *quia spiritualiter cœperant desiderare & intelligere promissa Domini.* Serm. CLV. ait, *voluntati nostræ conanti adjutorium subministrari.* Enarrat. in Psal. CII. dare Deum, *sed non dare nisi petenti.* Certum est autem, quod cum Augustinus ait præveniri gratiam a conatu nostro, ab intelligentia, ab imploratione auxilii, intelligat gratiam interiorem magis manifestam, magisque operativam. Ex his patet quam importune atque inverecunde Patres Græci a quibusdam, maxime a Jansenianis, Semipelagianismi accusentur ob aliquas propositiones a contextu separatas, quæ facili negotio in bonam partem accipi possunt ac debent, nisi Latinæ etiam Ecclesiæ Patribus, atque ipsi etiam Gratiæ Doctori Augustino diem dicere velimus. Vide quæ hac de re fuse atque erudite disserit Vir clarissimus, Scipio Maffejus toto libro XI. Historiæ Theologicæ.

Sanctitatem & bonitatem Dei.

295. Objic. III. Sanctitas & bonitas Dei. Si initium fidei & salutis esset a Deo, fides omnibus hominibus daretur, quia Deus vult serio omnes homines salvos fieri. Atqui fides non omnibus datur. Ergo. IIdo. Si Deus in distributione suarum gratiarum non attenderet ad merita hominis naturalia, esset acceptor per-

personarum. Hoc implicat, ſcribente Apostolo ad Coloss. Cap. III. *Non eſt personarum acceptio apud Deum.* Ergo. R. N. M. Ex ſeria voluntate Dei ut omnes homines ſalvi fiant, inferri nequit, ipsum fidei donum omnibus conferri debere; ſed tantum omnibus concedi auxilia proxime vel remote, vere tamen ſufficientia, quibus si homines cooperarentur, certiſsime ad agnitionem veræ fidei pervenirent. Hæc auxilia liberaliter a Deo omnibus ſubministrantur: quod vero multi in tenebris ambulent, id ipsorum malitiæ & abusui gratiarum est adscribendum. Ad II^dum. N. M. Acceptor personarum injustus dicitur ille, qui indigno vel minus digno dat quod digniori debetur. Gratia autem ſupernaturalis nemini prorsus debetnr, cum donum ſit omnino gratuitum, atque omnes homines ante prævisionem absolutam meriti, quæ ſupponit collationem gratiæ, ſint positive indigni quolibet dono ſupernaturali propter peccatum Adami. Ergo Deus non est injustus acceptor personarum, ſed irreprehensibilis gratiarum ſuarum distributor.

Paritatem 296. Objic. IV. Paritas. Dispositiones materiæ, quæ præcedunt infusionem animæ rationalis, ſunt veræ & positivæ dispositiones, licet ſint tantum materiales, & anima ſit ſpiritualis. Ergo etiam actus naturalis potest eſse vera & positiva dispositio ad gratiam ſupernaturalem. R. C. A. N. C. Quamvis anima ſit ſpiritualis, & dispositiones ſint materiales, datur tamen naturalis coordinatio & proportio aliqua inter animam & dispositiones; quia Deus ut author naturæ numquam producit animam rationalem, nisi ad exigentiam materiæ rite dispositæ. At vero talis coordinatio & proportio non datur inter actum mere naturalem, & gratiam ſupernaturalem, quæ ex ſuo conceptu ſuperat vires & exigentiam totius naturæ.

Libertatem arbitrii. 297. Objic. V. Libertas arbitrii. Liberum hominis arbitrium ſtare non potest cum neceſsitate divinæ gratiæ ad omnes actus ſalutares. Ergo cum certum ſit hominem eſse liberum, commentitia est hæc gratiæ neceſsitas. P. A. Si gratia eſset absolute neceſsaria ad actus

ctus ſalutares, hi actus non eſsent in potestate hominis. Atqui ſunt in potestate & arbitrio hominis. Ergo. P. M. Ex una parte ſine gratia non potest elici juxta nos ullus actus ſalutaris: ex altera parte gratia prorsus gratuito confertur, nec est in potestate hominis. Ergo non forent in libero arbitrio hominis. *Confirm.* Si gratia est neceſsaria ad omnem actum ſalutarem, tunc actus ſalutaris ſuperat nostras vires. Ergo Deus illum præcipiendo præciperet quod est impoſsibile. P. C. Deus ex mera liberalitate confert gratiam. Ergo potest illam non conferre: atqui posito quod eam non conferat, præceptum de actu ſalutari erit de re impoſsibili. Ergo. R. N. A. Ad *prob.* D. M. Non eſsent in potestate hominis viribus ſuis relicti, C. M. Adjuti per gratiam, N. M. Et ſic dist. minore, N. C. Homo præscindendo a gratia ſupernaturali, non habet libertatem, ſeu potentiam proxime expeditam ad eliciendos actus ſalutares; eoquod illa constituatur & compleatur per gratiam, tamquam neceſsarium prærequisitum ad ſalutariſer agendum. Ad hujus *prob.* D. ultimum membrum Antecedentis. Gratia non est in potestate hominis quoad existentiam, C. A. Quoad usum, vel abusum, N. A. & Conseq. Equidem in potestate hominis non est habere gratiam, quia illa donum gratuitum ac liberale est divinæ manus; posito autem, quod Deus eam homini concedat, in potestate hominis est ea gratia uti eidem cooperando, vel abuti eam negligendo ac repudiando: cum enim per gratiam potestas datur ſalutariter agendi, neceſsitas utique nulla imponitur. Ad *confirm.* D. A. Superat nostras vires pure naturales, C. A. Nostras vires adjutas per gratiam, N. A. & Conseq. Ad *prob.* C. A. D. C. Potest gratiam non conferre, absolute loquendo, & nulla facta hypothesi, C. C. Posito, quod Deus homini præcipiat actum ſalutarem, aut illum ſuadeat, N. C. In posteriori, hoc casu, cum Deus ſalvis divinis ſuis perfectionibus, impoſsibilia homini præcipere aut ſuadere nequeat, debet neceſsario illi ſubministrare media idonea ad implendum præceptum, vel exequendum consilium ſerio datum.

datum. Sed hoc non obstat quo minus gratia gratuito prorsus conferatur; quia præcise confertur ob liberrimum decretum Dei volentis homini præcipere actum salutarem, non autem ad exigentiam alterius rei naturalis, aut intuitu meritorum naturalium. Hinc gratia sic collata, est gratia ex gratia, seu gratia præsupponens aliam gratiam, nempe liberrimum ac gratuitum decretum Dei.

Exemplum Hæreticorum.

298. Objicitur VI. Exemplum Hæreticorum. Hæretici multos fidei articulos credunt, v. g. Unitatem Dei, Mysterium SSmæ Trinitatis, Incarnationis &c. & quidem sine gratia supernaturali; quia hæc eorum fides cum multis aliis erroribus conjungitur. Atqui hic actus fidei, quem hæretici eliciunt, est supernaturalis. Ergo possunt actus supernaturales elici absque gratia. P. m. Mysteria Trinitatis & Incarnationis sunt supernaturalia. Ergo non possunt ab hæreticis credi, nisi supernaturaliter. *Confirm.* Mysteria fidei nostræ sunt evidenter credibilia ob evidentem credibilitatem motivorum. Ergo nihil obstat quo minus absque gratia interiori credantur. R. D. M. Hæretici multos fidei articulos credunt fide dumtaxat humana & naturali, C. M. Fide divina & supernaturali. N. M. Ad fidem divinam & supernaturalem tria requiruntur. Imo. Ut Mysteria illa credantur tamquam a Deo revelata, & quæ nullo modo falsa esse possint. IIdo. Ut firmiter credantur, ita ut homo vitam potius amittere malit, quam ea non credere, aut de iis dubitare. IIItio. Ut pio affectu credantur, ex pia erga Deum inclinatione, quia incipit homo in iis rebus credendis se subjicere, quæ rationem humanam superant, sicque intellectum captivat in obsequium fidei. Jam vero Hæretici Mysteria illa non credunt ut a Deo revelata, sive propter revelationem divinam: cum enim contemnant judicium Ecclesiæ, quam Deus innumeris signis & prodigiis infallibilem esse ostendit, non habent causam infallibilem proponentem ipsis revelationem Dei; sed ad spiritum suum privatum confugiunt, cujus infallibilitatem nulla solida ratione probare possunt:

sunt: adeoque non credunt, quia Deus id revelavit, sed ideo solum, quia ita ipsis placet credere. Neque credunt Mysteria illa firmiter, atque ex pio affectu: si enim ita crederent ob authoritatem Dei loquentis, cum illa eamdem in omnibus articulis revelatis fidem mereatur, indiscriminatim crederent omnia a Deo revelata, atque ipsis sufficienter proposita; quod tamen non faciunt, cum aliqua arbitrario amplectantur, alia temere rejiciant. Hæc quæ modo diximus, intelligenda sunt de hæreticis formalibus: materiales enim hæreticos, qui inculpabiliter putant se veram habere fidem, parati a secta sua discedere, ubi de illius falsitate convincantur, nihil vetat, adspirante & adjuvante Deo habere piam credulitatem, ac fide supernaturali credere Mysteria revelata sufficienter sibi proposita, simul credendo fide solum humana, & propter solam præconum suorum authoritatem, sectæ suæ errores. Ad *prob.* D. A. Sunt objecta supernaturalia, ab hæreticis medio & motivo mere naturali apprehensa, C. A. Motivo supernaturali, N. A. & Conseq. Quamvis sempiterna Dei virtus & Divinitas objectum sit maxime supernaturale, Philosophi tamen Gentiles eam naturaliter tantum cognovere, quia nitebantur motivo tantum naturali, nempe creaturarum testimonio. Ad *confirm.* C. A. D. C. Ergo nihil obstat, quo minus absque gratia interiori credantur fide humana, C. C. Fide divina ac salutari, N. Conseq. Motiva credibilitatis non ea vi pollent, ut absque gratia interiori fidem omnino indubitatam reddant; quia cognitis etiam ac rite penetratis motivis illis, Fidei Mysteria semper obscura ac inevidentia in se remanent: adeoque mens humana supernæ gratiæ auxilio indiget, ut intellectus captivetur in obsequium fidei.

299. Objicitur VII. Argumentum ab absurdo. Si gratia actualis est necessaria ad quemlibet actum salutarem, foret etiam necessaria ad peccatum. Atqui hoc dici nequit. Ergo. P. M. Potest contingere, ut gravis v. g. contra fidem tentatio superari nequeat, nisi eliciatur actus fidei supernaturalis, ad quem juxta sen-

Et Argumentum ab absurdo.

ſententiam Catholicam neceſsario prærequiritur auxilium gratiæ interioris. Jam vero in hoc casu non datur potentia proxima peccandi, ita ut peccatum merito imputari poſsit homini, nisi etiam detur potentia proxima vitandi illud peccatum, nimirum potentia eliciendi actum fidei ſupernaturalis per vires gratiæ. Ergo posito quod homo actum fidei non eliciat, & tentationi consentiat, gratia ſupernaturalis est neceſsaria ad peccatum infidelitatis. R. N. M. universaliter ſumptam. Gratia neceſsaria est ad non peccandum; ſed ad peccandum homo ſolus ſibi ſufficit: neque enim gratia influit in peccatum, immo hominem a peccato magis avertit. Ad *prob.* C. A. D. C. Ergo gratia in posito casu est neceſsaria ad peccatum infidelitatis, prout illud est actio libera & imputabilis, C. C. Prout illud est actio peccaminosa, N. C. Quando actus peccaminosus vitari non potest nisi per actum ſalutarem, gratia prærequiritur ad peccatum, non prout illud est actio peccaminosa; malitia enim peccati absque gratia datur, neque in illam gratia ullo modo influit; ſed prouti peccatum est actio libera & imputabilis homini ad pœnam. Nam si homo ad peccatum infidelitatis neceſsitaretur, infidelitas quidem foret in ſe ſemper mala, ſed ob defectum libertatis imputari homini non poſset.

300. Dices. Saltem peccatum hoc infidelitatis eſset neceſsario connexum cum dono ſupernaturali gratiæ. Ergo, quia ita connectitur, ipsum etiam peccatum eſset ſupernaturale. R. D. A. Peccatum hoc eſset connexum cum gratia ſupernaturali tamquam abusus & imperfectio, C. A. Tamquam perfectio, N. A. & Conseq. Cum hæc connexio oriatur ex mera imperfectione & malitia, qua liberum arbitrium resistit gratiæ, nullam ſupernaturalitatem refundit in peccatum.

APPEN-

APPENDIX.

VARIA QUAESITA DE NECESSITATE GEATIAE.

Ad actus salutares necesaria est gratia intrinsece supernaturalis.

301. Quæres 1mo. An gratia ad actus salutares necesaria, debeat esse intrinsece supernaturalis quoad entitatem & substantiam suam; an vero extrinsece tantum, id est, quoad modum, in quantum nempe gratia de se naturalis confertur ex meritis Christi, & ad finem supernaturalem ordinatur? Resp. cum communissima Theologorum, gratiam ad quemlibet actum salutarem necesariam, esse intrinsece supernaturalem. Probat. Natura suis viribus relicta physicam habet impotentiam eliciendi quemcumque actum salutarem: Concilia enim & Patres, ut ostensum fuit Num. 283. & seq. damnant eos, qui dicunt gratiam dari tantum ad facilius, non vero ad simpliciter posse. Ergo ad quemlibet actum salutarem necesaria est gratia intrinsece atque entitative supernaturalis, seu talis quæ etiam quod substantiam superat vires & exigentiam totius naturæ creatæ. P. C. Gratia intrinsece naturalis non excedit vires naturæ: si enim excederet, non esset naturalis. Ergo natura suis viribus relicta posset obtinere hanc gratiam. Ergo suis viribus relicta non esset simpliciter impotens elicere actum salutarem.

Actualis.

302. Quæres II. An gratia ad quemlibet actum salutarem necesaria, debeat esse actualis, vel an sufficiat habitualis? R. debet esse actualis. Prob. assertio 1mo. Authoritate Scripturarum. Christus Joannis Cap. XV. ait: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.* Ergo sicuti palmites indigent jugi influxu vitis, ut fructum ferant: ita etiam justi indigent continuo & actuali influxu excitantis gratiæ per Christum. II. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Capitulo VII. ait eos hæretico spiritu falli, qui asserunt *hominem per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem*

tem pertinet vitæ æternæ, cogitare atque eligere posse, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti. Quibus verbis necessitatem gratiæ actualis describit, quæ nihil aliud est, quam illuminatio & inspiratio Spiritus Sancti. Tridentinum Sess. VI. Cap. XVI. ait: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt &c.* Ubi manifestum est per ea verba, *Christus in ipsos justificatos jugiter virtutem influit*, denotari gratiam actualem. Diospolitana Synodus hanc Pelagii propositionem damnavit, *Gratiam Dei, atque adjutorium non ad singulos actus donari.* Atqui ad singulos actus non donatur gratia habitualis, sed actualis. Africani Patres in responsoriis litteris ad Epistolam Zosimi scribunt: *Præparatur voluntas a Domino: & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*, nimirum divinis inspirationibus, quæ sunt gratia actualis. III. Authoritate S. Augustini, quæ præcipue in hac materia maximi est facienda. Lib. de Natura & Gratia, Cap. XXVI. scribit S. Doctor: *Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Ergo juxta Augustinum lux illuminans & accendens, seu gratia actualis necessaria est ad singulos actus salutares.

303. Quod si dicas, Carthaginense Concilium Can. IV. definivisse, gratiam justificantem non tantum valere ad remissionem peccatorum, quæ jam commissa sunt, verum etiam in adjutorium, ne in posterum committantur; ideoque eam justis sufficere absque gratia actuali: Item gratiam habitualem cum suis habitibus infusis id totum posse, quod gratia actualis, hominemque reddere habilem ad actus meritorios. Resp. ideo gratiam sanctificantem a Patribus Carthaginensibos adjuto-

jutorium vocari ne peccata committantur; quia ex ſapientia, bonitate & promiſsione divina habet ſibi adnexa gratiæ actualis auxilia, ad ipsam gratiam ſanctificantem conservandam, & eliciendos actus ſupernaturales. Nimirum Carthaginense, Canone citato damnat Pelagium aſserentem, hominem non indigere gratia actuali interna ad ſervanda ſalutariter mandata: & gratiam baptismalem remittere tantum peccata, nec dare jus ad auxilia gratiæ. Ad id quod postremo additum est, ajo, nec excitari nos ad agendum, nec coerceri concupiscentiæ motus, nec voluntatem contra eos roborari a gratia ſanctificante, ſed ab actuali; alias justi ſemper haberent pias cogitationes & volitiones. Homo itaque incomplete tantum per gratiam ſanctificantem redditur idoneus ad actus meritorios, complete vero per gratias actuales ipsi adnexas.

Non tantum illuſtrationis, ſed etiam inſpirationis.

304. Quæres III. An ad quemvis actum ſalutarem neceſsaria ſit gratia, non tantum illustrationis, ſed etiam inspirationis, ſeu quæ immediate afficiat voluntatem? Resp. affirmative. Prob. aſsertio 1mo Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Capitulo VII. eos hæretico ſpiritu falli pronuntiat, qui aſserunt poſse hominem cogitare aut eligere quæ pertinent ad ſalutem vitæ æternæ, *absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in consentiendo veritati.* Ergo utraque gratia illuminationis & inspirationis est neceſsaria ad quemlibet actum ſalutarem. Tridentinum Seſs. VI. Can. III. definit: *Si quis dixerit, ſine prævenient Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſse, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Neque ſufficienter ab adversariis probari potest, *illuſtrationem* & *inspirationem* in Dictionario Conciliorum voces eſse ſynonimas, eamdemque rem indicare. Prob. II. Authoritate S. Augustini, qui effectus gratiæ prævenientis & excitantis ad duo capita revocat. Sic Lib. II. de peccatorum meritis & remiſs. Cap. XIX. ſcribit. *Cum ab illo illius adjutorium depre-*

deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat, quod non delectabat. Lib. de Gratia Christi, Cap. XXXIV. reprehendit Pelagium, quod nuspiam admittat gratiam voluntatis. *Nec alicubi potui reperire hanc eum gratiam confiteri, qua non ſolum poſsibilitas, - - - ſed ipsa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione Spiritus adjuvatur.* Lib. de Spiritu & littera Cap. III. *Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: & cum id quod agendum, & quo nitendum eſt cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur.* Ergo juxta S. Augustinum actualis gratia præveniens ſita est in utrisque actibus indeliberatis animæ, nimirum intellectus & voluntatis.

Non tamen gratia ſanctificans ad actum bonum, & ſupernaturalem.

305. Quæres IV. Utrum non ſolum gratia actualis, ſed etiam ſanctificans neceſsaria ſit ad eliciendum actum bonum & ſupernaturalem? R. negative. Prob. aſsertio hæc dogmatica Imo Authoritate Scripturarum, quæ peccatorem hortantur & excitant ad pœnitentiam & conversionem. Ezechielis Cap. XVIII. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris.* Danielis Cap. IV. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Ergo cum pœnitentia, & eleemosyna ad delenda peccata erogata, ſit opus ſupernaturaliter bonum, & peccatores gratia ſanctificante careant, gratia ſanctificans non est neceſsaria ad actum ſupernaturaliter bonum. Lucæ Cap. XVIII. laudatur Publicanus, qui *percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Atqui Publicanus id agendo non peccavit, ſed actum ſupernaturaliter bonum exercuit; ſiquidem *descendit hic juſtificatus in domum ſuam.* IIdo. Authoritate Conciliorum. Constantiense damnavit hanc Hussi propositionem ordine XVI: *Divisio immediata humanorum operum eſt, quod ſunt vel virtuosa vel vitiosa; quia ſi homo eſt vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiose; & ſi eſt virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuose: quia ſicut vitium, quod*

crimen

crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi. Tridentinum Sess. VI. Can. VII. adversus Protestantes sic statuit: *Siquis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vihementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathemo sit.* III. Authoritate Pontificum S. Pii V. & Gregorii XIII, qui hanc Michaëlis Baji propositionem, ordine XXXV. damnarunt: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et Clementis XI., qui in Bulla *Unigenitus* similes Quesnelli propositiones proscripsit. XLV. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* LIX. *Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

306. Denique absurdi hujus dogmatis falsitatem ostendunt sequelæ. Nam I^mo si omnia opera peccatoris essent peccata, Deus crudeliter ageret peccatorem damnando, quod ad ipsius bonitatem confugerit. II^do. Si ad actum bonum supernaturalem requireretur gratia sanctificans, peccator per veram animi conversionem numquam redire posset in gratiam cum Deo, neque præparare aut disponere se posset ad justificationem, quamtumvis adjuvetur viribus gratiæ supernaturalis actualis. Ratio est, quia homo per actionem malam Deum sibi conciliare non potest, aut præparare se ad gratiam: immo quanto magis niteretur per actus aliquos ad sanctificantem gratiam pervenire, eo magis ab ea recederet, quia per actus illos de novo peccaret. III^tio. Quando Deus peccatorem vocat ad pœnitentiam, quæ certe est actus supernaturaliter bonus, atque hunc in finem gratias actuales eidem liberaliter subministrat, obligaret peccatorem ad aliquid impossibile, nimirum ad pœnitentiam salutarem; quam tamen, juxta Novatores, agere non posset absque gratia sanctificante. Cæterum notandum est, quod quamvis

vis peccator gratia ſupernaturali actuali adjutus elicere poſsit actum ſupernaturalem & ſalutarem, quia per illum disponitur ad justificationem & ſalutem; nequaquam tamen, absque gratia ſanctificante, poſsit elicere actum meritorium vitæ æternæ, aut justificationem de condigno mereri.

307. Solent Novatores varios Scripturarum & Patrum textus objicere. I. Proverbiorum Cap. XV. dicitur: *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia.* II. Matth. Cap. VII. *Non poteſt --- arbor mala bonos fructus facere.* III. Joan. Cap. IX. *Peccatores Deus non audit.* IV. S. Augustinus Lib. de Gratia Christi, Cap. XXVI. ſcribit: *Ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.* Sed facile ad hæc respondetur. Ad Imum. dico: victimas impiorum eſse abominabiles Deo, quando ex pravo fine ac perversa intentione vitiantur; quales erant victimæ Judæorum, qui existimabant ſibi omnia in tuto eſse, & impunita fore ſcelera, modo externos ritus, & cæremonias legales observarent. Ad II. R. Per malam arborem intelligitur mala; per bonam, bona voluntas. Jam vero voluntas peccatoris ut mala, ſive ut est agens ex malitia, non potest bonos fructus facere; ſicut nec justus, qua justus, malos. At vero peccator ſecundum naturam ſpectatus, & actuali Dei auxilio adjutus, nec mala est arbor, nec malam habet voluntatem; ſiquidem ad pœnitentiam & justificationem viribus gratiæ adjutus ſe disponat. Ad III. R. Deus peccatores non exaudit, ita ut miracula patret ad declarandam illorum ſanctitatem, aut quando perversa intentione, ac propter aliquem perversum finem orant. Accedit, quod, ut observat S. Augustinus Lib. II. contra Epist. Parmeniani, ea verba non a Christo Domino prolata fuerint, ſed a cæco nato, qui nondum interiori lumine fidei collustratus erat. Ad IV. R. Per dilectionem non intelligi ab Augustino charitatem, aut gratiam ſanctificantem, ſed bonam voluntatem, & pium affectum. Patet id ex Libro de Gratia & Lib. arbitrio, Cap. XVIII, ubi ſic ſcribit: *Quod quidem*

dem

dem sine suo fructu admoneretur, (liberum arbitrium) *nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret.* Et alibi sæpius docet, fidem quæ in peccatoribus est informis, non esse sine dilectione, hoc est, sine pia affectione; quia nemo credit nisi volens.

Sine gratia actuali supernaturali homo potest aliquas veritates naturales cognoscere, non tamen omnes.

308. Quæres V. An homo sine gratia supernaturali actuali possit cognoscere veritates naturales? R. Homo sine gratia supernaturali actuali potest cognoscere aliquas veritates naturales potentia physica & morali: omnes tamen collective sumptas non potest cognoscere potentia morali. Prob. assertio Imo Authoritate Scripturarum, quæ existentiam Dei per creaturas cognosci posse asserunt, nulla facta mentione gratiæ interioris. Sapientiæ Cap. XIII. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ad Rom. Cap. I. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* IIdo. Ratione. Intellectus habet efficaciam naturalem respectu alicujus operationis sibi propriæ. Atqui cognitio veritatis naturalis, est operatio propria intellectus. Ergo intellectus habet naturalem efficaciam respectu illius cognitionis. III. probatur negative. Neque enim ostendi potest necessitas gratiæ interioris ad cognoscendas veritates aliquas naturales: & ridiculum videtur dicere, per peccatum originale vires naturales hominis ita detritas fuisse, ut ad veritates naturales cognoscendas quotidie ac singulis fere momentis indigeat gratia interiori. Cæterum quod homo sine gratia supernaturali cognoscere nequeat potentia morali omnes veritates naturales collective sumptas, præcipue practicas, patet ex infinita pene rerum moralium ac naturalium multitudine, ex brevitate vitæ, ex angusta humanæ mentis capacitate, ex infirmitate corporis, ex infinitis prope civilis vitæ officiis, impedimentis, curis, fastidiis, ex pravis cupiditatum affectibus, atque ex ipsa rerum naturalium conditione, quarum scilicet natura tota fere in abstruso est posita.

Item omnes veritates supernaturales apprehendere, non tamen illas fide divina credere.

309. Quæres VI. An homo posit veritates supernaturales apprehendere sine gratia interiori supernaturali? R. Homo, posita revelatione externa veritatum supernaturalium, potest illas apprehendere sine gratia interiori; at vero sine gratia interiori non potest veritates illas credere fide divina, ac prout oportet ad salutem. 1ma pars assertionis prob. Illud sufficit ad simplicem apprehensionem veritatum supernaturalium, quod sufficit ad fidem humanam. Atqui ad fidem humanam veritatum supernaturalium sufficit externa revelatio, seu prædicatio Evangelii; nec requiritur gratia interior, ut patet exemplo hæreticorum, qui humana fide assentiuntur Mysteriis supernaturalibus, sine interioris gratiæ auxilio. Ergo. Altera pars assertionis per se patet; quia qui fide divina credit veritatem aliquam supernaturalem, elicit actum supernaturalem ac salutarem, ad quem necessario requiritur gratia actualis interior, ut Ecclesia definivit contra Pelagianos ac Massilienses.

Homo per se potest absque gratia supernaturali Deum super omnia amare amore naturali, ad æternam salutem inutili.

310. Quæres VII. An in statu naturæ lapsæ possit homo potentia etiam morali, absque gratia supernaturali, Deum super omnia amre? R. Homo etiam in statu naturæ lapsæ potest potentia morali, absque gratia supernaturali, per se loquendo & præscindendo a circumstantiis difficultatem hujus actus valde augentibus, Deum super omnia amare amore concupiscentiæ & benevolentiæ mere naturali, ad æternam salutem non conducente, atque in eo saltem per breve tempus perseverare. Dixi 1mo. *In statu etiam naturæ lapsæ.* Quod enim id homo potuisset in statu naturæ puræ, nemo Catholicorum dubitat. II. *Amore naturali, ad æternam salutem non conducente.* Homo enim solis suis viribus relictus, nec moralem nec physicam habet potentiam ad amandum Deum amore supernaturali, salutari, ac meritorio vitæ æternæ, quemadmodum Ecclesia definivit contra Pelagianos ac Semipelagianos. III. *Per se loquendo, & præscindendo &c.* Si enim gravis tentatio aut difficultas urgeat, facile damus, hominem non posse potentia morali, sed tantum physica, Deum amare

mare ſuper omnia amore etiam naturali tantum. IV. *Atque in eo ſaltem per breve tempus perseverare.* Quia ſi homo *diu* poſſet absque gratia ſupernaturali Deum ſuper omnia amare, amore etiam naturali tantum, & non ſalutari, hoc ipso haberet potentiam moralem ad ſervandam diu legem naturalem ſine gratia ſupernaturali, quod aſſeri non potest juxta inferius dicenda.

311. Prob. aſsertio ſic limitata 1mo argumento negativo, quia adversarii nulla efficaci ratione probare poſsunt neceſsitatem gratiæ ſupernaturalis ad amorem Dei mere naturalem, & non ſalutarem. IIdo positive. Homo potest naturaliter cognoscere Deum eſse ſummum Bonum atque ideo ſuper omnia amandum: ex altera parte contingere facile potest, ut tunc non occurrant graves tentationes aut difficultates, quas ſuperare debeat in amando Deo. Ergo potest Deum ita cognitum naturaliter amare ſuper omnia; nam ex cognitione boni oriri potest amor illi cognitioni proportionatus, niſi aliunde v. g. ob difficultatem moraliter insuperabilem talis amor reddatur impoſsibilis. *Confirm.* In ſtatu naturæ puræ homo potuiſset per vires mere naturales Deum amare ſuper omnia, amore non ſalutari, & mere naturali: & quidem potentia non physica tantum, ſed etiam morali; quia præceptum amandi Deum ſuper omnia fuiſset etiam in ſtatu naturæ puræ primum & maximum mandatum totius legis naturalis. Ergo cum natura lapsa non ſit debilior natura pura, dicendum est, quod homo habeat potentiam moralem amandi Deum ſuper omnia, in ſenſu ſuperius explicato.

312. Adversarii reponunt I. Deus libere decrevit homini de facto numquam dare auxilia mere naturalia ad eliciendum amorem ſui ſuper omnia, illisque ſemper ſubstituere auxilia ſupernaturalia. II. Patres & Concilia expreſse aſserunt, Deum ſuper omnia amari non poſse ſine auxilio gratiæ interioris. III. Omnis amor Dei ſuper omnia est opus pietatis, & hominem proxime disponit ad justificationem. IV. Omnis amor Dei hominem proxime disponit ad remiſsionem peccatorum, quia excludit omne peccatum mortale. V. Ho-

mo in ſtatu naturæ lapsæ non potest firmum propositum ſine gratia ſupernaturali concipere ſervandi totam legem naturalem Dei: quippe quæ ſine gratia ſupernaturali ſervari non potest. Ergo cum hoc propositum in amore Dei ſuper omnia includatur, homo in ſtatu naturæ lapsæ non potest absque gratia ſupernaturali Deum ut Authorem naturæ amare ſuper omnia. VI. Homo vi illius propositi debet velle potius jacturam facere vitæ, honoris, ac bonorum fortunæ, quam Deum offendere. Atqui actum tam heroicum ſine gratia ſupernaturali elicere nequit, cum ne unicæ quidem gravi tentationi resistere queat ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis. Ergo. R. Ad Imum. N. A, quod ab adversariis gratis aſseritur, & nulla ſolida ratione probatur. Ad II. R. Patres & Concilia loqui de amore ſupernaturali, ſalutari, ac meritorio vitæ æternæ; addunt enim hæc verba: *Sicut oportet, ut expedit ad ſalutem.* Ad III. Omnis amor Dei ſuper omnia est opus pietatis vel naturalis vel ſupernaturalis; neque hominem proxime disponit ad justificationem, nisi ſit amor ſupernaturalis. Ad IV. N. A. Cum enim amor Dei naturalis hominem nullo modo disponat ad infusionem gratiæ ſanctificantis, ſine qua remiſsio peccatorum in hac providentia non datur, neque poterit illum disponere ad remiſsionem peccatorum. Rationem additam distinguo. Excludit omne peccatum mortale actuale, C. habituale, N. Amor naturalis non delet peccata habitualia; manet enim homo, quamtumvis amorem Dei naturalem ſuper omnia eliciat, habitualiter adhuc aversus a Deo, & habitualiter peccator. Ad V. N. A. Nam Imo potest homo per errorem putare ſe per vires naturæ poſse ſervare totam legem Dei; quo casu certe poterit firmum propositum concipere ſervandi totam legem naturalem Dei. IIdo. Quamvis tota lex naturalis Dei impleri non poſsit absque auxilio gratiæ ſupernaturalis; potest tamen homo absque gratia ſupernaturali firmum propositum concipere illam ſervandi, modo ſciat gratiam ſibi non defuturam in iis adimplendis, quæ vires naturæ excedunt: ſicut ſiquis haberet

beret donum patrandi miracula, poſset per actum naturalem dicere, velle ſe patrare miraculum, licet illud patrare non poſsit per vires naturæ. Ad VI. D. M. Homo debet potius velle &c. virtualiter & implicite, C. M. Formaliter & explicite, N. M. Ad amorem Dei ſuper omnia, ſive naturalem ſive ſupernaturalem, non requiritur ut omnes difficultates ſingillatim homo ſibi repræsentet, quæ in observanda lege Dei poſsunt occurrere; ſed ſufficit, quod ſtante illo actu homo graviter peccare non poſsit. Adde, quod juxta nos homo ſine gratia ſupernaturali moralem habeat potentiam amandi Deum ſuper omnia non ſalutariter, ac præscindendo a gravi tentatione ac difficultate.

Atque observare totam legem pure naturalem

313. Quæres VIII. An homo in ſtatu naturæ lapsæ ſine gratia ſupernaturali poſsit potentia physica observare totam legem pure naturalem, & vincere omnes tentationes graves victoria non ſalutari? R. affirmative. Dicitur I. *Potentia physica.* Potentia pure physica dicitur illa, quacum ſimpliciter quidem potest poni actus, ſed tanta cum difficultate, ut moraliter loquendo numquam ſit ponendus. Potentia moralis eſt, quacum actus non ſolum ſimpliciter & absolute poni potest, ſed etiam cum tanta facilitate, ut probabiliter ſperari poſsit eſse ponendus. II. *Totam legem pure naturalem*, in quantum nimirum obligat ad actus naturales tantum. Nam lex naturalis obligare potest ad actus etiam ſupernaturales, cum hoc principium, *Creatura debet in omnibus obedire ſuo Creatori*, pertineat ad legem naturæ, immo primum principium ſit legis naturalis lumine naturæ notum. Atque in hoc ſensu certum est, ſine gratia ſupernaturali totam legem naturalem observari non poſse, prout hæc de facto etiam obligat ad actus quosdam ſupernaturales, v. g. fidei, ſpei, ac charitatis Theologicæ, quia ſine gratia Christi nullus actus ſupernaturalis elici potest. III. *Victoria non ſalutari.* Quod enim homo ſine gratia Christi agere non poſsit ut expedit, ut oportet, ut beatitudinem æternam mereatur, ſatis ex dictis constat. His præmiſsis.

314.

314. Prob. aſsertio I. Natura lapsa absolute obligatur ad observandam legem naturalem. Ergo habet potentiam ſaltem physicam hanc legem observandi; alioqui obligaretur ad aliquid impoſsibile. *Confirm.* Homo per peccatum originale non amisit libertatem indifferentiæ. Atqui libertas indifferentiæ requirit ſaltem potentiam physicam ad utrumque. Ergo homo per peccatum originale non amisit potentiam physicam quam prius habuit. Profecto si homo absque gratia ſupernaturali neceſsario, neceſsitate tam physica quam morali peccaret, liberum arbitrium non modo attenuatum, ſed omnino extinctum eſset. Prob. II. Authoritate Pontificum. Pius V. & Gregorius XIII. has Baji propositionis damnarunt. XXII. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. II. Gentes, quæ legem nou habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* XXVII. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.* XXVIII. *Pelagianus eſt error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* XXIX. *Non ſoli fures ii ſunt latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicunque aliunde, quam per ipsum in viam juſtitiæ* (hoc est, aliquam justitiam) *conscendi poſse docent, aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipsius adjutorio reſiſtere hominem poſse, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.* LXV. *Non nisi Pelagiano errore admitti poteſt usus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus, & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.* Clemens XI. Quesnelli propositionem ordine XXXVIII. proscripsit: *Peccator non eſt liber nisi ad malum, ſine gratia liberatoris.* Ex quibus manifeste deducitur, hominem absque gratia ſupernaturali aliqua ſaltem præcepta naturalia ſervare, & aliquas tentationes vincere poſse, victoria non ſalutari. Respondent aliqui Theologi, propositiones illas Baji fuiſse damnatas non ob falsam doctrinam, ſed ob censuræ acerbitatem. At propositio Baji XXVII. & XXXVIII. Quesnelli nullam prorsus censu-

ram

ram continent. Ergo propter falsitatem fuerunt damnatæ.

315. Objiciunt adversarii Imo, hunc ipsum fuisse Pelagianorum errorem, qui asserebant posse hominem in hac providentia observare totam legem, & vincere omnes tentationes absque gratia interiori. IIdo. Si homo absque gratia Christi haberet potentiam physicam observandi totam legem naturalem, non daretur nobis per gratiam simpliciter posse, sed tantum facilius posse, quam Pelagianam blasphemiam Ecclesia Christi semper execrata est. R. ad I. Pelagianos gravissime errasse tum in eo, quod asserererent posse sine gratia Christi observari totam legem naturalem, & vinci omnes tentationes, prout expedit ad salutem: tum etiam quia non physicam modo, sed moralem etiam potentiam in homine adstruebant, qualem Adamus habuit ante peccatum, a qua insania toto cœlo abest assertio nostra. Ad II. R. Quamvis homo absque gratia habeat potentiam physicam servandi totam legem naturæ; gratia tamen Christi dat ipsi simpliciter posse, in quantum tribuit potentiam moraliter sufficientem. Nam id, quod est stricte moraliter impossibile, sive quod est ita difficile, ut numquam contingat illam difficultatem superari, juxta modum loquendi Conciliorum & Patrum, simpliciter & sine addito dicitur impossibile. Sic Tridentinum Sess. VI. Can. XXIII. simpliciter dicit, non posse per totam vitam omnia peccata venialia vitari, nisi ex speciali Dei privilegio; & tamen hæc impotentia est solum moralis, ut sequenti Controversia explicabitur.

316. Quæres IX. An in statu naturæ lapsæ homo habeat potentiam moralem completam diu observandi totam legem naturalem, & vincendi graves tentationes, victoria quamtumvis non salutari, absque gratia interiori? R. Absque gratia speciali & indebita, ordinis saltem naturalis, non potest potentia morali completa diu observari tota lex mere naturalis, aut vinci graves tentationes: immo ex decreto Dei necessaria est nunc gratia supernaturalis. Prob. Ima pars assertionis.

Absque gratia tamen speciali, saltem ordinis naturalis non potest observare diu potentia morali completa totam legem mere naturalem

tionis. Hæc potentia moralis completa nequidem debebatur homini in ſtatu naturæ puræ, ut diximus Tomo IV. Num. 524. Ergo neque debetur homini in ſtatu naturæ lapſæ. Ergo quoties datur hæc potentia, ſemper intervenit gratia ſpecialis & indebita, ordinis ſaltem naturalis. Et ſane magis ſic commendatur excellentia Dei, ac melius explicatur indigentia creaturæ, si nimirum dicatur, quod Deus ad potentiam moralem completam observandi totam legem, etiam pure naturalem, requirat aliquas conditiones homini per prima auxilia moraliter poſsibiles, ut v. g. humili prece a ſuo Conditore ulteriora auxilia efflagitet, atque a peccatis abstineat, a quibus abstinere tunc moraliter potest.

Imo ex decreto Dei ad id requiritur gratia ſupernaturalis.

317. Prob. etiam II^da pars aſsertionis, qua dicitur in hac providentia, non quidem ex natura ſua, ſed ex decreto Dei, non dari potentiam moralem completam diu observandi totam legem naturalem & resistendi gravioribus tentationibus, absque gratia ſupernaturali. I^mo Authoritate Scripturarum. Ad Rom. Cap. VII. postquam Apostolus vehementiam concupiscentiæ & tentationum vim exposuit, vehementer ſuspirans, inquit: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et continuo ſubdit: *Gratia Dei per JESUM Chriſtum.* Quem locum Patres & Interpretes ita explicant, ut per legem membrorum intelligant concupiscentiam, tentationes &c. & per legem mentis, legem etiam mere naturalem: adeoque neceſsariam eſse gratiam Christi ad ſuperandas graves tentationes etiam contra legem mere naturalem. II. ad Cor. Cap. III. *Littera occidit, ſpiritus vivificat.* Hoc est, ut docet Augustinus integro libro de Spiritu & littera, lex non ſolum ſcripta, ſed etiam naturalis, peccatum non arcet, ſed auget potius ſine gratia, faciens ſcire peccatum, non tamen caveri. De continentiæ dono dicitur Sapientiæ Cap. VIII. *Scivi quoniam aliter non poſsem eſse continens, nisi Deus det.* Et de præcepto cohibendi linguam Jac. Cap. III. *Linguam nullus hominum domare poteſt.* Item I. Joan. Cap. II. dicitur: *Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas*

ritas Dei perfecta est. Ergo sine charitate & gratia Christi homo non habet potentiam moralem diu servandi totam legem etiam naturalem tantum, quæ merito dici potest Verbum Dei omnium cordibus inscriptum, & per lumen naturæ promulgatum.

318. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Carthaginense A. 416. in Epistola Synodica ad S. Innocentium I. testatur, damnatos a se idcirco fuisse Pelagianos, quod dicerent, liberum arbitrium absque Dei gratia legem Dei implere posse, *sive naturaliter in corde scriptam, sive in litteris datam.* Diospolitanum A. 415. damnavit hunc Pelagii articulum: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.* Carthaginense A. 418. Can. VI. ait: *Quicunque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata; anathema sit.* Arausicanum II. A. 529. Capit. XIV. *Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.*

319. Prob. III. Authoritate Pontificum. S. Innocentius I. in Epist. ad PP. Conc. Carthaginensis scribit: *Quotidiana* (Christus) *præstat remedia: quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* S. Zosimus in Epistola Tractoria ad totius orbis Episcopos: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non indigeamus auxilio? In omnibus igitur actionibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat.* S. Cœlestinus in Epist. ad Episcopos Galliarum: *Nemo, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

320.

320. Prob. IV. Authoritate Patrum. S. Ambrosius in Psal. XLIII. ait: *Quis eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat?* S. Hieronymus initio Dialogi III. adversus Pelagianos: *Noſtra enim victoria, & corona victoriæ, illius protectione & clypeo paratur.* S. Augustinus Serm. CLVI. alias XIII. de verbis Apostoli: *In hoc agone cum confligimus, Deum habemus ſpectatorem: in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adjutorem: ſi enim nos ipse non adjuvat, non dico vincere, ſed nec pugnare poterimus.* Lib. de Perfectione justitiæ, Cap. ult. *Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſse homini neceſsarium, ſed ſola lege accepta humanam ſufficere voluntatem,) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſse non dubito.*

321. Excipiunt adversarii contra probationes noſtras, ajuntque Imo a Conciliis & Patribus gratiam ſupernaturalem tantum requiri ad ſervandam totam legem naturalem, prout illa nos obligat ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis. II. Patres & Concilia loqui de custodia legis, & victoria tentationum ſalutari ac meritoria. III. Si preſse inhæreatur verbis Patrum, ſequeretur in homine neque potentiam physicam dari ad legem naturalem diu ſervandam, & vincendas tentationes. IV. Denique ſequeretur, hominem ſine gratia ſupernaturali, ne levi quidem, atque unicæ tentationi graviori resistere poſse. Verum R. ad I. id falsum eſse: Patres enim & Concilia non loquuntur de iis tentationibus, quæ raro occurrunt ſed de illis præcipue quibuscum frequenter colluctamur: hæ autem plerumque ſunt contra legem pure naturalem, nimirum tentationes carnis, ſuperbiæ, invidiæ, iracundiæ &c. Et Apostolus implorat gratiam Christi ad vincendam præcipue concupiscentiam rebellem, quæ utique naturali legi adversatur. Ad II. N. A. Patres enim & Concilia quando requirunt gratiam ad observationem totius legis, & victoriam tentationum, nullibi addunt limi-

limitationem illam, *Sicut oportet, ut expedit ad ſalutem.* Ergo ſignum est, quod etiam ſine merito, lex naturalis observari, aut tentationes ſuperari nequeant absque gratia. Præterea Patres Africani cum S. Auguſtino frequenter dicunt, quod liberum arbitrium in proſequendo bono & vitando malo nihil aut parum poſsit ſine gratia. Atqui si absque gratia observare poſset potentia morali totam legem naturalem, & vincere omnes tentationes, quamvis victoria non ſalutari, ſive ad æternam ſalutem non conducente, tunc multum ſane poſset ſine gratia. Adde vehementer ipsis displicuiſse, quod Pelagius doceret, totam legem, etiam præscindendo ab actibus ſupernaturalibus, impleri poſse ſine gratia, vincique tentationes huic legi contrarias, ut ſatis constat ex illorum verbis, & rationibus paulo ante allegatis. Ad III. R. Quamvis Patres & Concilia iisdem terminis utantur quando requirunt gratiam ſupernaturalem ad custodiam legis & victoriam tentationum, quibus utuntur quando gratiam requirunt ad actus ſalutares; iidem tamen termini, pro diverſitate ſubjectæ materiæ, diverso modo explicari poſsunt ac debent. Cum enim actus ſalutares neceſsario eſse debeant ſupernaturales, vires liberi arbitrii, absque gratia Chriſti, ne physicam quidem habent potentiam eliciendi actum ſalutarem, utpote qui altioris est ordinis. At vero in homine lapso inest virtus naturalis proportionata custodiendis mandatis naturalibus, & vincendis tentationibus. Ergo homo in ſtatu naturæ lapsæ physicam habet potentiam custodiendi legem naturalem, non tamen eliciendi actus ſupernaturales. Ad IV. Quemadmodum quando Patres & Concilia ſimpliciter nominant gratiam vel peccatum, regulariter loquuntur de gratia ſupernaturali, & de peccato gravi: ita quando ſimpliciter dicunt, hominem ſuis viribus relictum resistere non poſse tentationi, intelligendi ſunt, non de levi tentatione, ſed de gravi & vehemente. Cæterum conformius authoritati Patrum ſentire videntur, qui judicant, hominem absque gratia ſupernaturali nulli aut vix ulli tentationi gravi potentia

tia morali resistere posse. Certe S. Gregorius M. Lib. IX. Moral. Cap. XXIX. scribit de homine: *Dimissus sibi, cujuslibet tentationis aura raptatur.* Et S. Chrysost. Hom. XXIV. in Epist. I. ad Cor. *Sunt tentationes, quas sufferre non possumus. Et quænam sunt illæ? Omnes ut ita dicam: possibilitas enim in divino nutu est.* Nimirum sensus & appetitus rationem sæpe tam violenter attrahunt, ut illa ad legem Dei vix attendat, & per ardentem concupiscentiam alio abstracta, decernat satius esse hic & nunc cupiditatibus indulgere, nisi Deus auxilio gratiæ suæ periclitanti succurrat.

322. Cæterum necessitatem hanc gratiæ supernaturalis ad potentiam moralem diu servandi totam legem naturalem, & resistendi gravibus tentationibus, oriri diximus *ex decreto Dei*, sufficienter nobis manifestato in Scripturis, & doctrina Conciliorum, ac Patrum. Nam per se loquendo, & ex natura rei, homo etiam in statu naturæ lapsæ posset diu, immo per totam vitam, observare legem pure naturalem, & vincere omnes tentationes, victoria tamen ad æternam salutem non conducente, modo Deus illi conferret specialia auxilia ordinis naturalis, qualia conferre potuisset, atque etiam contulisset in statu naturæ puræ. Ratio est, quia Deus etiam in natura lapsa posset per specialem providentiam ordinis naturalis amovere ab homine periculum peccandi, aut tentationes moraliter insuperabiles: vel, stante etiam gravi tentatione, posset homini concedere claram quamdam cognitionem, fortemque impulsum voluntatis, ut adeo observatio legis mere naturalis absque gratia supernaturali redderetur moraliter possibilis. Ergo ex natura rei ad ista non requiritur gratia supernaturalis.

323. Objici solet contra hanc assertionem I^mo Authoritas Scripturarum. Deuteron. Cap. XXX. dicitur: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.* Et ad Rom. Cap. II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* II^do. Bonitas Dei, cui repugnare videtur, ut homo æternis ignibus addicatur ob culpam moraliter inevitabilem.

III.

III. Defectus libertatis. Ad peccatum mortale non ſufficit potentia & libertas ſolum physica, ſed requiritur moralis. Atqui juxta nos ſæpe non daretur potentia moralis, quando nimirum urgente gravi tentatione deest gratia ſupernaturalis. IV. Natura legum. Leges positivæ non obligant ad moraliter impoſsibile. Ergo neque lex naturalis; quia hæc obligario non cederet in bonum ſubditorum. V. Exemplum Gentilium, qui non raro graviſsimas tentationes ſuperarunt. Quod si motivum vanitatis potuit ipsis ſufficere ad ſuperandas graviſsimas difficultates, non est ratio, cur motivum honestatis naturalis tantumdem apud ipsos non valeat. R. ad I. Mandata Dei non ſuperare nostras vires quantum ad cognitionem, ſed quantum ad executionem, nisi gratia ſupernaturali homo roboretur. Quod vero de Gentibus ab Apostolo dicitur, intelligendum id est non de omnibus, ſed de aliquibus tantum mandatis, quando non urget gravis tentatio & difficultas. Neque ab Apostolo diſsentit S. Chrysostomus Hom. V. in Cap. II. Epist. ad Rom. ſcribens, Gentiles admiratione dignos eſse, quod nec lege ſcripta ipsis opus fuerit, & tamen omnia quæ legis erant, præstiterint; vult enim per ea verba dicere S. Doctor, in tota collectione Gentilium omnes leges naturæ observatas fuiſse; non quidem a ſingulis, & pro omnibus circumstantiis, ſed ab aliquibus aliquas, gravi difficultate in oppositum non urgente. Ad II. R. Cum impotentia moralis vitandi novam culpam mortalem numquam detur, nisi præceſserit alia culpa mortalis, numquam contingit hominem damnari ob ſolam culpam moraliter inevitabilem. Ad III. N. M. Ad libertatem actionis ſufficit potentia physica illam non ponendi, & advertentia ad malitiam; ſecus consuetudinarii excuſandi forent, eoquod potentiam moralem ſæpe non habeant abstinendi ab actione peccaminoſa. Ad IV. Ordinarie loquendo, & præscindendo a contemptu legislatoris, ſcandalo &c. C. A. N. C. Quæ prohibentur lege positiva, non prohibentur neceſsario, neque intrinſece mala ſunt; ſed eorum prohibitio dependet a beneplacito

neplacito legislatoris: unde occurrente rationabili difficultate, legislator in talibus circumstantiis ordinarie non censetur velle obligare. At vero quæ lege naturali prohibentur, sunt intrinsece mala, & necessario a Deo prohibentur: adeoque non possunt fieri licita per hoc, quod in illis vitandis occurrat difficultas moraliter insuperabilis. Neque idcirco lex naturæ cedit in damnum hominum; quia non obligat ad aliquid, quod per se & ex natura sua, sed tantum per accidens, ac ratione circumstantiarum hic & nunc gravem difficultatem involventium est moraliter impossibile. Ad V. R. Hoc a Gentilibus factum fuisse, non amore honestatis, sed amore vanitatis, laudis & ostentationis. Quod si ex honesto & laudabili motivo id fecisent, opus tam difficile & arduum non sine auxilio gratiæ divinæ executioni mandassent. Ad rationem additam Resp. magnam esse inter motiva sensibilia, & quæ sub sensus non cadunt, disparitatem: motiva enim sensibilia & mundana, utpote præsentia, magis nota, & naturæ corruptæ magis blandientia, longe fortius alliciunt quam motivum honestatis.

Ordinarie non conceduntur gratiæ actuales necessariæ ad servandam diu totam legem naturalem, nisi habentibus gratiam fidei & sanctificantem

324. Quæres X. An Deus in hac providentia, spectando legem ordinariam, gratias actuales ad servandam diu totam legem naturalem necessarias conferre soleat non habentibus gratiam fidei, & sanctificantem? R. negative. Prob. assertio I^mo Authoritate Scripturarum. Ad Ephes. Cap. VI. jubemur sumere *scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere.* I. Joan. Cap. V. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Threnorum Cap. I. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Psalm. XVII. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum.* Prob. II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. de Spiritu & Littera, Cap. XXVI. ait: *Sic intelligendum est, Factores legis justificabuntur, ut sciamus eos aliter non esse factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed ut factores justificatio præcedat.* S. Gregorius M. Lib.

XXV.

XXV. Moralium, Cap. IX. *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, mox ipso ſuo pondere ad alia trahit.* Suffragatur Patribus S. Thomas I. II^{dæ}. Quæst. CIX. Artic. IV. *In ſtatu naturæ corruptæ non poteſt homo implere omnia mandata divina ſine gratia ſanante.* Et Artic. VIII. *In ſtatu naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abſtineat.* Prob. III. Ratione congrua. In peccatore concupiscentia & paſsiones ſunt magis effrænatæ, & rationem acrius impugnant. Justum quippe est, ut ratio, quæ Deo ſuperiori ſuo non obtemperat, inferiorem ſuum, ſcilicet appetitum ſensitivum, ſentiat rebellem. Diabolus præterea majorem potestatem exercet in peccatores: & Deus juste denegat inimicis, quæ amicis ſuis liberaliſsime concedit.

325. Neque dicas I^{mo}, tali modo peccatorem impœnitentem carere auxilio ſufficiente, ac proinde neceſsario peccare, eoquod gratia justificante destituatur. II^{do} Eum, qui diu abstinuit a peccato, poſse certo colligere ſe eſse justum. III. Peccatorem tali modo ſtatim post peccatum commiſsum obligari ad pœnitentiam justificativam; quia ſine hac eſset constitutus in periculo proximo peccandi, quod ſub gravi tenetur vitare. Nam ad I. Resp. peccatorem ſemper habere auxilium remote & mediate ſufficiens ad vitandum peccatum, & proxime ſufficiens ad orationem: cui si cooperetur, certiſsime obtinebit gratiam proxime ſufficientem ad vincendas graves tentationes. Cæterum gratiam ſanctificantem neque absolute, neque ad quodlibet peccatum grave vitandum dicimus neceſsariam eſse; ſed moraliter tantum, & ad omnia peccata gravia diu vitanda. Ad II. N. A. Numquam certi eſse poſsumus infallibiliter, nos non peccaſse: neque ſufficienter nobis constat, quodnam determinate ſit tempus illud, intra quod tota lex naturalis observari poſsit ſine gratia ſanctificante. Ad III. N. A. & rationem additam. Non enim ſemper urgent graves tentationes, & auxilia actualia absque gratia ſanctificante aliquamdiu poſsunt peccatorem ab ulteriore lapsu ſustinere.

Unde

Unde peccator, quamdiu se ad justificationem non disponit, non est semper in occasione proxima peccati, sed tantum remota, quam fugere non tenetur. Vide Antonium Ziegler in Disputatione Theologica de Gratia Christi, tota Quæstione IV.

CONTROVERSIA IX.

AN HOMO JUSTUS, CITRA SPECIALE PRIVILEGIUM ET GRATIAM EXTRAORDINARIAM, HABEAT POTENTIAM MORALEM DIUTURNO TEMPORE VITANDI OMNIA PECCATA VENIALIA?

CONTRA PELAGIANOS.

Homo, citra speciale privilegium, non potest potentia morali diu vitare omnia venialia.

326. Conclusio. Homo, etiam justus, non potest potentia morali, citra speciale privilegium & gratiam extraordinariam, per diuturnum tempus vitare omnia prorsus peccata venialia. Conclusio hæc dogmatica est contra Pelagianos, qui non tantum asserebant, hominem posse toto vitæ suæ tempore a peccato quovis immunem esse absque speciali privilegio, verum etiam sine omni interioris gratiæ auxilio. Dixi I^mo *Potentia morali.* Quod enim homo potentiam habeat physicam vitandi omnia peccata venialia, etiam citra speciale privilegium, ex eo satis certum est; quia quilibet tenetur ea vitare, & nemo obligatur ad impossibile. II. *Citra speciale privilegium, & gratiam extraordinariam.* Si enim talis gratia concedatur, nemo sanæ mentis negabit, posse hominem potentia morali diu, atque etiam semper, vitare omnia venialia. III. *Per diuturnum tempus.* Nam ad breve tempus potest justus potentia morali cum ordinariis gratiæ auxiliis vitare omnia peccata. Hinc S. Hieronymus Lib. III. contra Pelagianos scribit: *Nec quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter. Possum jejunare, vigilare, ambulare, legere, psallere, sedere, dormire: Numquid in perpetuum?* Cæterum quantum tempus in hac materia censeatur longum, haud facile determinari potest. Multi censent, justum sine gratia speciali moraliter non posse, unica

etiam

etiam die integra, ita vigilare ut nullum illi peccatum subrepat. IV. *Omnia prorsus peccata venialia*, nimirum etiam subreptitia & semideliberata. Justi enim ordinariis gratiæ divinæ auxiliis adjuti, possunt potentia morali vitare omnia peccata mortalia, atque etiam, juxta multos Theologos, peccata venialia plene deliberata.

327. Prob. Conclusio I^mo Authoritate Scripturarum. Proverb. Cap. XXIV. dicitur: *Septies enim cadet justus.* Ecclesiastis Cap. VII. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Matth. Cap. VI. jubentur omnes, etiam justi, orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Jacobi Cap. III. *In multis offendimus omnes.* I. Joann. Cap. I. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ex quibus hoc instruitur argumentum. Juxta citatos Scripturarum textus omnes justi, ordinariis gratiæ auxiliis adjuti, sæpe in aliqua peccata labuntur: atqui non omnes labuntur sæpe in mortalia: ergo in venialia. *Probatur id authoritate Scripturarum.*

328. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Carthaginense A. 418. Can. VII. ait: *Item placuit, quod ait S. Joannes Apostolus, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seductimus, & veritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici, nos non habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit, Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed cum ait, Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est; satis ostendit eum qui dixerit, se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.* Can. VIII. *Item placuit, ut quicunque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere Sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant,* *Conciliorum.*

quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed Dimitte nobis debita nostra; ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur; anathema sit. Can. IX. *Item placuit, ut quicunque ipsa verba Dominicæ orationis, ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, ita volunt a Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere?* Tridentinum Sess. VI. Can. XXIII. *Siquis hominem semel justificatum, dixerit -- posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Quod Tridentinum de tota vita, Theologi dicunt etiam de longiori vitæ tempore. Si enim justus moraliter potest ad longum tempus vitare omnia prorsus venialia, alius justus vitare ea posset per totam vitam; quia sæpe quod uni homini est longum vitæ tempus, alteri est tota vitæ periodus.

Patrum. 329. Prob. III. Authoritate Patrum. S. Gregorius Nazianz. in Orat. de plaga grandinis ait: *Illud cognoscamus, quod omni quidem vitio carere, ejusmodi procul dubio est, ut humanum modum excedat, solique Deo conveniat.* Et Orat. II. in Julianum: *Omni prorsus peccato vacare, supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* S. Hieronymus Lib. II. contra Pelagianos: *Quamdiu ille finis adveniat, & corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturæ & conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate & mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur: quia Deus solus est immutabilis.* S. Augustinus Epist. CLXVII. alias XXIX. ad S. Hieronymum: *Nemo hic vivit sine peccato. Et hoc alius magis, alius minus: optimus autem est, qui minimum.* Lib. de Dono Persev. Cap. II. *Tria sunt, ut scitis, quæ maxime adversus eos* (Pelagianos) *Catholica defendit Ecclesia: quo-*

rum

rum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari -- alterum est, in quantacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis. S. Gregorius M. aut quicunque alius illius Commentarii author, in Caput XIII. Lib. Imi Regum: *Innumerabilia sunt, quæ cogitando, loquendo, videndo, gustando, audiendo & operando committimus. Hujus namque vulgi* (peccatorum) *innumerabilis tela etiam ille vitare non poterat, qui dicebat, in multis offendimus omnes. Hinc item dilectus Jesu loquitur, dicens: Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Quis ergo jam quasi victor extolli audeat, si tanti viri peccatorum tela se omnino evadere non posse manifestant?*

330. Prob. IV. Ratione Theologica, quam insinuat S. Thomas Ima IIdæ. Quæst. CIX. Artic. VIII. *Non potest abstinere homo ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (& ex hoc habent rationem peccati & voluntarii,) non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos.* *Ac ratione Theologica.*

331. Quæres, an nullus homo purus, præter Beatam Virginem, abstinuerit umquam toto vitæ suæ tempore ab omni peccato veniali? R. partem negativam Augustino longe probabiliorem visam fuisse. Libro enim de Natura & Gratia, Cap. XXXVI. scribit: *Hac ergo Virgine* (Maria) *excepta, si omnes Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc, quod iste* (Pelagius) *dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est?* Nihilominus tamen Augustinus rem hanc ita certam esse definire ausus non est, ut damnari debeat, qui *An aliquis toto vitæ tempore immunes fuerint ab omni peccato?*

aliquos alios, præter Beatam Virginem, diceret ex ſpeciali Dei privilegio & gratia extraordinaria ab omni peccato ſemper abstinuiſſe. Libro enim de Perfectione justitiæ, Cap. XXI. ſcribit: *Scio quibusdam eſſe visum, quorum de hac re ſententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam.* Illud facilius admitti potest, quosdam eximie Sanctos numquam commisiſſe ullum veniale plene deliberatum, ut de S. Joanne Baptista, & Apostolis, post acceptum ab illis Spiritum Sanctum, multi tenent Theologi.

Argumenta contraria refutantur.

Pelagiani fruſtra ſe tuentur authoritate Scripturarum.

332. Objic. I. Authoritas Scripturarum. Matth. Cap. V. ait Christus: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Ergo homines poſsunt eſse absque peccato; alias Christus non præciperet, si ſciret fieri non poſse quæ præcipit. II^do. I. Joan. Cap. III. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipsius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* III. Psal. CXVIII. dicitur: *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.* Ergo dantur immaculati. Atqui qui venialiter peccant, non ſunt immaculati. Ergo. IV. Lucæ Cap. I. de Zacharia & Elisabeth dicitur: *Erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus ſine querela.* R. C. A. N. C. Christus loco cit. præcipit, ut perfecti ſimus eo perfectionis genere, cujus homo in hac vita mortali capax est; eamque proponit tantum perfectionem, ad quam pervenire in altera, non in præsenti vita poſsumus ac debemus. Ad II. N. C. Qui natus est ex Deo, quamdiu conservat justitiam & gratiam ſanctificantem, atque ex illa operatur, ne venialiter quidem peccat: at vero qui justus est, non ſemper operatur ex justitia; ideoque peccare etiam poterit. S. Augustinus Lib. II. de peccatorum meritis & remiſs. Cap. VII. & VIII. paulo aliter respondet, aitque duplicem distinguendam eſse hominis in Deo regenerationem: unam in hac vita inchoatam,

quæ

quæ in remiſsione peccatorum consistit; alteram vero perfectam & consummatam in patria, in qua nullum poterit eſse peccatum. Atque de hac postrema regeneratione & adoptione filiorum Dei loqui vult S. Joannem. Ad III. R. Immaculatos in ejusmodi Scripturæ locis dici eos, qui carent peccatis gravioribus, ſcilicet mortalibus, quæ præcipue animam maculant, privando eam ſplendore divinæ gratiæ: item illos, qui adspirant ad perfectionem patriæ cœlestis, ubi nullum erit peccatum. Ad IV. Respondet S. Augustinus Lib. de Gratia Christi, Cap. XLVIII. Zachariam justum dici ſine querela, *ſecundum quamdam inter homines conversationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juſte poſset in accusationis & criminationis querelam vocare. Quam propterea in Dei conspectu Zacharias & ejus uxor habuiſse referuntur, quia in ea homines nulla diſsimulatione fallebant. ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Non autem dictum eſt hoc ſecundum illam perfectionem juſtitiæ, in qua vere atque omni modo immaculati perfectique vivamus.*

333. Objic. II. Authoritas Patrum, & Ecclesiæ. S. Augustinus Lib. II. de Peccat. meritis & remiſs. Cap. VI. ait: *Si a me quæratur, utrum homo ſine peccato eſse poſsit in hac vita, confitebor poſse per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium.* II. S. Ambrosius Commentario in Lucam ait, Zachariam virum fuiſse ſummæ atque perfectæ justitiæ. III. Ecclesia ipsa canit de S. Joanne Baptista in hymno ad Matutinum: *Antra deserti teneris ſub annis, civium turmas fugiens, petiſti, ne levi poſses maculare vitam crimine linguæ.* R. ad I. N. C. Fatetur Augustinus fieri id poſse per Dei gratiam, & liberum hominis arbitrium; hanc vero poſsibilitatem in actum reduci ipse non credebat, quia majorem habebat fidem Scripturæ, in qua dicitur ad Deum Psal. CXLII. *Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Datur igitur in homine potentia physica, non autem moralis vitandi omnia venialia, etiam ſemideliberata. Cæterum mentem

Patrum, et Eccleſiæ

tem ſuam hac de re Augustinus plurimis in locis contra Pelagianos declaravit, ac præcipue toto libro de Perfectione justitiæ. Ad II. Respondet Augustinus Lib. de Gratia Christi, Cap. XLIX. B. Ambrosium loqui de immunitate a peccato mortali. *Aut certe*, inquit, *ſi iſte vir Sanctus atque humilis, Zachariam & Eliſabeth ſummæ atque omni modo perfectæ juſtitiæ, cui nihil addi jam poſſet, fuiſſe exiſtimavit, profecto ſententiam ſuam minutius excutiendo correxit*, in Expositione nimirum in Isaiam. in qua dicit, neminem in hoc mundo eſse poſse ſine peccato, ac perfecte immaculatum. Ad III. Ecclesia testatur equidem in hymno illo, B. Joannem hoc animo deserta petiiſse: an vero id fuerit aſsecutus, Ecclesia non pronuntiat. Præterea Ecclesia in illo hymno non aſserit Præcursorem Christi deserta petiiſse, ut ſimpliciter *ab omni crimine* liber eſset, ſed ab *omni crimine linguæ*.

Fruſtra objiciunt facilitatem vitandi omnia peccata.

334. Objic. III. Facilitas vitandi omnia peccata. Justus potest moraliter vitare omnia peccata per breve tempus. Ergo etiam longiore tempore. P. C. Voluntas per frequentatas victorias acquirit facilitatem & habitum. Ergo. II^do. Justus absque ſpeciali privilegio potest moraliter vitare ſingula venialia determinate & distributive ſumpta. Ergo etiam collective ſumpta. P. A. Difficultas illa moraliter insuperabilis non afficit aliquod veniale determinatum. Ergo ſingula distributive ſumpta vitari poſsunt. R. C. A. N. C. *Ad prob.* D. A. Acquirit facilitatem & habitum quandoque, quando nimirum actus illi ſuaviter exercentur, & aliquam recordationem delectationis in ipsorum exercitio perceptæ post ſe relinquunt, C. A. Semper, N. A. Non raro contingit, ut qui ſemel & iterum gustavit amaram medicinam, ſustinere malit incommodum valetudinis, quam ut eadem medicina tertio utatur, absterritus ſcilicet molestia ſibi per experientiam nota: Sic etiam qui æquo animo tulit unam vel alteram injuriam, in tertia perferenda majorem ſæpe experitur difficultatem. Præterea victoria tentationum ſubsequentium, etiam in eodem genere vitii, ſæpe ex alio capi-

te,

te, & ob diversitatem circumstantiarum, est multo difficilior, quam victoria tentationum præcedentium. Ad II^dum. D. A. Potest absque speciali privilegio moraliter vitare singula venialia distributive accepta, non tamen pro omnibus determinate circumstantiis, C. A. Pro omnibus circumstantiis, N. A. & Conseq. Omnia equidem peccata venialia determinate sumpta, quoad se & substantiam suam spectata, moraliter vitari possunt; interim tamen sæpe dantur circumstantiæ, in quibus tanta est lassitudo animi, tantum tædium ex frequentia tentationum, tanta passionum vehementia, tam debilis cognitio motivorum absterrentium a veniali, ut ex istis omnibus simul sumptis oriatur moralis necessitas admittendi veniale aliquod determinatum. Ad *prob.* N. A, quia ex modo dictis patet, dari quandoque tales circumstantias, in quibus justus ordinaria gratia adjutus, moraliter vitare nequit determinatum aliquod veniale.

335. Objic. IV. Sequela. Ex nostra sententia sequeretur I^mo, neminem posse emittere votum validum & obligatorium numquam peccandi venialiter; quia votum de re moraliter impossibili voventem non obligat. II^do. Neminem posse concipere propositum efficax vitandi omnia & singula venialia; cum nemo possit efficaciter proponere id quod scit sibi moraliter esse impossibile. III. Neminem posse a Deo prudenter petere fugam omnium venialium; quia nemo potest prudenter petere aut desiderare, quod non potest prudenter sperare. Atqui sequelæ istæ repugnant exemplis Sanctorum, praxi fidelium, ipsique adeo Ecclesiæ; nam perfectionis studiosi concipere in suis confessionibus solent propositum vitandi in posterum omnia venialia, & gratiam ea vitandi cum fiducia a Deo petunt: atque ipsa Ecclesia in Litaniis orat, *Ab omni peccato libera nos Domine.* Ergo. R. ad I^mum. Votum vitandi peccata venialia deliberata validum esse, eoquod impleri possit aut semper, aut saltem a potiori; votum autem vitandi omnia venialia tantum semideliberata, ex gravium Theologorum sententia invalidum esse, quia *Sequelas.*

quia est de re moraliter impoſsibili. Ad II^dum. Resp. concipi poſse propositum affective efficax, quod ſaltem excludat voluntatem actualem deliberate peccandi etiam venialiter tantum. Et quamvis per longius tempus non poſsimus ſperare immunitatem ab omni peccato veniali, præcipue ſubreptitio & ſemideliberato, eam tamen ſperare poſsumus pro brevi tempore, ultra quod forte ſe non extendet vita nostra; ideoque hoc propositum poterit eſse etiam effective efficax ad breve tempus. Ad III. eadem est responsio. Cum enim ignotum ſit, quamdiu cum gratiis ordinariis moraliter poſsimus vitare omnia venialia; cumque nesciamus, an brevi vel longo tempore duratura ſit vita nostra, optime ac rationabiliter petimus ab omnibus peccatis liberari.

Bonitatem Dei. 336. Objic. V. Bonitas Dei. Si homo non haberet potentiam moralem diu vitandi omnia peccata, etiam ſemideliberata, peccata illa homini non imputarentur. Atqui imputantur. Ergo. P. M. Deus obligare nos non potest ad aliquid impoſsibile. Ergo neque ad vitanda peccata ſemideliberata. P. A. Tyrannus censeretur inter homines, qui ſubditis ſub pœna capitis prohiberet actiones moraliter inevitabiles. Ergo a fortiori benigniſsimus Deus non potest has actiones prohibere ſub graviſsimis pœnis purgatorii. R. N. M. Ad *prob.* D. A. Deus non potest nos obligare ad aliquid physice impoſsibile, C. A. Ad aliquid moraliter tantum impoſsibile, N. A. Ad hujus *prob.* C. A. N. C. Deus ob perfectiſsimum ſuum in homines dominium longe plura a nobis exigere potest, quam terrenus Princeps: habetque jus prohibendi omnes actiones malas, etiam ſemideliberatas, quia perfectionibus divinis contrariæ ſunt, ideoque malæ. Præterea lex obligans ſub pœna purgatorii ad evitandas culpas ſemideliberatas, est homini maxime utilis & ſalutaris; acuit enim vigilantiam Christianam, conducit ad demiſsionem animi, & diffidentiam de propriis viribus, ſegnes exstimulat ad opera pœnitentiæ peragenda, ad orationem incitat: quibus actibus & gratia & gloria quæ in cœlo nos expectat,

pectat, maxima capiunt incrementa. At vero terrenus Princeps neque jus habet prohibendi actiones moraliter inevitabiles, saltem ordinarie, nisi bonum Reipublicæ id exigat; neque lex illa adeo severa subditis ullo modo foret optabilis.

337. Objic. VI. Paritas. Hæc moralis impotentia vitandi omnia peccata venialia, data non fuisset in statu naturæ puræ. Ergo neque datur in statu naturæ lapsæ; cum hæc non sit debilior natura pura. P. A. Si hæc impotentia data fuisset in statu naturæ puræ, Deus fuisset illius author. Atqui hoc dici nequit, alias Deus fuisset etiam mediate author venialium peccatorum. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* D. M. Deus fuisset author hujus impotentiæ, quatenus est author naturæ humanæ, quacum hæc impotentia identificatur, C. M. Fuisset author hujus impotentiæ formaliter acceptæ, N. M. Hæc impotentia vitandi omnia peccata venialia fuisset in illo statu merus defectus naturæ, sicut possibilitas, seu potentia peccandi. Nequæ Deus potuisset dici author venialium, utpote quæ nec directe nec indirecte Deus intendisset: quemadmodum nec directe nec indirecte dici potest evagationem animi peccaminosam intendere ille, qui prolixas preces vovet quotidie recitare, etsi sciat cum hoc voto connexam esse moralem necessitatem intra longius tempus admittendi distractionem venialiter peccaminosam. *Ac paritatem.*

CONTROVERSIA X.

AN HOMO ABSQUE GRATIA SUPERNATURALI, ET ABSQUE GRATIA FIDEI THEOLOGICAE, POSSIT EXERCERE ACTUM ALIQUEM NATURALITER ET MORALITER HONESTUM?

CONTRA PROTESTANTES, ET JANSENIANOS.

338. *Bonum morale* aliud est *supernaturale*, quod ad æternam animæ salutem conducit; aliud *simpliciter morale*, quod naturalem dumtaxat honestatem & rectitudinem habet. In omni opere bono morali duo apprime *Notiones terminorum.*

me distinguenda ſunt, officium ſcilicet, & finis. *Officium*, ſeu objectum & materia operis, est ipsum opus quod exercetur, v. g. eleemosyna pauperi collata. *Finis* est id, propter quod exercetur opus. Officium vocari etiam ſolet ſubstantia operis; finis vero ſeu motivum actionis dicitur modus operis. Ad integram porro actionis moralis honestatem ac bonitatem neceſse est eam rectam & bonam eſse tum ex officio, tum ex fine; virtutes enim non tam officiis quam finibus a vitiis distingui testatur S. Augustinus Lib. IV. contra Julianum, Cap. III.

Status quæſtionis.

339. Non hic quæritur, an homo ſolis naturæ viribus poſsit opus ſalutare elicere; omnes enim Catholici contra Pelagianos aſserunt, ſine fide & gratia ſupernaturali nullum opus morale fieri poſse, quod ſit meritorium vitæ æternæ, ac ſupernaturale: ideoque infidelium opera ſterilia ac plane inutilia eſse ad veram pietatem & vitam æternam affirmant. Quæstio itaque est, an homo ſolis naturæ viribus, absque gratia ſupernaturali ac fidei Theologicæ, poſsit elicere bonum ſimpliciter morale, ſive actum naturaliter tantum honestum, ita ut actus ille non ſit peccaminosus, neque ad pœnam imputari poſsit; ſed potius ad præmium aliquod temporale, ac mere naturale. Bajus & Jansenius docuerunt, Infidelium virtutes vera eſse vitia, & omnia eorum opera vera & proprie dicta peccata: adeoque ad bonum etiam ſimpliciter morale neceſsariam eſse gratiam fidei Theologicæ. Hinc Jansenius Lib. IV. de Statu naturæ lapsæ, Cap. XVII. nulla habita Pontificiæ censuræ ratione, quam jam ante complures annos perſtrictæ fuerunt Michaelis Baji propoſitiones, ſcribere ausus est: *Insania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſensui, Scripturis & fidei, quod infidelium ſit ulla vera virtus, vel opera ſine peccato, juxta Auguſtinum, & Concilium Arausicanum.* Jonnes Wickleffus, & Joannes Hus, quorum insaniam refutavimus Num. 305, ad opus naturaliter honestum requirunt etiam gratiam ſanctificantem, qua si homo careat, eum neceſsario mortaliter peccare ajunt, quidquid

Errores Sectariorum.

quid tandem agat. Consentiunt huic doctrinæ Michael Bajus propositione, inter damnatas, XXXV. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*, & Protestantium Patriarchæ, Lutherus in Aſsertione Articuli VI. & XXXVI, atque Calvinus in Antidoto Conc. Trid. Seſs. VI, & Lib. II. Institutionis, Cap. III, qui insuper aſserere non erubescunt, etiam justorum opera eſse peccata, ob concupiscentiæ labem ipsis adhærentem, quamvis fateantur propter fidem ejusmodi peccata justis non imputari.

Singularis quorumdam Catholicorum ſententia.

340. Ex Doctoribus Catholicis aliqui, iique valde pauci, existimant aut nullas, aut si quæ ſunt, ex beneficio gratiæ eſse in Infidelibus virtutes morales. Ita ex Veteribus Gregorius Ariminensis, ex recentioribus post Concilii Tridentini tempora, Gaspar Casalius, Basilius Pontius, Franciscus Macedo, Henricus Card. Norisius. Vasquis in Imam IIdæ S. Thomæ, Disput. CXC. docet, nullum opus morale ex omni circumstantia bonum, poſse fieri ſine aliquo divinæ gratiæ auxilio, ſaltem ordinis naturalis, quod consistit in ſingulari Dei protectione ac providentia, qua removentur peccati occasiones, ardor concupiscentiæ ac tentationum minuitur, ſubtrahuntur externa objecta & exempla, quibus ad malum incitamur; alia vero proponuntur, quibus amor virtutis accenditur.

Sine Fide Theologica & gratia ſupernaturali poſse exerceri actum naturaliter bonum & honeſtum, oſtenditur ex Scripturis.

341. Conclusio. Potest homo per ſolas vires naturæ, absque gratia Fidei Theologicæ, aut alia quacunque ſupernaturali, exercere actum aliquem naturaliter bonum & honestum, ſaltem quando nulla in oppositum urget gravis tentatio. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Exodi Cap. I. quia obstetrices Ægyptiæ contra præceptum Pharaonis mares Hebræorum ſervarunt, mercedem a Deo consecutæ ſunt, nempe temporalia bona, & prolem copiosam; non ob mendacium, quando Regi responderunt, Hebræas mulieres obstetricibus Ægypti non indigere; ſed ob benevolentiam, qua masculos Hebræorum ſervarunt. Josue Cap. II. & IV. Rahab meretrix Jerichuntina, quamtumvis infidelis & quæstu corporis infamis, in hoc tamen laude

de & præmio digna judicatur, quod miſsos a Josue exploratores ſervaverit. Ezechielis Cap. XXIX. Rex Nabuchodonozor infidelis ob bellum feliciter gestum adversus Tyrios, ſicut ei imperaverat Deus, mercedem temporalem accepit, Ægyptum ſcilicet & manubias ejus. *Dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Atqui Deus non remuneratus est actionem peccaminosam, ſed naturaliter honestam. Daniel Cap. IV. eidem infideli Regi consulit, ut peccata ſua eleemosynis redimeret, & iniquitates misericordiis pauperum. Atqui si omnia infidelium opera forent peccata, detestabile atque exitiosum Regi fuiſset hoc Danielis consilium; peccata enim provocant, non mitigant iram divinam. Ad Rom. Cap. II. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt.* Atqui præcepta legis naturalis actionem imperant, quæ bona & recta ſit tum ex officio tum ex fine. Ergo quandoque Gentiles, natura duce, eliciunt actiones naturaliter bonas & honestas. Equidem Augustinus Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXVI, quem poſtea ſecuti ſunt S. Prosper adversus Collatorem, Cap. XXII, & S. Fulgentius Lib. de Incarnat. & Gratia Christi, Cap. XXV, citata Apostoli verba interpretatur de Gentibus ad fidem Christi conversis, ita ut ly *naturaliter* excludat tantum legem Mosaicam, non Evangelicam; eoquod hæc interpretatio ipsi commodior visa fuerit retundendæ Pelagianorum perfidiæ, qui ex eo loco evincere conabantur, a non nullis Gentilibus totam legem naturalem absque fide & gratia Christi observatam fuiſse: at vero nostram expositionem de Gentibus incredulis Augustinus nullibi reprobavit, hacque alii Patres communiſsime ſunt usi, Tertullianus Lib. de Corona militis, Cap. VI. S. Ambrosius in Epist. ad Irenæum, S. Hieronymus Comment. in Cap. XXIV. Isaiæ, & in Epist. ad Algasiam, Quæst. VIII. S. Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius in hunc Apostoli locum.

342.

342. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Basilius Hom. IX. de Opere ſex dierum ait: *Quemadmodum nulla disciplina nos docet morbum odiſse, ſed ſpontaneam habemus calumniam ac deteſtationem adversus ea, quæ nobis moleſta ſunt: ſic etiam eſt animæ quædam declinatio & fuga vitii citra doctrinam.* S. Hieronymus in Cap. I. Epist. ad Galatas: *Natura omnibus ineſt Dei notitia, nec quisquam ſine Chriſto nascitur, & non habet ſemina in ſe ſapientiæ & juſtitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi, absque fide & Evangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.* Et Comment. in Ezechielis Caput XXIX. *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſiquid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.* S. Gregorius M. Hom. XXVII. in Evangelia. *Sicut non nulli, qui diligunt proximos per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra non contradicunt eloquia. Sed aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ; aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ.* *Patribus.*

343. Prob. III. Authoritate S. Augustini. S. Doctor Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXVII. ſcribit: *Si autem hi, qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum habendi ſunt in numero eorum quos Chriſti juſtificat gratia; ſed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum veraciter juſteque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito rectèque laudamus: quamquam ſi discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Per verba illa, *Vix inveniuntur*, denotat Augustinus magnam partem operum Infidelium vera eſse peccata ob pravum finem, v. g. jactantiam, atque inanem ostentationem, philautiam, ad quam ſæpiſsime a Gentilibus referuntur: quædam tamen, tametsi pauca, inveniri, quæ nullo malo fine vitiantur, ac proinde opera naturaliter bona & honesta dici debeant. *Ac præcipue Augustino.*

beant. Pergit dein S. Doctor, & Cap. XXVIII. subjungit: *Verumtamen non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere; si hoc est quod dictum est, Quia Gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt, & quia hujusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur impressum est.* Et paulo inferius: *Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* De Romanis Epist. CXXXVIII. alias V. ad Marcellinum scribit: *Rempublicam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo, & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus Rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas.* Lib. IV. contra Julianum, Cap. III. loquens de virtutibus Infidelium, *Quando ergo*, inquit, *tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant.* Denique quotiescunque ferme Augustinus scribit, sine auxilio gratiæ nihil fieri posse boni, addere solet limitationem, v. g. *ad salutem, ad veram pietatem.* Sic Lib. de Gratia Christi, Cap. XXVI. scribit: *Gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, sic confitentur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse*

non

non dubitet. Et Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. XVII. *Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ut nimirum S. Doctor significaret, auxilium gratiæ necessarium non esse ad illa opera bona, quæ ad pietatem & salutem non pertinent.

Authoritate Principum Scholæ.

344. Prob. IV. Authoritate Principum Scholæ. S. Thomas IIda IIdæ Quæst. X. Artic. IV. ait: *Manifestum est, quod Infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent. Sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere, in eo quod non refert ad finem infidelitatis.* Et loco cit. *Ad III. dicendum, quod per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum.* S. Bonaventura in Sentent. Dist. XXVIII. Art. II. Quæst. III. *Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum cum generali Dei influxu, tametsi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponit ad gratiam, nec ad gloriam.*

Pontificum

345. Prob. V. Authoritate Pontificum. S. Pius V. & Gregorius XIII. præter alias Baji propositiones huc pertinentes, quas exhibuimus Num. 314, has etiam proscripserunt. XXV. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* XXXV. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* XL. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Alexander VIII. anno 1690. complures Jansenianorum propositiones damnavit, atque has inter ordine VII. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* VIII. *Necesse est*

infi-

infidelem in omni opere peccare. XI. *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* Clemens XI. in Bulla *Unigenitus* plures Quesnelli propositiones proscripsit, quibus idem error propugnatur. XXXVIII. *Peccator non eſt liber niſi ad peccandum, ſine gratia liberatoris.* XXXIX. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* XL. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.* XLII. *Sola Gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: ſine hoc nihil, niſi impuritas; nihil, niſi indignitas.* XLV. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* XLIX. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.* LIX. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

Ratione Theologica. 346. Prob. VI. Ratione Theologica. I. Bona opera ſimpliciter moralia, & naturaliter tantum honesta, habent proportionem cum viribus naturæ, quæ per peccatum infirmior facta non est, quam fuiſset in ſtatu naturæ puræ. Ergo nulla datur ratio, cur nulla in oppositum urgente gravi tentatione, opera omnia ſine fide & auxilio ſupernaturali facta, ſint peccata. II. Gentiles ſine fide Theologica cognoscere poſsunt dari Deum, & nostri curam gerere. Ergo poſsunt operari bonum morale, ut Deo authori naturæ obediant. III. Gentilis potest facere aliquod opus bonum ex officio & fine, v. g. naturali pietate ductus honorare parentes, ita ut propterea nullam pœnam mereatur. Ergo cum omni peccato pœna respondeat, in tali opere eliciendo non peccat. IV. Quemadmodum justus non ſemper agit ex justitia, ſed quandoque peccat: ita infidelis etiam non ſemper agit ex infidelitate, aut ex malitia, vel habitu pravo prædominante. Ergo opera non inquinantur a malitia agentis niſi quando ab ipsa malitia procedunt.

347.

347. Prob. VII. Ex ſequelis. Ut enim observat Bellarminus Lib. V. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. IX, si nullum opus bonum fieri poſset ab infidelibus, ſequeretur melius illis eſse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere, quam facere: nam faciendo illa peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi eſsent infideles, ne ſtipem egentibus erogent, ne discordias componant, ne imperitos doceant. Sequeretur præterea infideles, quotiescunque observanda ipsis foret lex naturalis, neceſsario peccare: si enim eam non observant, peccant: neque tamen eam observando peccatum vitabunt, cum juxta Jansenianos omnia opera infidelium ſint peccata: quo ſane nihil absurdius, inverisimilius nihil excogitari potest. *Ac ſequelis.*

Argumenta contraria refutantur.

348. Objicitur I. Authoritas Scripturarum. Ad Rom. Cap. XVI. ſcribit Apostolus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* II. Ad Ephes. Cap. IV. *Teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſensus ſui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* III. II. ad Timoth. Cap. II. de Gentibus dicitur: *A quo* (dæmone) *captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* At voluntas diaboli est, ut homines ſemper peccent. IV. Ad Hebr. Cap. XI. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* V. Ad Titum Cap. I. *Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conscientia.* VI. I. Joan. Cap. II. *Omne quod eſt in mundo, concupiscentia carnis eſt, & concupiscentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* VII. Matth. Cap. VI. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Atqui intentio infidelis, quam fides non dirigit, perversa est. Ergo. VIII. Matth. Cap. VI. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Ergo infideles, qui dæmoni ſerviunt, non poſsunt actum bonum elicere, ſicque Deo ſervire. IX. Joan. Cap. XV. *Sine me nihil poteſtis facere.* X. Psal. *Janſeniſtarum non ſuffragantur Scripturæ.*

XIII. de Infidelibus dicitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* XI. Isaiæ Cap. LX. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* XII. Jeremiæ Cap. XVII. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile.* R. ad I. Apostolum loco cit. nomine fidei non intelligere fidem Theologicam, ſed dictamen conscientiæ, vi cujus judicat quis actionem illam ſibi licitam eſse. Manifeste id colligitur ex contextu & ſcopo Apostoli; agit enim ibi de ciborum delectu, ostenditque eum qui cibum aliquem manducat, quem tamen illicitum existimat, re ipsa peccare, quia contra propriam agit conscientiam. Atque ita locum illum interpretati ſunt, præter Augustinum paucosque ejus discipulos, Patres omnes Græci ac Latini, & Concilium Lateranense IV. Cap. XLI. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica quam Civilis.* Ad II. R. ex verbis illis id unum ſequitur, plurima opera infidelium eſse mala & immunda, omnia autem eſse vana & inutilia ad veram felicitatem; quia infideles & lumine fidei, & ſpe regni cœlestis destituuntur. Ad III. Peccatores dicuntur diaboli laqueis captivi teneri, quia propriis viribus ab illa captivitate liberari nequeunt, quamvis in omnibus obsequi diabolo non cogantur. Ad IV. R. ſine fide neminem Deo ita placere, ut amicus ejus constituatur; placere tamen aliquo modo poſse Deo propter moralem bonitatem operis in ordine naturali, ita ut Deus propter illud mercedem aliquam naturalem tribuat. Ad V. R. juxta Hieronymum Comment. in Epistolam ad Titum, & Augustinum Lib. XXXI. contra Faustum, Apostolum non loqui de operibus infidelium, ſed de cibis mundis & immundis ſecundum legem, ita ut ſensus ſit, hominibus injustis, & qui nolunt credere legem Mosaicam eſse abrogatam, quales ſunt Judæi, omnes cibos eſse immundos, non tantum eos quos lex prohibebat, ſed etiam cæteros: ac proinde ſemper illos peccare, ſive eis utantur, ſive abstineant. Si enim abstinent, peccant ſuperstitione,

ne, quia putant cibos illos esse immundos: si utuntur & comedunt, peccant inquinata & erronea conscientia; quia putant sibi fas non esse illis vesci, & tamen vescuntur. Ad VI. R. Sermonem ibi esse de mundi amatoribus qua talibus, quorum peccata ad luxuriam, avaritiam, & superbiam, tamquam ad tria capita revocantur. At vero mundi amatores non semper agunt ut mundi amatores; sed aliquando secundum rectæ rationis judicium agunt, tuncque eorum actio est moraliter & naturaliter bona ac honesta. Ad VII. R. intentionem, quam fides non dirigit, perversam esse plerumque, quandoque autem naturaliter rectam. Ad VIII. R. sensum verborum Christi esse, quod nemo possit duobus Dominis servire, id est, se addicere, amare, obsequi in omnibus, & obedire; sive se totum uni Domino dare, & totum alteri, aut finem suum ultimum & beatitudinem in duobus inter se pugnantibus constituere. Ad IX. R. sermonem ibi esse de operibus salutaribus & meritoriis vitæ æternæ. Ad X. R. Ne unus quidem Infidelium bonum facit, sicut oportet ad salutem. At hoc non obstat, quo minus Infideles opera moraliter ac naturaliter bona exerceant, quæ vires naturæ, quamvis per peccatum depravatæ, non superant. Ad XI. R. Isaiam non loqui de privatione luminis naturalis, quod ad bonum morale cognoscendum est necessarium; sed de privatione luminis supernaturalis, quo indigent homines ad cognoscenda fidei mysteria, ut oportet, & ad salutem consequendam. Ad XII. R. Quamvis cor hominis propensum sit ad malum, non tamen idcirco omnes actus voluntatis sunt pravi.

Neque authoritas Patrum, præcipue Augustini.

349. Objic. II. Authoritas Patrum, præcipue Augustini, qui frequenter tum aliis in locis, tum præcipue in libris contra Julianum totus in eo est, ut ostendat virtutes Infidelium non esse veras virtutes. Ergo. R. D. A. Non esse veras virtutes in eo sensu, in quo illas esse veras virtutes dicebat Julianus, C. A. In sensu a nobis explicato, N. A. & Conseq. Julianus circa virtutes Infidelium docebat I^mo, opera quæ ex officio dumtaxat bona sunt, esse simpliciter bona, quamvis

fiant ex pravo fine. Hinc Augustinus Lib. IV. adversus Julianum, Cap. III. ſcribit: *Noveris itaque, non officiis, ſed finibus a vitiis discernendas eſse virtutes. --- Quæ tu non attendens, fines ab officiis ſeparaſti, & virtutes veras officia ſine finibus appellandas eſse dixiſti. Ex quo te tanta absurditas ſequitur, ut veram cogaris appellare juſtitiam, etiam cujus dominam reperis avaritiam.* II^do. Docebat virtutes Gentilium nec exiguas, nec infrequentes eſse, jactabatque exempla Fabricii, Reguli, Scipionis. III. Virtutes Gentilium tales eſse, ut hominem vere justum constituant, Deoque placentem, non immediate quidem, ſed mediate, in quantum per bonum usum liberi arbitrii, & per illas virtutes infidelis comparare ſibi poterat ac promereri fidem, veramque juſtitiam. Quando igitur Augustinus contendit virtutes infidelium non eſse veras virtutes, duo evincere conatur I^mo pleraque, non omnia, infidelium opera eſse mala; eoquod ea perverso fine oſtentationis, vanæ gloriæ &c. corrumpantur. II. Etiamsi ethnicus ſubinde exerceat opus aliquod tum ex officio tum ex fine bonum, istud tamen non eſse opus veræ virtutis, ſive tale, quod ipsum vere justum, Deoque gratum constituat; eoquod careat fide, ſine qua impoſsibile est placere Deo.

350. Dices I. S. Augustinus non tantum ait virtutes infidelium non eſse veras virtutes, ſed eodem Lib. contra Julianum, Cap. III. atque alibi paſsim contendit, omnia infidelium opera eſse peccata; idque probat ex verbis Apostoli ad Rom. Cap. XIV. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Augustinum alii Patres ſequuntur. S. Leo M. Serm. II. de Jejunio Pentecost. ſcribit: *Apud ipsos paganos ſunt vana quædam jejunia. -- Apud nos fides ſanctificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem. Unde quia extra Catholicam Eccleſiam nihil eſt integrum, nihil caſtum, dicente Apoſtolo, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt &c.* S. Prosper Epist. ad Rufinum: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt; ut ſcilicet intelligat, juſtitiam infidelium*

non

non esse justitiam: quia sordet natura sine gratia. Idem scribunt Julianus Pomerius Lib. III. de Vita contempl. Cap. I. & Bonifacius II. Epist. ad S. Cæsarium Arelatensem. R. D. A. Ait, omnia infidelium opera esse peccata vere, proprie, ac formaliter talia, N. A. Id est, non esse opera veræ justitiæ, quæ operantem Deo gratum reddant, C. A. N. C. Nomine *peccati* Augustinus non tantum intelligit id, quod est culpabilis transgressio legis divinæ, & hominem pœnæ obnoxium reddit, sed etiam illud omne, quod licet moralem habeat bonitatem, tamen ad salutem æternam nihil prodesse potest operanti, ut ipse Augustinus mentem suam explicat Lib. IV. contra Julianum, Cap. III. *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.* Atque eadem omnino responsio danda est ad textus reliquorum Patrum Augustino posteriorum, v. g. Prosperi, vel quiscunque demum sit author librorum de Vocatione Gentium, Lib. I. Cap. VII. *Sine cultu veri Dei, etiam quod virtus esse videtur, peccatum est.* Gregorii M. Lib. II. Moral. Cap. XV. *Si non prius in corde nostro fides gignitur, reliqua quoque esse bona non possunt, licet esse videantur.* Atque ipsius etiam S. Hieronymi in Cap. III. ad Galatas. *Sine Christo omnis virtus in vitio est.*

351. Dices II. S. Augustinus docet sæpissime hominem nihil boni posse facere. Sic Lib. de Gratia Christi, Cap. XXVI. scribit: *Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur.* Et Lib. I. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. III. *Nec potest homo boni aliquid velle: nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Jesum Christum.* Ergo homo solis naturæ viribus non potest actum naturaliter honestum elicere. R. D. A. Nihil boni sine gratia posse facere, quod sit meritorium vitæ æternæ, quod ad veram pie-

tatem,

tatem, justitiam, & salutem pertineat, C. A. Nihil boni, quod tantummodo naturaliter sit honestum, N. A. & Conseq. Pelagiani non in hoc erant hæretici, quod vellent hominem honeste posse quandoque agere sine gratia; sed quod gratiam interiorem ad eliciendos actus supernaturales ac meritorios necessariam esse inficiarentur.

352. Dices III. Juxta Augustinum virtutes morales sunt dona Dei, sive in fidelibus, sive in infidelibus inveniantur. Ergo Gentiles sine gratia Dei in omnibus operibus peccant. R. C. A. N. C. Virtutes morales quoad habitum, de quibus tantum loquitur Augustinus, acquiri non possunt sine gratia Christi. Cum enim habitus virtutum nascantur ex actibus sæpius repetitis, & actus infidelium frequentissime sint vitiosi saltem ex malo fine; sequitur in infidelibus non reperiri nisi habitus moraliter malos, cum pauci quidam actus, contra eorum agendi morem recta intentione eliciti, habitum laudabilem producere nequeant. Accedit quod actus boni frequentes & constantes, ex quibus demum acquiritur habitus, elici nequeant, nisi cupiditatibus & tentationibus gravibus resistendo, quibus tamen infideles sine gratia Dei moralem potentiam non habent resistendi.

353. Dices IV. S. Doctor in Enchiridio ad Laurentium, Cap. CXVII. scribit: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* Atqui in infidelibus non est Dei charitas. Ergo in illis regnat carnalis cupiditas. Atqui ubi regnat carnalis cupiditas, nullus actus elicitur, ne quidem naturaliter tantum honestus. Ergo. *Confirm.* Lib. II. de peccatorum merit. & remiss. Cap. XVIII. scribit S. Augustinus: *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo; restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* Et Lib. I. Retract. Cap. XV. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Ergo sine gratia Christi nullus datur actus naturaliter honestus. R. D. M. Regnat carnalis cupiditas quoad habitum, & ratione subjecti, ubi non est Dei charitas, C. M. Homo enim necessario vel in statu gra-

gratiæ est, vel in ſtatu peccati. Regnat carnalis cupiditas quoad actum, quasi omnis moralis actio neceſsario ſit vel ex cupiditate, vel charitate habituali proprie dicta, N. M. Sicut non omnis actio hominis justi, in quo regnat habitualiter charitas, bona est: ita quoque omnis actio hominis infidelis, aut peccatoris, in quo viget habitualiter cupiditas, mala non est. Ut enim justus non ſemper operatur ex charitatis imperio; ita nec injustus agit ſemper ex tyrannide cupiditatis, ſed aliquando ex inſtinctu luminis naturalis, & ex amore honestatis. Igitur nec charitas nec cupiditas homini neceſsitatem imponunt ad actus ſibi conformes ſemper exercendos. Ad *confirm.* C. A. N. C. Augustinus per voluntatem non intelligit volitionem, ſeu actum voluntatis, ſed ipsam potentiam volendi: quæ si charitate ornata est, bona est; si vero cupiditati ſubjecta est, tunc mala est. Similiter Lib. I. Retract. Cap. XV. nomine voluntatis ipsam potentiam intelligit volendi, quæ ſine charitate habitualiter mala est, quamvis non ſemper agat ex mala cupiditate.

354. Neque negotium nobis faceſsit alius Augustini locus Lib. de Gratia Christi Cap. XXI. *Quasi vero aliud ſit bona voluntas, quam charitas:* ex quo Janseniani ſic argumentantur. Voluntas naturaliter honesta est bona voluntas. Atqui non datur bona voluntas ſine charitate. Ergo non datur voluntas naturaliter honesta ſine charitate. R. D. M. Voluntas naturaliter honesta est bona voluntas ſupernaturalis, N. M. Naturalis, C. M. Et D. m. Non datur bona voluntas ſupernaturalis ſine charitate, C. m. Bona voluntas naturalis, ſubdist. Non datur ſine charitate Theologica, N. Sine charitate latius tali, & naturali, prout hæc nimirum dicit amorem recti, C. m. N. C. S. Augustinus nomine charitatis ſæpiſsime bonam voluntatem intelligit, quæ omnia refert ad finem honestum; e contrario autem nomine cupiditatis malam voluntatem, quæ malo fine vitiatur. Hinc Lib. II. de Serm. Domini in Monte, Cap. XXII. ſcribit: *Voluntas namque non*

eſt

eſt nisi in bonis; nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas.

355. Dices V. S. Augustinus Lib. de Spiritu & litt. Cap. III. ait: *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Ergo ſententia aſserens omnia Infidelium opera eſse peccata, est vere Augustiniana. *Confirm.* Concilium Arausicanum II. in quo doctrina Augustini de Semipelagianis triumphavit, Cap. XXII. ait: *Nemo habet de ſuo, nisi mendacium & peccatum.* Ergo. R. C. A. N. C. Quando Augustinus ait, liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere, loquitur de potentia liberi arbitrii relata ad ſalutem vel merendam vel demerendam; aitque liberum arbitrium ſine interioris gratiæ auxilio ſufficere quidem ad peccandum, at non ad exercenda justitiæ opera, ut expedit ad æternam ſalutem. Patet id ex ſcopo Augustini cum Pelagio decertantis, qui pertinaciſsime contendebat, ſicut ad peccatum ita ad justitiam ſufficere ſibi liberum arbitrium. Ad *confirm.* C. A. N. C. Duplex, eaque ſolida Capituli hujus explicatio afferri potest. I^ma est, neminem, nisi mendacium & peccatum habere de ſuo, quod omnino & unice ſit ſuum, ut illud a Domino non acceperit: cætera vero omnia, etsi tantum ſint naturalia, ut v. g. opera naturaliter etiam & moraliter tantum bona, Dei dona eſse ac beneficia. Altera est, per has voces *non nisi* non excludi omnia reliqua, ſed ſolum opera ſalutaria, quæ ibi cum malis operibus comparantur; quasi diceret Concilium: Ex his duobus operum generibus, homo non nisi mala habet de ſuo; ſalutaria vero opera ex gratia Dei.

356. Dices VI. Saltem Propositio Baji XXVII. *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Et XXXVIII. Quesnelli. *Peccator non eſt liber nisi ad malum, ſine gratia Liberatoris*, injuste a Pontificibus proscriptæ ſunt. Prob. Hæ propositiones depromptæ ſunt ex libris S. Augustini, & Capit. XXII. Arausicani II. Concilii. Ergo vel nullam merentur notam; vel cum illis doctrina pariter Augu-

stinia-

stiniana & Arausicana damnata est. R. N. illatum. Ad *prob.* D. A. Ita tamen, ut quamvis verba sint eadem, sensum tamen longe diversum faciant in ore Baji & Quesnelli, C. A. Ut hoc non fiat, N. A. Augustinus, atque ex eo Arausicani Patres, loquuntur de potentia liberi arbitrii relate ad salutem merendam vel demerendam, ut paulo ante dictum est. At vero Bajus & Quesnellus, ut ex aliis eorum propositionibus, atque ex toto doctrinæ systemate manifeste liquet, loquuntur de potentia liberi arbitrii relate ad actus naturaliter etiam & moraliter honestos. Quamvis verba sint eadem, sensus tamen longe diversus est ab eo, quem Augustinus & Arausicana Synodus intendunt. Parum profecto in Ecclesiastica Historia versatus sit oportet, qui easdem sæpe voces & propositiones, si verba spectes, modo ab Ecclesia admissas, modo rejectas ignorat, pro vario nempe sensu, quem a proferente sortiebantur. Propositionem hanc, *Gratia adjuvat uniuscujusque bonum propositum*, probabat Augustinus in Catholicis, rejiciebat vero in Pelagianis; sciebat enim ab ipsis intelligi, quod bonum in ipsis sit propositum sine gratiæ adjutorio. Quæ assertio magis potest esse Catholica, aut magis sancta, quam hæc? *Deus est unus:* Et tamen in Ariani, Sabelliani, ac Manichæi ore evadit hæretica; cum constet per hæc verba significare eos velle, non esse trinum in personis.

357. Objic. III. Ratio. Tenemur ex præcepto dilectionis omnia nostra referre in Deum tamquam finem ultimum, juxta illud Apostoli I. ad Cor. Cap. X. v. 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Et I. ad Cor. Cap. XVI. *Omnia vestra in charitate fiant.* Ergo cum infideles non agant ex charitate, neque propter Deum tamquam finem suum ultimum, in omnibus actionibus suis peccant. R. D. A. Tenemur aliquando actu explicito ac formali, C. A. Semper, subdist. Hoc sensu, quod nihil facere debeamus, quod repugnat gloriæ Dei, in quantum nimirum præceptum hoc est negativum, C. A. Hoc sensu, quod positive & formaliter semper omnia

Non ratio Theologica.

nia teneamur referre in Deum ex motivo charitatis, N. A. & Conseq. Quamvis verba Apostoli verum continerent præceptum, non tamen idcirco teneremur positive & formaliter actiones nostras ſemper ad Deum referre; ſed eo tantum tempore, quo urget & obligat præceptum dilectionis Dei, quod certe licet ſæpius in decursu vitæ obliget, non tamen ſemper obligat, & pro quolibet tempore. Porro infidelis, etiam qui mysteria nostræ fidei penitus ignorat, exercere potest opus aliquod morale rectum & honestum tum ex officio tum ex fine; quod quidem ex ſe ipso implicite ac mediate, & ex intentione agentis ſaltem generali & confusa, tendit ad finem ultimum, Deum ſcilicet, naturæ ac totius boni Authorem. Quando enim actio moralis tum ex officio tum ex fine proximo recta est, qui primo & immediate ab agente intenditur, neque alio quocunque particulari fine perverso ex parte operantis vitiatur, tunc actio illa proprio & innato quasi motu ac pondere in finem ultimum, Deum ſcilicet, relabitur ac refertur, eamque agens ipse, implicite, confuse, ac virtualiter referre dicitur, tametsi de illa in Deum referenda actu non cogitet. Ratio est, quia omne bonum tum ex ſese, tum ex generali ac virtuali agentis intentione ad eum refertur, a quo tamquam a fonte & authore profluit. Sed omne quod bonum, rectum & honestum est, a Deo est tamquam a fonte & principio totius boni. Ergo &c.

358. Dices I. Omnis actio, quæ non refertur ad finem ultimum, mala est. Sed actio quæ non fit ex charitate, non refertur ad finem ultimum. Ergo mala est. Atqui infideles non habent charitatem. Ergo. R. D. M. Omnis actio mala est, quæ nec refertur, nec referibilis est ad finem ultimum naturalem vel ſupernaturalem, C. M. Quæ explicite non refertur ad finem ultimum ſupernaturalem, N. M. Et ſic distincta minore, N. C. Ut actio ſit honesta, & moraliter ac naturaliter recta, non requiritur charitas Theologica, ſed ſufficit charitas late talis, ſeu amor recti; debetque referibilis eſse, aut etiam implicite referri ad Deum tam-

tamquam Authorem naturæ, & fontem ac regulam omnis honestatis naturalis.

359. Dices II. Quælibet hominis actio moralis vel fit ex amore Dei, vel ex amore mundi: si fit ex amore Dei, recta quidem est, at non sine auxilio gratiæ supernaturalis: si ex amore creaturæ aut mundi, vitiosa est. Ergo. R. præscindendo ab ea quæstione, an detur actus indifferens in individuo, quæ inter ipsos Catholicos Doctores agitatur, D. A. Quælibet actio moralis fit ex amore Dei naturali vel supernaturali, C. A. Ex amore Dei supernaturali, vel ex amore mundi, N. A. & Conseq. Actio moralis potest ab homine referri ad Deum tamquam authorem naturæ, quin ad Deum referatur tamquam authorem gratiæ & gloriæ: quo casu quamvis actio illa non sit meritoria vitæ æternæ, erit tamen naturaliter honesta, atque ex amore Dei naturali proficiscens, non ex amore mundi. Equidem Bajus distinctionem hanc amoris Dei naturalis & supernaturalis improbavit; at merito proscripta fuit propositio ejus XXXIV. *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.* Præterea non omne id, quod fit ex amore creaturæ, vitiosum est, nisi fiat ex amore inordinato; secus nec parentes, nec charissimos quosque diligere liceret affectu quodam naturali.

360. Dices III. Omne bonum oritur a Deo. Atqui nulla Infidelium actio oritur a Deo. Ergo nulla Infidelium actio est bona. P. m. Omnis Infidelium actio est prorsus inutilis. Ergo non oritur a Deo. Ergo non est bona, quia nullum opus bonum est inutile. R. D. M. Omne bonum oritur a Deo tamquam authore gratiæ vel naturæ, C. M. A Deo tamquam authore gratiæ, N. M. Et sic dist. minore, N. C. Ad *prob.* D. A. Est prorsus inutilis ad vitam æternam promerendam, C. A. Ex omni parte inutilis, N. A. Infidelis per actum naturaliter honestum satisfacit præcepto legis naturalis, peccatum pœnamque illi debitam vitat, minus in-

dignum

dignum misericordia Dei se præbet, ac denique præmium temporale promereri potest.

Neque paritas. 361. Objic. IV. Paritas. Dæmones non possunt elicere opus moraliter bonum. Ergo nec homines in statu naturæ lapsæ possunt illud elicere, nisi adjuventur a gratia. R. C. A. N. C. Dæmones sine ulla intermissione Deum actu oderunt, atque omnia quæ ad Deum pertinent: unde quidquid agunt, illud necessitate consequente agunt ex affectu displicendi Deo, & hominibus nocendi; atque ita necessario, necessitate nimirum consequente hoc odium, in actibus suis omnibus peccant, cum sint obfirmati in actuali odio Dei. Homines autem in hac vita, etiamsi infideles & perditissimi, non semper actu Deum & proximum oderunt, neque ex hoc odio semper operantur.

Aut Sequela. 362. Objic. V. Sequela. Si homo infidelis posset bonum aliquod morale suis viribus facere, sequeretur Imo post Adæ peccatum in natura humana remansisse aliqua virtutum semina. Atqui id dici nequit, cum hoc ipsum in Joanne Cassiano reprehenderit S. Prosper Lib. contra Collatorem, Cap. XIII. IIdo Sequeretur, in statu naturæ lapsæ hominem libertatem ad bonum habere sine gratia. III. Opus moraliter bonum esse etiam meritorium vitæ æternæ; quia in opere morali ex omni parte bono nihil deesse videtur, quo minus homo per illud possit ad vitam æternam pervenire. IV. Deum non magis concurrere ad opera bona, quam ad mala, siquidem ad bonum opus morale sufficit auxilium Dei generale. R. ad I. D. M. Sequeretur in natura humana remansisse aliqua semina virtutum in sensu Catholico, C. M. In sensu Semipelagianorum, N. M. Per semina virtutum non intelligimus cum Semipelagianis, quos loco cit. refellit S. Prosper, bonas cogitationes & pia desideria, quibus homo præparatur ad gratiam; sed rectæ rationis lumen, & naturalem voluntatis propensionem ad prosequendum honestum, & inhonestum aversandum, saltem quando gravis in oppositum non urget tentatio. Ad II. D. A. Sine gratia hominem habere libertatem

ad

ad bonum ſupernaturale, quo bene justeque vivitur, & ad vitam æternam pervenitur, N. A. Ad bonum mere naturale, C. A. Ad III. N. A. Opus morale ac naturaliter honestum, quamvis ex omni parte ſit bonum, meritorium eſse nequit vitæ æternæ, quia motivo ſupernaturali destituitur, atque ad finem ſupernaturalem non ordinatur. Ad IV. N. A. Et quidem quod Deus magis concurrat ad opera bona meritoria vitæ æternæ, quam ad mala, perspicuum est ex eo, quia ad illa concurrit gratiam ſuam tribuendo, ſine qua nullum quidem opus ſalutare, ſed tamen actio peccaminosa elici potest. Quod vero ad opera bona, etiam naturaliter tantum honesta, magis concurrat quam ad mala, licet ad illa majus auxilium ſæpe non conferat; patet ex eo, quia Deus ad bonum concurrit illud præcipiendo vel consulendo: ad malum autem nulla ratione moraliter concurrit.

ARTICULUS II.

DE JUSTIFICAITONE IMPII.

CONTROVERSIA I.

AN IN JUSTIFICATIONE IMPII VERA FIAT PECCATORUM REMISSIO?

CONTRA PROTESTANTES.

Quid ſit juſtificatio?

363. *Juſtificatio* nihil aliud est quam mutatio, qua quis ex impio ſeu peccatore fit justus. Tridentinum Seſs. VI. Cap. IV. eam definit: *Translatio ab eo ſtatu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam* JESUM *Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Quæ quidem verba, etsi ſolam illam justificationem innuant, qua quis a primigenia labe per baptismi ſusceptionem purgatus, gratiæ compos redditur; ad eam tamen quæ in Sacramento Pœnitentiæ obtinetur, facile accommodari poſſunt. Loquitur autem de hac ipsa Tridentinum Seſs. VI. Cap. XIV, ubi ait: *Qui vero ab accepta juſtificatio-*

eationis gratia per peccatum exciderunt, rursus juſtificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſsam gratiam recuperare procuraverint. Atque hæc, quæ fit per transitum a non eſse justitiæ, aut etiam a ſtatu peccati ad ſtatum justitiæ, dicitur *prima juſtificatio;* ſecunda vero est accretio, ſeu augmentum justitiæ, juxta illud Apocalypsis Cap. XXII. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Augmentum justificationis mereri poſsumus de condigno, non vero primam justificationem.

Quid gratia ſanctificans?

364. Gratia ſanctificans, qua impius justificatur, est ſupernaturale Dei donum, intrinsece inhærens per modum habitus, quo homo formaliter redditur ſanctus, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ. Singula definitionis verba pluribus controversiis adversus Protestantes tuebimur. Dicitur I. *Supernaturale Dei donum*, ut ſignificetur, gratiam ſanctificantem non eſse ipsummet Spiritum Sanctum; ſed ab ipso emanare, tamquam effectum a causa. II. *Intrinsece inhærens per modum habitus*, ut denotetur gratiam ſanctificantem eſse quid permanens, atque homini intrinsecum; non vero extrinsecum Dei favorem, quo illi imputantur merita & justitia Christi. III. *Quo homo formaliter redditur ſanctus, Deo gratus &c.* His verbis explicantur effectus gratiæ ſanctificantis; hæc enim hominem vere constituit justum, delendo peccata, & cor lapideum ab eo removendo: Sanctum, immunem eum ab omni peccato gravi ſervando, hominemque inclinando ad omnia quæ Deo ſunt placita: Deo gratum, reddendo hominem divinæ voluntati conformem, ac filium Dei adoptivum, juxta illud I. Joan. Cap. III. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus:* denique hæredem vitæ æternæ, juxta illud ad Rom. Cap. VIII. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

Sectariorum errores.

365. Lutherus & Calvinus magno ſtudio contendunt, in baptismo, aut quandocunque homo per fidem ſpecialem apprehendit justitiam Christi, ſicque juxta ipsos justificatur, non ablui, non deleri, non auferri

pecca-

peccata personalia, atque ipsum etiam originale, sed tantum tegi per merita & justitiam Christi; quia Deus intuitu hujus justitiæ per fidem apprehensæ, illa peccata non imputat ad culpam & pœnam, ceditque jure suo ad irascendum peccatoribus, illosque puniendos, quamvis macula peccati adhuc in illis remaneat. Volunt itaque peccata in hac providentia & rerum ordine remitti solum per condonationem extrinsecam, seu meram non imputationem, ita ut in peccatore nulla fiat mutatio intrinseca, sed revera maneat in ipso id, quod habet propriam & veram rationem peccati, verumque sit dicere, *manet peccatum, sed condonatum & remissum.*

366. Conclusio. Peccata in justificatione vere tolluntur ac delentur, ita ut homo post justificationem non amplius maneat injustus & peccator. Prob. Imo Authoritate Scripturarum, ex quibus multiplex argumentum depromitur. Joannis Cap. I. dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Act. Cap. III. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ad Hebr. Cap. IX. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Micheæ Cap. VII. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ex quibus hoc argumentum instruitur. Id quod tollitur, deletur, exhauritur, & longissime projicitur, non manet in homine. Sed in justificatione peccatum tollitur, deletur, & longissime ab homine projicitur. Ergo peccatum non manet in homine justificato. IIdo. Quando maculæ, sordes, & inquinamenta corporis eluuntur, absterguntur & mundantur per externam lotionem, tunc certe non manent in corpore, sed evanescunt: neque corpus dicitur amplius maculatum, sordidum, inquinatum; sed mundum, purum, immaculatum. Ergo etiam pari ratione quando maculæ, sordes & inquinamenta animæ, quæ sunt peccata, per internam lotionem eluuntur, absterguntur, & mundantur, quod fit in justificatione, non amplius manent in anima, sed omnino disparent: neque anima dici amplius potest maculata, sordida, inquinata. Atqui Scriptura ait

In justificatione vere tolli peccata, ac deleri, ex Scripturis ostenditur.

ait elui, abstergi, mundari peccata. Ergo. P.m. Ezechielis Cap. XXXVI. dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* I. Ad Cor. Cap. VI. *Hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed justificati estis.* I. Joan. Cap. I. *Sanguis Christi, Filii ejus, emundat nos ob omni peccato.* Apocalypsis Cap. I. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* III. Qui a corporis vinculis, funibus & catenis, quibus constrictus erat, plane eximitur & liberatur, is certe non retinet illa in suis membris, nec amplius circumfert. Ergo similiter qui a spiritualibus vinculis, funibus & catenis, quæ sunt peccata quibus homo constrictus & captivus erat sub potestate satanæ, eximitur & liberatur, is apud se non amplius retinet ejusmodi vincula, neque ea secum circumfert. Atqui ab his vinculis homo eximitur, quando justificatur, juxta illud Psal. CXV. *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ad Rom. Cap. VI. *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo.* Ad Colos. Cap. I. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.* IV. Serpens æneus Numer. Cap. XXI. in deserro a Moyse erectus, Israelitas a venenatis serpentum morsibus liberavit, curavit, sanavit. Ergo multo magis Christus, quem serpens ille æneus significabat, homines a peccatis liberat, eosque præsentissimo gratiæ suæ pharmaco pristinæ sanitati restituit, non occultatis, sed depulsis omnino atque extinctis animæ morbis.

Patribus. 367. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Augustinus in Enchiridio. Cap. LII. scribit: *Quemadmodum in illo* (Christo) *vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.* S. Cyrillus Alexandr. Lib. VII. contra Julianum: *Sicut ad argentea vasa accedens ignis sordes illis insitas abstergit, eodem sane modo etiam divini Spiritus vis, tamquam ignis qui in nostras immittitur animas, mente scilicet & divino modo ab omni nos macula liberat, & urget quodammodo naturam in omne no-*

bis

bis contrarium opus. S. Chrysostomus in Cap. XIX. Act. Apostol. *Illa quæ conflatorio committuntur, cum flamma fuerint renovata, omnem maculam præteritæ fœditatis amittunt, & nunc primum confectis non dissimilia proferuntur, æquali fulgore micantia. Ut igitur statuam auri metallo confectam, fumo, pulvere, & æruginis sordibus coinquinatam cum artificis manus acceperint, renovant fornacis ardore, & splendidam nobis lucidamque demonstrant: ita & nostram noturam Deus æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam, & omni pulchritudine quam primo ei donaverat, denudatam in illos aquarum fontes tamquam in purgatorium mittit, & pro flamma Spiritus gratiam subministrat, & exinde, rudes effectos, etiam solis radiis elevat clarius lucentes, veterem hominem conterens.* S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. XXXIX. ad Theotistam Patriciam: *Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori: quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit, Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.*

368. Prob. III. Authoritate Conciliorum. Tridentinum Sess. V. Can. V. ait: *Si quis per JESU Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* *Conciliis.*

369. Prob. IV. Ratione Theoligica, quam fuse explicat Card. Stanislaus Hosius Institutionis Catholicæ Cap. LXXI. Si tanta fuit vis peccati, quod a primo Adam patratum est, ut vere nos peccatores & injustos constitueret ac culpæ reos; justitiæ Christi *Ac ratione Theologica.*

ſecundi Adam tanta vis erit, ut ea nos vere justos conſtituat, non apparenter tantum & imputative, nisi adversarii nimium quantum meritis Christi derogare velint, & Apostolum mendacii arguere, qui ad Rom. Cap. V. ſcribit: *Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Chriſti in plures abundavit.* Profecto verisimile non est, Filium Dei propterea carnem induiſse, ac Patri factum eſse obedientem usque ad mortem Crucis, ut nos imputatione tantum, non autem vere justos faceret; præcipue cum Patrem paulo ante mortem ſuam rogaverit Joan. Cap. XVII. *Sanctifica eos in veritate:* quæ preces minime exauditæ fuiſsent a Patre, ſiquidem in justificatione, vera non fieret peccatorum remiſsio.

Gratia ſanctificans nequit ſimul eſse cum peccato gravi.

370. Quæres I. An gratia ſanctificans ita peccatum mortale excludat: ut de potentia Dei absoluta nequeat ſimul eſse cum eo? R. probabilius affirmative; quia gratia ſanctificans, cum ſit ſumma quædam naturæ divinæ participatio, tribuens animæ pulchritudinem divini ordinis, eamque intime ac perfecte cum Deo conjungens, est forma per ſe eſsentialiter constituens hominem Dei amicum & filium adoptivum. Atqui repugnat talem formam ſtare ſimul cum peccato mortali: nam repugnat eumdem hominem eſse ſimul Dei amicum & inimicum, hæredem vitæ æternæ, & obnoxium damnationi æternæ. Ergo.

Realiter non diſtinguitur ab habitu charitatis.

371. Quæres II. An gratia ſanctificans ſit aliquid realiter distinctum ab habitu charitatis? R. probabilius negative. Rationes id negandi ſunt, I^mo. Scriptura omnes effectus gratiæ ſanctificantis tribuit charitati, aitque, quod nimirum charitas peccatum expellat, hominem reddat Deo gratum, & filium adoptivum Dei. Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Joannis Cap. XIV. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum.* I. Joannis Cap. IV. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Et v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* II^do. S. Augustinus Lib. XV. de Trinitate, Cap.

Cap. XVIII. de charitate ait: *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Solum eſt, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* Et Lib. de Natura & Gratia, Cap. LXX. *Charitas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* III. Tridentinum quamvis quæstionem hanc mere ſcholasticam decidere noluerit, haud obscure tamen favet aſsertioni nostræ Seſs. VI. Cap. VII, ubi explicans quænam ſit formalis causa justitiæ inhærentis, ſeu gratiæ ſanctificantis, ait: *Quamquam enim nemo poſſit eſse juſtus, nisi cui merita paſsionis Domini noſtri Jesu Chriſti communicantur: id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejusdem Sanctiſsimæ paſsionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipsis inhæret.* Ergo juxta Tridentinum homo justificatur hoc ipso quod charitas Dei diffunditur in corde ejus. Et Seſs. VI. Can. IX. *Siquis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſsione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, --- anathema ſit.* Ubi Concilium, ut indicet gratiam ſanctificantem & charitatem eſse unam rem, utitur ſingulari numero, *diffundatur, atque illis inhæreat.* IV. Nulla datur neceſsitas distinguendi realiter habitum charitatis a gratia ſanctificante; habitus enim charitatis ſufficit, ut homo ſanctificetur, renovetur interius, inseratur Christo, & vivum ejus membrum efficiatur. Quare gratia habitualis & charitas ratione quidem distinguuntur, eoquod conceptus habeant formaliter diversos; realiter vero minime distinguuntur. Quamvis autem in justificatione infundantur etiam alia dona, v. g. habitus fidei & ſpei, neutiquam ex eo ſequitur, hos habitus cum gratia ſanctificante identificari: infunduntur enim tamquam comites charitatis, atque ad eam requisiti, non autem ut constituentes cum charitate totam eſsentiam physicam gratiæ ſanctificantis, ut vel ex eo patet, quod

gratia ſanctificans ſecundum ſe totam remaneat in patria; habitus autem fidei & ſpei non remaneant.

Argumenta contraria refutantur.

Perperam nobis objicitur authoritas Scripturarum.

372. Objic. I. Authoritas Scripturarum. Psal. XXXI. dicitur: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ezechielis Cap. XXXIII. *Omnia peccata ejus quæ peccavit,* (impius) *non imputabuntur ei.* Ad Rom. Cap. IV. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo peccata hominis in juſtificatione non delentur, ſed teguntur. R. Imo. Scriptura, ut in probatione oſtendimus, plurimis in locis ait, peccata noſtra tolli, deleri, mundari. Ergo non ſolum teguntur, verum etiam tolluntur, ac delentur. R. IIdo. C. A. N. C. Tegi & non imputari etiam illud dicitur, quod omnino deletur. Atque hoc modo, reſpectu Dei oculatiſsimi judicis, tegi dicitur id quod non amplius exiſtit; aliud enim nihil poteſt eſſe tectum & occultum divinis oculis. Hinc S. Auguſtinus tegi & aboleri peccata pro eodem accipit; Enarratione enim II. in Pſal. XXXI. ſcribit: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: non in quibus non ſunt inventa peccata, ſed quorum tecta ſunt peccata. Cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt. - - - Nec ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.* Ad reliquos textus eadem eſt reſponſio. Peccata impio non imputantur, quia per pœnitentiam abolita & deleta ſunt.

Infirmitas probationis noſtræ.

373. Objic. II. Infirmitas probationis noſtræ ex Scripturis petitæ. Peccata citatis Scripturarum locis dicuntur tolli, auferri, projici, deleri, per metaphoram nempe; quia id, quod non amplius imputatur, quod eſt remiſſum & condonatum, ita ſe habet quaſi non amplius exiſteret. Ergo ex locis illis non evincitur, post juſtificationem non remanere maculam in peccatore. R. N. A. Hæc enim interpretatio detorquet Scripturam a ſenſu proprio ad improprium, contra Sanctorum Patrum expoſitionem, contra uſum & ſenſum

sum totius antiquæ Ecclesiæ: evertit paritatem illam, quam Scriptura instituit inter ablutionem factam aqua baptismatis: destruit naturam justificationis, quæ non nuda remissio peccati est, sed etiam vivificatio, regeneratio, ac participatio divinæ naturæ. Hæc autem in peccatore numquam locum haberent, siquidem remanerent peccata, & solum tegerentur, cum per talem condonationem extrinsecam peccator non fieret positive justus.

Authoritas Augustini.

374. Objic. III. Authoritas S. Augustini, quem Lutherus in Assertione Articuli II. his verbis adducit: *Concludamus ergo cum pulcherrimo verbo Augustini. Peccatum, inquit, remittitur in baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur.* Lutherum imitatus est Melanchton in Apolog. Confess. Augustanæ, Artic. II. scribens: *Ad eundem modum loquitur Augustinus, qui ait: Peccatum in baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Hic saltem fatetur esse, hoc est, manere peccatum, tametsi non imputetur.* R. Textum Augustini a Luthero & Melanchtone flagitiose corruptum fuisse. Libro enim I de Nuptiis & Concupiscentia, Cap. XXV. scribit: *Ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.* Ex quo manifestum est, Lutherum & Melanchtonem, ut probarent peccatum esse ipsam concupiscentiam, & peccatum remanere post baptismum, loco vocis *concupiscentia* substituisse vocem *peccatum.* Quasi vero idem foret, remanere post baptismum concupiscentiam, & remanere peccatum. Neque obstat, quod Augustinus dicat, concupiscentiam non imputari in peccatum: non enim potest inferri, eam esse peccatum. Nam juxta S. Doctorem in peccatum non imputari idem est, ac reatum illius tolli; & tolli reatum idem est ac tolli peccatum, ut Lib. cit. Cap. XXVI. asserit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.*

CONTROVERSIA II.

AN HOMO FORMALITER JUSTIFICETUR PER SOLAM REMISSIONEM PECCATORUM, AN PER JUSTITIAM DEI, AUT CHRISTI, VEL PER JUSTITIAM INHÆRENTEM, QUÆ DICITUR GRATIA SANCTIFICANS?

CONTRA PROTESTANTES.

Status quæstionis.

375. Præsens quæstio agitatur de causa tantum formali, seu de ipsa justitia formali, per quam homo est, & dicitur justus. Sicut enim quærenti, per quid homo fit & dicatur sapiens, sanus, doctus, &c. respondemus, per sapientiam, sanitatem, ac doctrinam: ita etiam quærenti, per quid homo formaliter fit, & denominentur justus, respondemus, per justitiam. De hac ergo justitia, seu forma, quæ hominem constituit & denominat justum, litigatur inter Catholicos & Protestantes, quid a parte rei sit, & in quo consistat.

Errores Sectariorum.

376. Andreas Osiander docuit, formalem causam justificationis nostræ esse illam ipsam justitiam, qua Deus essentialiter justus est. Lutherus, ejusque asseclæ, volunt justitiam formalem consistere tum in remissione peccatorum, tum in imputatione justitiæ Christi extrinseca; quæ duo vel realiter idem esse, vel saltem separari ab invicem non posse judicant. Cum enim peccator per fidem fiducialem apprehendit justitiam & merita Christi, Deus in ipsorum systemate remittit peccatori, seu potius non imputat peccata, simulque imputat illi justitiam Christi: sicque justus a Deo habetur, eo fere modo, quo filius capitalis criminis reus in foro judiciali humano, ob præclara merita sui parentis, quæ pro obtinenda criminis venia allegat, absolvitur, justusque declaratur. Ajunt itaque nostram justitiam esse mere extrinsecam & alienam, nempe Christi, nobis imputatam, qua sola munitus, absque ulla justitia inhærente, peccator coram Deo consistere queat. Concedunt præterea in ipsa renovatione hominis, quæ pariter inseparabilis est a justificatione, infundi a Deo dona aliqua supernaturalia, nempe

pe charitatem, ſpem, aliasque virtutes: hanc tamen donorum infusionem, justificationem eſse primam ac formalem negant, ſed aliquid tantum concomitans & adjunctum. Calvinus admittit quidem cum Lutheranis, non eſse in nobis ullam inhærentem justitiam, ſed tantum nobis imputari justitiam Christi, ac propter eam condonari peccata; proprie tamen in ipsa peccati remiſsione ſitam eſse docet justificationem: existimat enim nomen justificationis eſse forense, neque aliud eſse justificare, quam justum pronuntiare.

Catholicorum doctrina.

377. Catholica Ecclesia docet I^mo, ſolam justitiam Christi eſse causam meritoriam primæ nostræ justificationis; nullum enim in peccatore est meritum, ſed Christi infinita merita ſola ſunt, propter quæ, & per quæ homo justificatur. II^do docet, quando Deus intuitu meritorum Christi nos justificat, non tantum imputare extrinsece nobis justitiam Christi, ſed infundere etiam hominum mentibus donum aliquod gratuitum, nimirum justitiam formalem, ſeu gratiam ſanctificantem, & quidem unice propter merita Christi, non autem propter merita ipsius peccatoris, quæ nulla ſunt: atque ita, ut peccata verè deleantur, & homo vere justus ſit, ac ſanctificatus coram Deo. Quare ut totum hoc justificationis negotium explicetur, juxta Catholicos causa efficiens justificationis est miserecors Deus: moralis ſeu meritoria est Christus: instrumentalis ſunt Sacramenta: materialis, est anima hominis justitiam in ſe recipiens: formalis, est gratia ſanctificans animæ inhærens: finalis, est gloria Dei & Christi, ac nostra ſalus. Denique causa dispositiva, quam etiam meritoriam de congruo dicere poſsumus, in homine adulto ſunt actus variarum virtutum, fidei, timoris Domini, ſpei, contritionis, aliæque dispositiones ad justificationem requisitæ.

Formalis causa justificationis noſtræ non eſt justitia Dei eſsentialis.

378. Conclusio I. Formalis causa justificationis noſtræ non est justitia Dei eſsentialis ac divina. Prob. contra Osiandrum hæc Conclusio I^mo. Authoritate Scripturæ. Apostolus ad Galatas Cap. V. ſcribit: *Non enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus. Nam in Chri-*

Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per charitatem operatur. Ex quo ſic argumentor. Juxta Apostolum fides nostra per dilectionem operans, est illa justitia per quam justificamur. Atqui fides nostra per dilectionem operans, non est justitia Dei eſsentialis & divina. Ergo justitia Dei eſsentialis ac divina non est justitia, per quam justificamur. II^do. Authoritate S. Augustini, qui Lib. de Spiritu & littera, Cap. IX. ſcribit: *Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus: ſic & illa juſtitia Dei, non qua juſtus eſt Deus.* Et Epist. CXL. alias CXX. ad Honoratum, Cap. XXX. *Ignorantes Dei juſtitiam, qua nos ex ejus gratia juſti ſumus: ut ipsa juſtitia ejus nos ſimus, cum juſte vivimus, credentes in eum qui juſtificat impium; non illa qua ipse juſtus eſt æterna ſua & incommutabili juſtitia.* III. Ratione. Si eſsemus justi justitia Dei eſsentiali nos inhabitante, eſsemus omnes æque justi ac ipse Christus. Si enim Deus, ut vult Osiander, nullam aliam justitiam acceptat, quam ſuam eſsentialem, Christus aliter justus eſse non potuit, quam per hanc ipsam Dei justitiam. Atqui hoc dici non potest, nos eſse tam justos ac ipse Christus. P. m. Joannis Cap. I. de Christo dicitur: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ergo. Præterea homo vere denominari non potest justus a forma extrinsecus denominante, ſed ſolum ab inhærente. Ergo si eſsentialis Dei justitia, quæ nobis mere extrinseca est, formalis eſset causa justificationis nostræ, nullus hominum eſset vere ac proprie justus, quod ſalva Scripturarum authoritate dici nequit, quæ Abel, Noe, Zachariam, S. Josephum B. M. V. Sponsum, absolute justos vocant.

Nec ſola remiſsio peccatorum.

379. Conclusio II. Formalis causa justificationis nostræ non est ſola remiſsio peccatorum. Prob. Conclusio hæc contra Calvinum I^mo Authoritate S. Augustini, qui Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum ſcribit: *Neque -- quisquam liberatur & juſtificatur, niſi gratia Dei per* JESUM *Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum*

lum remiſsione peccatorum, ſed prius ipsius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu. II^do^ Ratione Theologica fundata in Scripturis. Non omnes justi ſunt in justitia æquales: forent autem omnes æquales, si justificatio haberetur formaliter per ſolam remiſsionem peccatorum. Præterea omnes justificati, teste Scriptura, ſunt filii Dei adoptivi, hæredes regni cœlestis, consortes divinæ naturæ: quæ omnia per ſolam remiſsionem peccatorum non poſsunt formaliter causari, nisi inſundantur alia dona, ob quæ homo dignus tam insignibus titulis habeatur. Simile quid in forensi judicio quotidie videmus; qui enim a judice absolvuntur, eripiuntur quidem a morte, ſed non consequuntur nova præmia ex eo capite, quod judicentur non fuiſse, aut non eſse rei.

380. Conclusio III. Formalis causa justificationis nostræ non est imputatio justitiæ Christi. Prob. Conclusio contra Lutheranos I^mo^ argumento negativo; nullum enim aſsertionis ſuæ fundamentum ostendere poſsunt Lutherani ſive in Verbo ſcripto, ſive in Verbo tradito, nullaque datur neceſsitas hujus imputationis. II. Argumentis positivis, quibus paulo inferius ostendimus, justitiam nostram formalem inhærentem eſse. III. Ratione Theologica multiplici. I^ma^ est. Si formaliter justificaremur per justitiam Christi nobis extrinsecam, tunc etiam formaliter eſsemus ſancti, ſapientes, redemptores, per ſanctitatem, ſapientiam, & redemptionem Christi nobis imputatam; quia de Christo ſcribit Apostolus I. ad Cor. Cap. I. *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* II^da^ Christus id nobis restituit, quod perdideramus in Adamo, ut docent S. Irenæus Lib. III. adv. Hær. Cap. XX. & S. Augustinus Lib. VI. de Genesi, Cap. XXIV. Atqui perdidimus in Adamo non imputatam, ſed veram justitiam inhærentem, per quam vere ſimiles eramus Deo. Ergo per Christum veram justitiam, & ſimilitudinem Dei intrinsecam, non tantum exterius imputatam recepimus. III. Nemo denominari potest doctus ac ſapiens per doctrinam & ſapientiam

Nec juſtitia Chriſti nobis imputata.

entiam ſibi extrinsecam, & alteri inhætentem. Ergo etiam nemo denominari potest justus per justitiam alienam, ſibique extrinsecam. Profecto qui Æthiopem veste candida indutum, hominem vocaret album, omnium judicio falsum diceret. Ergo a pari, qui hominem justitia Christi indutum vocaret justum, falsum diceret. IV. Vel per imputationem juſtitiæ Christi homo fieret vere ac proprie justus, vel tantum improprie ac tropologice? Non posterius: quia Scriptura multos vocat justos & ſanctos, vere utique ac proprie, non tropologice; & Christus Joan. Cap. XVII. ait: *Et pro eis ego ſanctifico me ipsum, ut ſint & ipsi ſanctificati in veritate.* Neque primum ab adversariis dici potest: nam si imputatio justitiæ Christi nos formaliter justos redderet, Christus, in quem transtulit Pater omnes iniquitates nostras, per imputationem injustitiæ nostræ factus fuiſset formaliter injustus & peccator vere ac proprie talis; quia ſicut formaliter eſse justum, est vere ac proprie eſse justum: ita formaliter eſse injustum ac peccatorem est vere ac proprie eſse injustum ac peccatorem. Atqui hoc ſine enormi blasphemia de Christo dici nequit: manifeste enim id ſanæ rationi, & divinis Scripturis repugnat, quæ Christum innocentem, ſanctum, impollutum, ſegregatum a peccatoribus ubique prædicant, eumque ſemel tantum *peccatum* & *maledictum* per tropum vocant, quia hostia fuit pro peccato & maledictis, ac pœnis graviſsimis idcirco ſubjectus; nullibi vero eum peccatorem aut injustum nominant.

Sed juſtitia inhæreus.

381. Conclusio IV. Impius formaliter justificatur per justitiam inhærentem, ſeu gratiam justificantem, qua interius renovatur, & fit intrinsece justus. Prob. Conclusio hæc dogmatica I^mo^ Authoritate Scripturarum, quæ triplex argumentum nobis ſuppeditant. Nam I. Scripturæ ſæpius aperte docent, justitiam & gratiam illam qua justi ſumus, eſse aliquid permanens, & quasi derivatum a justitia Christi, quod proinde ſit ab illa distinctum. Joan. Cap. I. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. - - - Gratia & veri-*

veritas per JESUM *Christum facta est.* Ad Titum Cap. III. *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Ad Ephes. Cap. IV. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* II^do. Alii Scripturarum textus indicant, gratiam per quam homo justus est, esse nunc majorem, nunc minorem, & posse augeri, ut II. Petri Cap. III. *Crescite vero in gratia.* Apocalyp. Cap. XXII. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.* III. Apostolus ad Rom. Cap. V. scribit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis; peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui per inobedientiam Adami constituti sumus injusti, injustitia vera, reali ac propria, non tantum imputata. Ergo per obedientiam Christi constituimur justi, justitia vera, reali, propria, nobisque inhærente ac intrinseca. Præterea in Scripturis justificatio nostra dicitur renovatio mentis, regeneratio, participatio divinæ naturæ: regeneratio autem & renovatio dicunt intrinsecam mutationem, id est, gratiam inhærentem, per quam impius ex filio diaboli fit filius adoptivus Dei.

382. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Gregorius Nazianz. Orat. in Sanctum Baptisma scribit: *Quemadmodum nos primum Deus creavit, ita creatos restauravit ac refinxit; & quidem figmento diviniore, primumque figmentum multis partibus superante: quod ut vitæ cursum ingredientibus est signaculum, ita etiam iis qui adultiore ætate sunt, gratia etiam est, collapsæque imaginis erectio.* S. Ambrosius Lib. de Mysteriis, Cap. VII. alloquens baptizatum, *Accepisti post*, inquit, *hæc vestimenta candida, ut sint indicium, quod exueris involucrum peccati, indueris innocentiæ casta velamina.* S. Augustinus Enarratione in Psal. XCVIII. *Laudemus illum, exaltemus illum, qui fecit ipsam justitiam, quam habemus, ipse in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit justitiam nisi qui nos justificavit? De Christo autem dictum est, Qui justificat impium. Nos ergo impii, ille justificator, quando & ipsam justitiam ipse in nobis fecit, qua illi placeamus.*

Et

Et Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXXII. *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipse diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut juſtitia Dei, qua juſti ejus munere efficimur; & Domini ſalus, qua nos ſalvos facit: & fides* JESU *Chriſti, qua nos fideles facit.*

383. Prob. III. Authoritate Tridentini, quod Seſs. VI. Can. X. definit: *Siquis dixerit, homines ſine Chriſti juſtitia, quam nobis meruit, juſtificari, aut non per eam ipsam formaliter juſtos eſse; anathema ſit.* Can. XI. *Siquis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vèl ſola peccatorum remiſsione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſse tantum favorem Dei; anathema ſit.*

384. Prob. IV. Ratione Theologica. Deo eſse gratum & ſanctum eo modo, quo de facto homines justi & Angeli ſunt grati, est eſse amabilem Deo amore non qualicunque, ſed veræ amicitiæ, & quidem in ordine ad conferenda dona ſupernaturalia. Atqui amor amicitiæ ſupponit in eo qui amatur proportionem & condignitatem, adeoque aliquod bonum, ratione cujus ſic ametur. Ergo si Deus amat homines ut amicos, aliquid videt in illis, ratione cujus ſint amabiles. Ergo in illis videt pulchritudinem aliquam ſpiritualem, qua interius in anima decori ſunt atque amabiles: nemo quippe pulchritudine aliena pulcher est. Ergo est aliquid intrinsecum in homine, ratione cujus Deo gratus reddatur.

Habitualis & permanens.

385. Quæres, an justitia, qua formaliter juſtificamur, habitualis ſit an actualis? R. habitualem eſse & permanentem. Aſsertio hæc si non omnino de fide, ſaltem ita certa est, ut illi opposita merito ab omnibus censeatur temeraria & erronea. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Joan. Cap. XIV. v. 16. ait Christus: *Alium Paraclitum dabit vobis*, (Pater) *ut maneat vobiscum in æternum.* v. 17. *Apud vos manebit*, (Spiritus Sanctus) *& in vobis erit.* I. ad Cor. Cap. VI. *An nesci-*

nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est? Ergo permanet in justis donum aliquod Spiritus Sancti, cum mansio & habitatio dicant aliquid permanens, & Spiritus Sanctus quoad substantiam sit ubique propter divinam immensitatem, etiam in impiis. Atqui hoc donum Spiritus Sancti est gratia sanctificans. Ergo gratia sanctificans est aliquid permanens. Præterea gratia sanctificans Matth. Cap. XXII. comparatur vesti nuptiali, Lucæ Cap. XV. stolæ primæ, & annulo, quæ utique sunt quid permanens. I. Joan. Cap. III. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet.* Atqui semen illud divinum est justitia, seu gratia sanctificans. Ergo gratia sanctificans est quid permanens & habituale, non actus.

386. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Viennense Oecumenicum anno 1311. celebratum, ut habetur in Clementina I. de Summa Trinitate, statuit eam opinionem esse recipiendam, quæ asserit infundi in baptismo, tum parvulis tum adultis, habitus gratiæ & virtutum: *Verum, quia quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis e contra asserentibus, quod & culpa iisdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunditur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus boptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam ac concordem, Sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Tridentinum Sess. VI. Cap. VII. ait: *Itaque veram & Christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum JESUM illis donatam, candidam & immaculatam*

immaculatam jubentur ſtatim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini JESU *Chriſti, & habeant vitam æternam.* At nemo jubetur conservare actus qui ſtatim transeunt, nec tam diu conservari poſsunt: Ergo juxta Tridentinum gratia ſanctificans est habitualis ac permanens. Eadem Synodus Seſs. V. in Decreto de peccato originali absolute definit, parvulos per baptismum innocentes effici, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Atqui parvuli non ſanctificantur per actum aliquem, cum ſint omnis actus moralis incapaces. Ergo ſanctificantur per gratiam habitualem & permanentem. Ergo pari modo etiam adulti justificantur per gratiam habitualem, cum unica ſit pro omnibus causa formalis justificationis. Eadem est doctrina Catechismi Romani, juſsu Concilii Tridentini editi, in quo Parte II. Cap. II. de Baptismo Num. L. dicitur: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decrevit, non ſolum per quam peccatorum ſit remiſsio, ſed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & ſplendidiores reddit.*

387. Prob. III. Ratione Theologica. Fideles ſunt justi, non ſolum cum bene ac meritorie operantur, ſed etiam cum dormiunt, aut nihil agunt quod ad vitam æternam conducat. Ergo justitia, qua formaliter justificamur, non est actualis, ſive non consistit in exercitio actuum meritoriorum vitæ æternæ; ſed habitualis est, consistens in immunitate a peccato mortali, atque in gratia ſanctificante habituali, qua reddimur filii Dei & amici, atque permanenter habiles ad exercendos actus ſupernaturales vitæ æternæ meritorios. Præterea justitia inhærens habitualis est neceſsaria, non quidem absolute, ſed ſecundum convenientem providentiam & legem ordinariam, ad hoc ut habeamus principia intrinseca proportionata actibus ſupernaturalibus, atque ita ſimus intrinsece ac permanenter habiles ad actus illos modo connaturali exercendos.

Argu-

Argumenta contraria refutantur.

388. Objic. I. contra I^mam Conclusionem, Authoritas Scripturæ. II. ad Cor. Cap. V. dicitur de Deo: *Dum*, (Christum) *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ergo justi sumus justitia Dei essentiali, nos inhabitante per merita Christi. R. C. A. N. C. Sensus illius loci est, Christum a Deo Patre factum esse hostiam pro peccatis nostris, ut propter ejus merita efficeremur justi justitia Dei, non qua ipse Deus justus est, sed qua nos intrinsece justos facit. Quæ justitia nobis inhærens, dicitur justitia Dei, quia nobis a Deo donatur, & nos vere justos coram Deo facit, ut docet S. Augustinus Tract. XXVI. in Joan. his verbis: *Justitia Dei dicitur, non qua Deus justus est, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum.* *Scriptura nec Osiandro.*

389. Objic. II. contra II^dam Conclusionem, eadem Scripturarum authoritas. Scriptura in illis locis, in quibus ex instituto agit de justificatione formali, eam definit per solam remissionem peccatorum. Ergo justificatio formalis consistit in sola remissione peccatorum, non vero in gratia habituali inhærente. P. A. Psal. XXXI. dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* II. ad Cor. Cap. V. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Ad Rom. Cap, V. *Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* R. N. A, ut patet consideranti ea Scripturarum loca, quibus IV^tam Conclusionem confirmavimus. Ad I^mum textum R, non poni ibi integram definitionem justificationis, sed denotari solum aliquid, quod ad justificationem pertinet: quemadmodum ipsi Protestantes fateri debent in verbis illis Psalmi CXI. *Beatus vir, qui timet Dominum*, & Psalmi CXVIII. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, non contineri plenam definitionem justificationis. Ad II. & III. R. per reconciliationem non tantum remissionem *Nec Calvino suffragatur.*

pec-

peccatorum intelligi, ſed quam maxime infuſionem gratiæ ſanctificantis, ut ipse Apostolus reconciliationem ejusque effectus explicat eodem Cap. V. ad Romanos. *Abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Chriſtum.* Et ad Coloss. Cap. I. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos Sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.*

Cujus opinio, & Patrum Authoritate;

390. Objic. III. Authoritas Patrum. S. Ambrosius Serm. III. in Psal. CXVIII. ait: *Qui dicit peccata ſua, juſtificatur*, quia nimirum Deus confitenti ignoscit. Ergo justificatio, juxta Ambrosium, nihil aliud est quam remiſsio peccatorum. IIdo. S. Augustinus Lib. XIX. de Civit. Dei, Cap. XXVII. ſcribit: *Ipsa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur; tanta tamen eſt in hac vita, ut potius peccatorum remiſsione conſtet, quam perfectione virtutum.* Ergo Augustinus justificationis eſsentiam reponere videtur in peccatornm remiſsione. R. ad I. C. A. D. C. Ergo juxta Ambrosium justificatio nihil aliud est, quam peccatorum remiſsio per infusionem gratiæ ſanctificantis & inhærentis, C. Conseq. Absque illa, N. Conseq. Ad II. N. C. Augustinus justitiam nostram in hac vita magis constare ait remiſsione peccati, quam perfectione virtutum; tum quia peccata in baptismo perfecte delentur, ut nihil omnino remaneat habens rationem culpæ; virtutes vero infusæ quotidie magis ac magis perfici debent: tum quia remiſsio peccati ſemel facta non eget nova infusione virtutum; at virtus ſemel infusa eget quotidie nova remiſsione peccati, cum etiam justi ſæpe venialiter delinquant.

Et ſolida ratione deſtituitur.

391. Objic. IV. Ratio. Justificatio est vox forensis, quæ idem ſignificat ac absolvere aliquem, eumque justum pronuntiare & declarare. Atqui justum pronuntiare & declarare non est illi justitiam infundere quæ inhæreat. Ergo justificatio non fit per justitiam inhærentem. R. Imo retorquendo. Condemnatio est vox forensis, quæ idem ſignificat ac pronuntiare & declarare aliquem nocentem ac reum. Atqui

reum

reum & nocentem pronuntiare, non est reatum aut culpam ipsi infundere. Ergo condemnatio fieri potest sine culpa & reatu inhærente. Ergo nec peccatum originale, nec personale est aliquid homini inhærens & intrinsecum; quod tamen a Protestantibus neutiquam admittitur. R. II^do. D. M. Hæc vox significat justum pronuntiare & declarare in sensu fori, C. M. In sensu Scripturarum, N. M. Hunc certe sensum exclusit Apostolus ad Rom. Cap. V. scribens: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Ubi vides ab Apostolo non dici, *Justi declarabuntur multi*, sed constituentur, id est, *fient*. Præterea Dist. etiam minorem. Justum declarare non est illi justitiam infundere quæ inhæreat, ita tamen ut justitia inhærens vere in illo supponi debeat, qui a Deo justus pronuntiatur, C. m. Ut hæc supponi in eo non debeat, N. m. Maxima est forum inter divinum & humanum disparitas. In foro humano judex non confert justitiam ei quem absolvit, & illius judicium errori est obnoxium: at vero Deus hominem absolvendo & facit, & declarat eum justum, ejusque judicium infrustrabili necessitate verax & rectum est. Ergo homo, qui a Deo justificatur, est vere justus, habetque justitiam inhærentem.

392. Dices I. Justificari formaliter nihil aliud est, quam peccatum commissum remitti. Sed remitti peccatum non dicit formam positivam intrinsecam peccatori, sed illi, qui remittit peccatum. Ergo. *Confirm.* Juxta Scholasticos Deus potest hominem justificare per condonationem extrinsecam, sine infusione ullius habitus aut doni intrinseci, sine ulla mutatione iotrinseca in ipso homine facta. Ergo justificatio non dicit formam inhærentem justificato, sed potius Deo qui justificat. R. D. M. Justificari formaliter, quatenus præcise dicit ex peccatore fieri non peccatorem, ex reo non reum, nihil aliud est quam peccatum commissum remitti, T. M. Justificari formaliter, quatenus dicit ex peccatore fieri filium Dei, hæredem

redem gloriæ cœlestis, ac participem naturæ & vitæ divinæ, N. M. Justificatio in ſtatu elevationis & præsenti providentia, est regeneratio ad vitam ſpiritualem, ſupernaturalem ac divinam, estque participatio filiationis ac naturæ divinæ: hæc autem non obtinentur per ſolam remiſsionem peccati; cum justificatio positiva, & remiſsio peccatorum inter ſe non reciproce prædicentur, ut patet in Angelis & Adamo, qui ſine peccatorum remiſsione in prima origine ſua ſanctificati fuerunt. Debet igitur dari aliquod donum a Deo homini infusum, illique inhærens, per quod elevetur ad tantam dignitatem & ſtatum adeo nobilem, habeatque in ſe principium intrinsecum ad eliciendas actiones vitæ ſpiritualis divinæ, dignasque filio Dei adoptivo. Ad *confirm.* D. A. Deus potest hominem juſtificare per condonationem extrinsecam in alia providentia alioque decretorum ordine, C. A. In hac providentia, N. A. & Conseq. Omnes Doctores Catholici, qui justificationem hominis per condonationem extrinsecam admittunt tamquam poſsibilem in alia providentia, fatentur I^mo, de facto nullum impium ita juſtificari; eoquod Scriptura & Patres doceant, in hoc rerum ordine hominem longe nobiliori modo juſtificari, nempe per infusionem gratiæ ſanctificantis. II^do, per condonationem extrinsecam hominem constitui in ſtatu naturæ puræ, id est, hominem non reum quidem ac peccatorem; at neque filium Dei adoptivum fore, & hæredem vitæ æternæ ſupernaturalis.

393. Dices II. Saltem prius est remitti peccata, consequens vero regenerari ad vitam ſpiritualem & divinam. Ergo justificatio formaliter & immediate consistit in remiſsione peccatorum. R. D. A. Prius est remitti peccata, prioritate logica, T. A. Prioritate temporis, N. A. & Conseq. Remiſsio peccatorum, & regeneratio ad vitam ſpiritualem ac divinam, & participatio naturæ ac filiationis divinæ, ſunt unus realiter actus respiciens diversos terminos; remiſsio enim peccati in hac providentia fit per infusionem gratiæ ſanctificantis, quæ est illud principium ac vita ſupernatura-

turalis, ſpiritualis ac divina, conſtituens hominem in dignitate filii Dei adoptivi, atque hæredis vitæ æternæ.

394. Objic. V. contra III. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. In Scripturis ſæpius dicitur, nobis imputari justitiam Christi, & per hanc imputationem nos justificari, ut I. ad Cor. Cap. I. *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Et ad Rom. Cap. V. *Per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Ergo justitia Christi nobis imputata, est causa formalis nostræ justificationis. R. D. A. Dicitur in Scripturis imputari nobis justitiam Christi in sensu Catholico, id est, per hanc imputationem justificari nos efficienter & meritorie, C. A. In ſensu Protestantico, id est, per hanc imputationem justificari nos formaliter, N. A. & Conseq. Christus eo modo dicitur justitia nostra; quo modo dicitur ſapientia, ſanctificatio, redemptio nostra; quia nimirum est causa justitiæ nostræ, tum efficiens ac meritoria, tum exemplaris & finalis, non vero causa formalis. *Lutherani fruſtra ſe Scripturarum;*

395. Objic. VI. Authoritas S. Bernardi, qui Epistola CXC. ad Innocentium II. ſcribit: *Juſtum me dixerim, ſed illius juſtitiâ. Quænam ipsa? Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Denique qui factus eſt nobis juſtitia a Deo Patre.* Ergo. R. N. C. S. Bernardus justitiam Christi vult eſse nostram, quomodo peccatum Adami fuit nostrum; quia videlicet justitiam Christi participamus per regenerationem, ſicut peccatum Adami per generationem. Proinde ſicut peccatum Adæ in nos traductum, non est illud quod Adamo inhærebat, ſed aliud nobis inhærens, quamvis ab illo derivatum: ſic justitia Christi nobis donata, non est illa qua ipse justus est; ſed alia quæ nobis inhæret, a justitia Christi derivata. Mens S. Bernardi luculenter colligitur ex ſcopo illius epistolæ. Acriter in ea reprehendit Petrum Abailardum, qui dicebat Christum profuiſse hominibus doctrina atque exemplo, non autem nos redemiſse, nec justitiam aut charitatem infudiſse. Ex quo ſic concludit Bernardus: *Ergo docuit juſtitiam, non dedit? Oſtendit charitatem, ſed non infudit?* *Ac S. Bernardi authoritate;*

Aut paritate tuentur.

396. Objic. VII. Paritas. Per peccatum Adami formaliter constituimur, & ſumus peccatores, licet peccatum illius ſit nobis extrinsecum. Ergo etiam per justitiam Christi constituimur, & ſumus justi, licet illa ſit nobis extrinseca. Atque hanc paritatem instituit ipse Apostolus ad Rom. Cap. V. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* R. Imo Protestantes uti non poſse hoc argumento, juxta quos peccati originalis rei ſumus per qualitatem aliquam physicam nobis inhærentem, nimirum per concupiscentiam. Ergo ſi argumentum legitimum foret, ſequeretur quod etiam per qualitatem aliquam physicam, nobisque inhærentem, constituamur & ſimus justi. R. II. N. A. Non constituimur rei noxæ originalis formaliter per ſolam imputationem extrinsecam peccati Adæ, ut Pighius & Catharinus olim docuere, putantes peccatum originale eſse illud unum unius Adæ peccatum, cujus reatu constringantur etiam posteri, indeque peccatores denominentur; cum tamen certum ſit peccatum illud ineſse unicuique proprium; hominesque, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahere: ſed formaliter rei peccati originalis constituimur per privationem justitiæ originalis ob actualem prævaricationem Adæ. Licet autem peccatum illud non commiserimus voluntate physicè, commisimus tamen illud voluntate moraliter propria, ideoque cuivis inest moraliter proprium; quia Deus alligavit voluntates nostras voluntati Adæ, ita ut voluntas illius fuerit etiam moraliter nostra, ſicut voluntas & actio Tutoris in foro civili est voluntas & actio pupilli. Apostolum quod attinet, loquitur ille ad Rom. Cap. V. de causa efficiente & morali, ita ut ſensus citati loci ſit iste: Sicut propter peccatum Adæ, ejusque inobedientiam omnes ſumus mortui & condemnati: ita propter merita Christi, ejusque obedientiam omnes ſumus a morte liberati, & a peccato redempti: adeoque ſicut inobedientia Adami fuit demeritum, & causa nostræ injustitiæ, ita obedientia Christi fuit meritum & causa nostræ justitiæ. 397.

397. Dices I. Peccatum, quod commisimus voluntate moraliter tantum propria, & physice aliena, nos vere ac proprie constituit formaliter peccatores. Ergo etiam justitia Christi, quæ physice quidem aliena est, at moraliter nostra, nos formaliter constituit justos. R. N. C. Quod voluntas Adami fuerit moraliter nostra, id ex eo oritur, quod voluntates nostræ alligatæ fuerint per decretum Dei voluntati primi hominis. At vero in Scripturis divinis ac Patribus nihil legimus de tali alligatione, unione atque identitate nostrarum actionum & voluntatum cum Christo, immo rationi id manifeste adversatur; quia quemadmodum juxta Apostolum peccante Adamo omnes peccavimus: ita etiam patiente & moriente Christo omnes passi fuissemus & mortui; adeoqe sicut sumus peccatores cum Adamo, ita fuissemus Redemptores & Salvatores cum Christo. Et sicut propter hanc unionem nostrarum voluntatum fuimus actu mortui cum Adamo, ac propterea nascimur in peccato mortui justitiæ: ita propter eamdem unionem cum voluntate Christi omnes essemus justi & vivificati; adeoque post mortem Christi nullus amplius nasceretur peccato originali infectus.

398. Dices II. Peccatum originale non habetur per aliquid physice inhærens. Ergo neque justitia nostra formaliter constituitur per aliquid physice inhærens. Ergo formaliter justi sumus per alienam justitiam, nimirum Christi, fide apprehensam. R. Imo. Ergo etiam formaliter docti, sapientes ac prudentes constituimur per alienam doctrinam, sapientiam ac prudentiam? R. IIdo. N. C. & paritatem. Ad actiones peccaminosas, atque ad mortem animæ spiritualem sufficit natura sibi relicta, nec opus est aliqua alia intrinseca depressione ad tam miserum statum: At vero forma nos in hac providentia justificans, est forma regenerans ad vitam spiritualem & divinam, faciens nos consortes naturæ & filiationis divinæ. Hoc autem fieri non potest sine dono aliquo inhærente, quod sit instar principii elevantis animam ad talem statum adeo nobilem, & idoneam illam reddentis ad producendas operationes

tiones filio Dei adoptivo convenientes. Ergo non eadem est necesitas constituendi peccatum originale in aliqua re physice inhærente.

Justitiæ inhærenti non adversantur Scripturæ.

399. Objic. VIII. contra IV. Conclusionem, Authoritas Scripturarum, quæ justitiam nostram comparant vesti nuptiali, stolæ primæ, & indumento. Sed vestis, stola, & indumentum, sunt aliquid nobis extrinsecum. Ergo etiam justitia nostra est nobis extrinseca. R. I^mo retorq. Psal. XCII. pulchritudo & fortitudo Dei comparantur indumento: *Decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Ergo pulchritudo & fortitudo Dei sunt aliquid Deo extrinsecum? R. II^do. Similitudinem inter vestes & justitiam non esse adæquatam, sed aliquam tantum; sicut enim vestis ornat corpus, ita animam ornat justitia: & sicut vestis non nascitur nobiscum, sed accipitur; ita etiam justitia; ut & Augustinus scribit Serm. CLXIX. olim XV. de verbis Apostoli: *Sacerdotes tui induantur justitiam. Vestis accipitur, non cum capillis nascitur: pecora de suo vestiuntur.*

400. Dices. Si justitia esset nobis intrinseca & inhærens, non esset subjecta justitiæ Dei. Ergo nulla esset & inanis nostra justitia. P. A. Ad Rom. Cap. X. scribit Apostolus: *Ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Ergo justitia inhærens non est subjecta justitiæ Dei. R. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Justitiam inhærentem, qua formaliter justi constituimur, non ex nostris, sed ex Christi meritis accepimus per fidem in Christum; atque hinc justitia nostra justitiæ Dei omnino subjecta est. *Apostolus* autem loco cit., ut scribit Augustinus Serm. CLVI. olim XIII. de Verbis Apostoli, *commendat ista propter Judæos, qui de lege gloriabantur, & libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur: ac per hoc quia libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur, Ignorantes Dei justitiam, id est, ex fide datam justitiam a Deo, & suam volentes statuere: quasi suis viribus impetratam, justitiæ Dei, sicut dicit, non sunt subjecti.*

401.

401. Objic. IX. Ratio. Si per inhærentem justitiam justificamur, injuria infertur meritis & justitiæ Christi, daturque hominibus ſuperbiendi occasio. IIdo. Justitia, qua homo justificatur coram Deo, debet eſse perfecta; quia quidquid vitio aliquo ac defectu laborat, Deo placere nequaquam potest. Atqui justitia nostra inhærens non est perfecta. Ergo. R. N. A. Justitia inhærens a Christo emanat, nec confertur nobis nisi propter ejus merita. Protestantes potius gravem injuriam Christo inferre censendi ſunt, qui negant Christum nobis justitiam inhærentem promeruiſse, qua vere & intrinsecè justi ſimus. Neque Catholica ſententia ullam ſuperbiendi occasionem præbet, cum fateamur justitiam nostram eſse liberale Dei donum, ob merita aliena, nimirum Christi, nobis misericorditer conceſsum. Contrà vero Protestantes incredibili jactantia dicunt, ſe ipsam Christi justitiam apprehendiſse. Hinc Lutherus Serm. de natali B. Mariæ, omnes fideles ipsi Deiparæ æquales fecit: nec defuerunt ex Protestantibus, qui ſe ipsos Christo Domino æquare contenderent, ut Ruardus Tapperus testatur in Explicatione Articuli de Justificatione. Ad IIdum. D. M. Justitia habitualis, a Deo infusa, debet eſse perfecta, C. M. Justitia actualis, quæ habetur per exercitium actuum meritoriorum vitæ æternæ, debet eſse perfecta, ſubdist. Ita ut non desinat eſse vera justitia, C. M. Ut excludat omnem prorsus quantumvis levem imperfectionem, N. M. Et D. m. Atqui justitia nostra inhærens & habitualis, de qua ſola hic disputatur, non est perfecta, N. m. Justitia actualis, ſubdistinguo ut prius. Justitia nostra habitualis, quæ consistit in immunitate a peccato mortali atque in gratia ſanctificante, est positive perfecta, redditque animam formosam, Deo gratam, filiam adoptivam Dei. Justitia nostra actualis quandoque est positive perfecta; quia opera quandoque elicimus, nullo peccato quantumvis levi contaminata: ſæpe autem non ita perfecta est, ut omnem etiam levem imperfectionem excludat; quæ tamen non

Ratio.

non impedit, quo minus perfecta dicatur secundum rectam æstimationem.

Aut paritas. 402. Objic. X. Paritas. Adoptio humana in filium nihil aliud est, quam favor humanus extrinsecus, per quem alienus destinatur ad hæreditatem, quin tamen aliquid intrinsecum accipiat ab adoptante, per quod destinetur ad hæreditatem. Ergo etiam adoptio in filium Dei non fit per aliquid homini intrinsecum. R. C. A. N. C. Adoptio humana fieri aliter non potest, nisi per favorem extrinsecum tum adoptantis, tum reipublicæ consentientis & approbantis; cum adoptans non possit dare adoptato cognationem filialem intrinsecam, ob quam filius adoptivus jus naturale acquirat ad bona adoptantis. At vero Deus potest homini donum aliquod infundere, per quod homo aliquo modo participet naturam divinam, habeatque similitudinem specialem cum ipso Deo, & jus ad divitias patrimonii divini. Accedit quod adoptio divina longe magis adoptatum adoptanti conjungat, quam adoptio humana. In Scripturis enim expresse dicitur, nos ex Deo natos esse, ac consortes fieri divinæ naturæ, quod sane de adoptione humana dici nequit.

CONTROVERSIA III.

AN, ET QUÆNAM FIDES PRÆREQUIRATUR AD JUSTIFICATIONEM?

CONTRA PROTESTANTES.

Protestantium doctrina. 403. Protestantes admittunt fidem ad justificationem requiri, non tamquam causam formalem justificationis, ut initio docuerant, neque tamquam causam efficientem, moralem aut meritoriam, sed tamquam causam instrumentalem. Atque ut hæc intelligantur, sciendum est triplicem fidem ab illis adstrui. I^ma est fides *historica*, qua creduntur vera esse, quæ in Scripturis asseruntur. II^da est fides *miraculorum*, qua credimus nihil esse, quod a Deo fieri non possit. III^tia est fides *promissionum*, qua fiducialiter credimus veras esse promissio-

miſsiones de gratuita peccatorum remiſsione per merita Christi. Has tres fides ajunt respondere tribus Dei proprietatibus, historicam nempe veritati divinæ, miraculorum illam potentiæ, postremam denique promiſsionum fidem, bonitati. Fidem promiſsionum dividunt in generalem & ſpecialem. *Generalis* est, qua in genere creditur, omnibus in Christum credentibus promiſsam eſse remiſsionem peccatorum; *ſpecialis* vero, qua unusquisque in particulari credit & confidit, hanc promiſsionem ſingillatim ad ſe quoque pertinere, ſibique factam eſse. Atque hanc fidem promiſsionum ſpecialem ajunt illam eſse, qua justificamur, quæ apprehendit, & quasi manu ſtringit merita Christi, per Evangelicas promiſsiones & Sacramenta, ſibi oblata, ſicque ſibi in particulari illa merita applicat. Ex his apparet, juxta ipsos promiſsionem gratiæ in Evangelio factam, & Sacramenta, duo eſse instrumenta & media a Deo nobis ſubministrata, per quæ nobis offertur gratia; fidem autem illam fiducialem eſse instrumentum recipiens promiſsiones ipsas & gratias, ſeu merita Christi oblata. Prima duo, id est, promiſsiones & Sacramenta, eſse instrumenta ex parte Dei, & quasi manum offerentem: fidem fiducialem eſse instrumentum ex parte nostra, & quasi manum recipientem. Porro hanc fiduciam ajunt Protestantes, eſse propriam & ſpecificam formam fidei justificantis, ſicut juxta Catholicos forma illius est charitas.

Ac Catholicorum.

404. Catholici docent I^mo, ad justificationem adulti multa requiri, ac præcipue fidem neceſsariam eſse, non tamquam meritum, eoquod gratis justificemur, ſed tamquam dispositionem. Dixi ad justificationem *adulti;* certum est enim in infantibus nullas prærequiri dispositiones ad justificationem, cum constet eos eſse incapaces ullius actus liberi, ac nihilo ſecius in baptismo justificari. II^do docent, fidem illam quæ est dispositio, & qua ſe præparat peccator ad consequendam gratiam justificationis, non eſse inanem illam Protestantium fiduciam, qua quis fide divina infallibiliter credit ſibi remiſsa eſse peccata, & imputari merita ac

justi-

justitiam Christi. Propterea tamen non excludunt ab actu fidei fiduciam voluntatis, quæ tamquam fructus oritur ex fide, & qua peccator firmiter ſperat, Deum conceſsurum eſse ſibi gratiam & auxilium conditiones illas implendi, ſub quibus a Deo promiſsam ſibi eſse ſalutem firmiſsime credit. Hæc fiducia autem voluntatis, ſeu ſpes roborata, non est infallibilis & certa certitudine fidei divinæ; quia Deus nullibi revelavit, nos adimpleturos eſse conditiones, ſub quibus nobis promiſsa fuit æterna ſalus. Docent III. Objectum materiale fidei justificantis eſse omnia quæ Deus revelavit; certam vero atque infallibilem promiſsionem ſpecialis misericordiæ, ordinariè & præscindendo a peculiari revelatione Dei, non tam ad fidem pertinere, quam ad inanem & ſtolidam præsumptionem.

Fides requiritur in adultis ad juſtificationem.

405. Conclusio I. Ad justificationem in adultis requiritur fides. Conclusio hæc a Catholicis æque ac Protestantibus admittitur, probaturque I^mo Authoritate Scripturæ. Ad Hebr. Cap. XI. dicitur: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* II. Authoritate S. Augustini Lib. de Prædest. SSrum, Cap. VII. *Fides ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera.* III. Authoritate Tridentini, quod Seſs. VI. Cap. VIII. ait: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

Fides juſtificans non eſt fiducia ſed aſsensus firmus.

406. Conclusio II. Fides justificans non est fiducia, qua quis credit ſibi eſse remiſsa peccata ob merita Christi, ſed est aſsensus firmus ac certus ad ea quæ Deus credenda proponit. Prob. I^mo ex Epist. ad Hebr. Cap. XI. in quo Apostolus fidem illam, ex qua justus vivit, ideoque justificantem, ita describit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Id est, fides est basis ac fundamentum rerum æternarum quas ſperamus, convincens intellectum, atque eum movens, ut aſsentiatur iis quæ non capit, neque intelligit. Atqui hæc fides non est fiducia, ſed aliquid ad intellectum pertinens. Ergo fides

justificans, non est fiducia. P. m. Imo. Fides ibi dicitur *subſtantia*, ſive fundamentum rerum ſperandarum; quia menti eas ita representat, facitque quodammodo eſse præsentes, quamvis non ſint nisi futuræ. At repræsentare non est voluntatis, ad quam pertinet fiducia, ſed intellectûs; ille enim rem apprehendens per ſpeciem ſibi impreſsam, facit rem eſse antequam ſit. IIdo. Fides dicitur *argumentum*, ſeu demonstratio & convictio, quod certe ad intellectum pertinet, cujus ſolius est convinci, aſsentiri, & judicare. Prob. II. ex Epist. ad Rom. Cap. IV. ubi de Abrahamo dicitur: *Sed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſsime ſciens, quia quæcunque promisit, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Pleniſsime autem ſcire intellectûs est, non voluntatis: ſicut contrà, fiduciam habere, voluntatis est, non intellectus. Neque obstat, quod paulo ante dicatur, *Non hæsitavit diffidentia;* hæc vox enim non defectum fiduciæ, ſed incredulitatem ibi ſignificat. Prob. III. ex Epist. I. ad Cor. Cap. XIII. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* Ubi distinguit Apostolus fidem a ſpe, aitque eſse duo quædam diversa: manifestum est autem, fiduciam nihil eſse aliud, quam ſpem roboratam. II. ad Cor. Cap. X. dicitur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Chriſti.* Fides ergo ad intellectum qui captivatur pertinet, non vero ad voluntatem. Prob. IV. ex Epist. ad Ephesios, ubi Cap. III. dicitur: *In quo habemus fiduciam, & acceſsum in confidentia per fidem ejus.* Si igitur habemus acceſsum ad Deum in confidentia, ſeu fiducia per fidem, ſequitur fidem non eſse fiduciam, ſed causam fiduciæ; alioquin ſensus hujus loci valde absurdus foret, nimirum iste: *habemus acceſsum in confidentia per confidentiam.* Denique si Scriptura divina per fidem intelligeret fiduciam, actum ejus explicaret per verbum *fidere*, non vero per verbum *credere*, quæ certe non ſunt ſynonima.

Objectum fidei non esse specialem misericordiam, sed omnia a Deo revelata, ostenditur authoritate Scripturarum.

407. Conclusio III. Objectum materiale fidei justificantis non est specialis misericordia; sed omnia quæ Deus revelavit. Prob. Imo. Authoritate Scripturarum. Ex una parte, ne unicus quidem in sacris literis locus ostendi potest, ubi fides justificans sumatur pro illa speciali fide, qua quis certo atque infallibiliter credit se ob merita Christi remissionem peccatorum omnium fuisse consecutum: ex altera parte, Scriptura plurimis in locis asserit, longe aliud esse objectum fidei justificantis. Ergo. P. A. Ad Hebr. Cap. XI. ait Apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ubi certe Apostolus loquitur de fide justificante; quia agit de illa fide, sine qua impossibile est hominem Deo placere. Ad Rom. Cap. X. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Joannis Cap. XX. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* At quomodo quis salvus erit, aut vitam habebit sine gratia justificante? Lucæ Cap. VII. Centurionis fidem miratus est Christus: *Nec in Israel tantam fidem inveni.* Centurio autem nil aliud professus erat se credere, nisi Christi omnipotentiam & Divinitatem, dicens: *Dic verbo, & sanabitur puer meus.* Joan. Cap. VI. Petrus ait ad Christum: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Ad Rom. Cap. IV. explicans Apostolus fidem Abrahæ, quæ reputata est illi ad justitiam, non dicit, eum credidisse per specialem misericordiam remissa sibi fuisse peccata; sed patrem se futurum multarum Gentium ex filio, quem sibi centenario uxor jam nonagenaria & sterilis, præter solitum ordinem cursumque naturæ, esset paritura.

Symbolorum.

408. Prob. II. Authoritate Symbolorum, Apostolici, Nicæni, & Athanasiani, in quibus multa continentur fide divina necessario credenda ad obtinendam justi-

justificationem, de Unitate Dei nimirum, Trinitate Personarum, Incarnatione Verbi, Paſsione ac Morte Christi &c. quin ulla fiat mentio ſpecialis illius misericordiæ. Quare id ſolum prætermiſsum fuiſset, quod ſolum, aut ſaltem præcipue ponendum erat, ſiquidem vera foret Protestantium de fide justificante opinio. Neque dicant Protestantes, in decimo Symboli Apostolici articulo mentionem fieri ſpecialis illius misericordiæ. *Credo peccatorum remiſsionem.* Nam R. Imo. Si fides justificans eſset fiducia misericordiæ propter Christum, deberet ſaltem magna pars Symboli cum hac definitione congruere. R. IIdo. Sensum illius articuli non eſse, credo remiſsa mihi eſse peccata; ſed, credo & confiteor in Ecclesia Catholica eſse donum remiſsionis peccatorum, quod per baptismum & pœnitentiam percipitur: unde quod in Symbolo Apostolico dicitur, *Credo remiſsionem peccatorum*, in CPolitano explicatur: *Confiteor unum baptisma in remiſsionem peccatorum.* Ex quo patet, in hoc articulo non doceri ſpecialem & absolutam misericordiam, quam Protestantes objectum fidei justificantis eſse contendunt; ſed misericordiam generalem, & quæ ſuis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat.

409. Prob. III. Authoritate Patrum, qui quotiescunque de fide justificante loquuntur, numquam fiduciæ illius, & ſpecialis misericordiæ meminerunt. S. Basilius in Orat. de Confeſs. fidei docet, fidem illam ad ſalutem & justificationem neceſsariam eſse, qua creduntur quæ Deus revelavit. S. Cyrillus Jerosol. Catech. V. ſcribit, fidem justificantem eſse fidem dogmaticam, qua credimus Jesum eſse Christum, atque a mortuis resurrexiſse. S. Gregorius Nazianz. Orat. extrema in ſanctum lavacrum. S. Chrysostomus in duabus Hom. de Symbolo. S. Augustinus Lib. de Fide & Symbolo, & in Enchiridio. S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, profitentur ea omnia ſe docere, quæ ad fidem Christianam pertinent; & tamen nemo eorum est, qui vel ſemel ſpecialis illius fidei Protestanticæ meminerit. *Patrum.*

410.

Tridentini. 410. Prob. IV. Authoritate Tridentini, quod Seſs. VI. Can. XII. ita definit: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſse, qua juſtificamur; anathema ſit.* Et Can. XIV. *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac juſtificari ex eo, quod absolvi ac juſtificari certo credat, aut neminem eſse juſtificatum vere, nisi qui credat ſe eſse juſtificatum, & hac ſola fide absolutionem & juſtificationem perfici; anathema ſit.*

Ac ratione Theologica. 411. Prob. V. Ratione Theologica triplici. I^ma est. Actus fidei justificantis debet præcedere justificationem, ſeu remiſsionem peccatorum; quia omnis causa prior est ſuo effectu. Sed ille actus, quo quis credit remiſsa ſibi peccata, non præcedit justificationem & remiſsionem peccatorum. Ergo ille actus non est actus fidei justificantis. P. m. Si actus ille eſset prior justificatione & remiſsione peccatorum, is qui crederet remiſsa eſse ſibi peccata, falsum crederet. Ergo actus ille non est prior justificatione. P. A. Peccata nondum ſunt remiſsa ita credenti, ſed tantum ſunt remittenda per hunc ipsum actum. Ergo is qui crederet remiſsa ſibi eſse peccata, falsum crederet. Ergo non potest eſse actus fidei justificantis. Neque dicant Protestantes, illum actum fidei & remiſsionem peccatorum eſse ſimul, ita ut in eodem instanti remittantur peccata, quo quis credit ea ſibi remitti. Quamvis enim transmitteretur, actum illum, quo quis credit remiſsa ſibi eſse peccata, non eſse posteriorem tempore, eſset tamen posterior natura; quia remiſsio peccati est objectum illius actus: actus autem præsupponit ſuum objectum.

412. II^da. est. Actus fidei justificantis non debet tollere aut impedire orationem, Sacramenta, aut alia pia opera in ſacris litteris commendata, & ad ſalutem pertinentia. Atqui ille actus, quo quis certo credit remiſsa ſibi eſse peccata, tollit & impedit omnia ſuperius commemorata. Ergo non est actus fidei justificantis,

cantis, ſed potius impedientis justificationem. P. m. Si peccator fide divina credere tenetur remiſsa ſibi eſse peccata, inepte adhiberet verba illa Orationis Dominicæ, *Et dimitte nobis debita noſtra:* merito enim a Deo ſimilem reprehensionem expectare deberet: Stulte, quid agis? Si certo credis hoc peccatum tibi remiſsum eſse, quid ultra mihi molestus es, aut cur precaris ut remittam? Si autem dubitas, & firmam fidem non habes de remiſsione, quomodo postulas tibi remitti quod ſine firma fide remitti nequit? Et profecto, juxta Protestantes, tam certo ac firmiter unusquisque credere tenetur remiſsa ſibi eſse peccata propter merita Christi, quam certo ac firmiter credit Christum eſse natum, pro nobis crucifixum ac mortuum. At si quis Deum oraret, ut Christus nasceretur, moreretur &c. is procul dubio infidelis eſset; quia judicaret Christum nondum eſse natum, crucifixum, ac mortuum. Ergo pari ratione ſiquis orat Deum, ut ſibi remittantur peccata, non minus est infidelis; judicat enim peccata ſua nondum eſse remiſsa, quod repugnat fidei Protestanticæ. Quæ de oratione diximus, intelligenda ſunt etiam de Sacramentis, aliisque piis operibus. Quorsum enim ista, si fide divina credis te coram Deo justificatum eſse, nec amplius indigere ullo remedio ad peccatorum remiſsionem impetrandam?

413. III^tia Ratio est. Nihil fide divina & justificante credendum est, nisi quod Deus revelavit. Atqui Deus, exceptis paucis quibusdam, ut Paralytico, Magdalena, Zachæo &c. nulli in particulari revelavit, quod peccata ſint ipsi remiſsa. Ergo, ordinarie loquendo, a nullo debet aut potest hoc credi fide divina & juſtificante. Major propositio est certa, quia objectum fidei divinæ eſse non potest aliud, quam veritas a Deo revelata. Minor prob. negative, quia hæc revelatio ostendi non potest. Respondent Protestantes, ſpecialem promiſsionem contineri in generali ista Joan. Cap. III. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Et Act. Cap. XIII. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur.* At præter-

terquam quod credere in Christum longe quid aliud sit, quam credere remissa sibi esse peccata ob merita Christi; promissio hæc conditionata est, huicque æquivalet: *Qui ex toto corde credit in Christum, ac prout oportet, justificatur, & habet vitam æternam.* Atque hæc propositio omnino de fide est, quia a Deo revelata; assumptio autem, seu minor syllogismi, *Atqui hic homo determinatus credit in Christum ex toto corde, aut prout oportet*, neque explicite revelata est, sed ambigua prorsus atque incerta. Hinc conclusio: *Ergo hic homo dedeterminatus justificatus est, & vitam habet æternam*, fide divina credi non potest, verum hac de re sermo redibit Controversia VI. Vide Bellarminum Lib. I. de Justificatione, & Martinum Becannm in Manuali Controversiarum, Lib. I. Cap. XVI. Quæst. V.

Argumenta contraria refutantur.

Protestantes nullum in Scripturis;

414. Objicitur I. Authoritas Scripturarum. Apostolus ad Hebr. Cap. XI. definiens fidem justificantem, vocat eam *hypostasin*, sive *expectationem.* Ergo fides justificans nihil aliud est, quam certa expectatio misericordiæ. R. I^mo. N. A. Quamvis enim hæc vox *hypostasis* quandoque significet expectationem, loco tamen citato significat substantiam; quia fides facit res sperandas subsistere in anima nostra, quod menti eas ita repræsentet, ac si quodammodo præsentes forent. Atque ita Græcam hanc vocem interpretati sunt Chrysostomus Græcæ linguæ utique perititissimus, cæterique Græci Interpretes, quorum authoritas apud æquos rerum arbitros haud dubie major erit, quam novorum Græculorum Protestantium. R. II^do. Omisso etiam antecedente, N. C. Expectatio enim rerum sperandarum non est expectatio seu fiducia misericordiæ Dei per Christum remittentis peccata; sed est expectatio vitæ æternæ, ac resurrectionis corporum, juxta illud ad Titum Cap. II. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.* Expectatio autem vitæ æternæ, etiam juxta Protestantes, non est fides justificans.

415.

415. Dices I. Apostolus ad Rom. Cap. IV. ait: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.* Ergo per fidem intelligit Apostolus fiduciam, sive assensum, quo amplectimur promissionem, eamque nobis applicamus: ferme sicut in humanis non est rata promissio, donec promissarius illam acceptaverit. Ergo ut firma sit promissio, Deus eos justificat qui credunt, & confidunt se justificari. R. C. A. N. C. Apostolus non loquitur de promissione remissionis peccatorum, sed de promissione facta Abrahæ, quod pater futurus esset multarum gentium: sive loquitur de promissione vocationis Gentium ad justitiam & salutem. Hæc autem promissio non poterat esse firma & rata, si justificatio contingeret ex lege Moysis, aut ex operibus quæ fiunt ex solis naturæ viribus; nam tunc vel nulli omnino, vel soli Judæi justificati salvatique fuissent. Quare ut firma sit promissio, utque eadem sit gratuita, non debita, Deus non justificat homines ex lege Moysis, aut ex operibus quæ fiunt ex solis naturæ viribus; sed ex fide Jesu Christi, quæ sola est initium gratuitæ veræque justitiæ, non solum Judæis, sed etiam Gentibus. Itaque Protestantes perperam intelligunt tum vocabulum *promissionis*, quo non significatur promissio remissionis peccatorum, sed vocatio Gentium: tum etiam vocabulum *fidei*, quo non intelligitur fiducia qua quis credit remissa esse sibi peccata; sed fides dogmatica, qua creditur in Christum pro nobis passum, ut aperte colligitur ex verbis Apostoli subsequentibus.

416. Dices II. Ex una parte fides dogmatica seu historica non justificat, sed auget potius timorem ac desperationem: ex altera parte Scriptura sæpius fidei nomine significat spem & fiduciam. Ergo. P. A. Quoad alterum membrum. I^mo Ad Rom. Cap. IV. dicitur de Abrahamo: *Qui contra spem in spem credidit.* Et, *Non hæsitavit diffidentia.* II^do. Marci Cap. XI. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Ubi *credite* accipitur pro *confidite.* III^tio. Jacobi Cap. I. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* IV^to. II. Paralipom. Cap. XX. *Credite in Domino Deo vestro, &*

ſecuri eritis. R. N. A. Quoad utrumque membrum. Fides dogmatica ſive historica absolute & complete disponit ad justificationem, ſiquidem per dilectionem operetur: si autem dilectione vacua ſit, inchoative tantum & incomplete ad justificationem disponit, quia facile revocat a peccatis, atque ad ſpem erigit. Quamvis enim historia paſsionis Dominicæ iram Dei erga peccatum commonstret, ſimul tamen ostendit, mortem illam pretium fuiſse redemptionis, & propitiationem totius mundi. Præterea multæ continentur in Scripturis historiæ, quibus infiniti misericordiæ divinæ thesauri peculiariter commendantur, & peccatores vehementiſsime commoveri atque excitari ſolent ad redamandum Deum adeo misericordem. Hujuscemodi est historia de conversione Magdalenæ, Pauli, Zachæi &c. Ad *probat.* R. in omnibus iis locis vocabulum fidei accipi pro vera fide Catholica, qua credimus id omne quod Deus revelat, non autem pro fiducia & confidentia. Sensus 1mi textus est, quod Abraham crediderit ob divinam promiſsionem ſe poſse ſperare filium ex Sara, quem naturaliter, & absque miraculo ſperare non poterat, Illud autem, *Non hæsitavit diffidentia*, idem est, ac non hæsitavit incredulitate; cum in Græca editione legatur απιστια, ſeu incredulitas. Illud Marci Cap. XI. ad fidem proprie dictam pertinet; ſed intelligitur cum conditione, *ſi bene petatis, & ſi expedit vobis dari.* S. Jacobus Cap. I. excludit dubitationem fidei contrariam; vult enim Deus omnipotentiam ſuam ſine ulla dubitatione credi. Illud Paralip. Cap. XX. de fide proprie dicta intelligendum est; fideles enim ſuos Deus protegit & custodit: idque ex ſequentibus verbis confirmatur, *Credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.* Ubi non ſignificat Scriptura, fiduciam eſse ponendam in Prophetis; ſed fidem habendam verbis eorum.

417. Præterea quamvis daretur, in Scripturis fidei nomine fiduciam ſignificari; id tamen de ea fiducia intelligendum foret, quæ ad fidem, non autem ad ſpem pertinet. *Fiducia fidei*, ſeu confidentia, est vehemens & fir-

& firma persuasio, ac certum judicium sine hæsitatione, fluctuatione, aut dubio, quod vera sint quæ Deus revelavit, v. g. quod rite pœnitentibus Deus peccata remittat, quodque Deus fidelissimus sit in exequendis promissis. Persuasio autem hæc firma, & judicium certum sine hæsitatione, non est actus voluntatis, sed intellectus. Jam vero firmitas ista & certitudo persuasionis ac judicii datur in omni actu fidei divinæ, eo ipso quod fides divina excludat hæsitationem, fluctuationem, ac dubium: & quidem in quibusdam actibus fidei datur major, firmior & robustior; in aliis vero minor, ac non adeo firma, quia aliquando fides est intensa, aliquando remissa, & minus vivida. Ex hac autem vivida persuasione & fiducia intellectuali, tamquam effectus & fructus oritur etiam *fiducia spei* & voluntatis, quæ aliud nihil est, quam tranquillitas animi, pax & carentia anxietatis, quam habet is qui firmiter & vivaciter persuasus est de divina misericordia, promissione auxilii, & fidelitate Dei. Cum enim plenissime sciat se justificandum, nisi culpa sua & perversa voluntate obicem ponat, tuto potest ac debet omnem anxietatem deponere, si serio & sincere adhibeat debitam diligentiam, si conetur quantum potest præstare ea quæ Deus ab ipso requirit. Hæc tamen fiducia non est infallibilis & certa certitudine fidei divinæ, hoc ipso quod Deus nullibi revelaverit, conditionem a peccatore esse purificatam, sub qua remissionem peccatorum pollicitus fuit.

418. Dices III. Legimus in Scripturis quosdam reprehendi ob timiditatem; & tamen ea reprehensio refertur in defectum fidei, v. g. Matth. Cap. VIII. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Matth. Cap. XIV. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Ergo in Scripturis fides accipitur pro fiducia, cui proprie opponitur timor. R. C. A. N. C. Ideo enim timiditas, quæ opponitur fiduciæ, refertur in defectum fidei, quia ex ipsa fide tamquam fructus & effectus oritur fiducia spei, seu voluntatis: ex quo minime sequitur confundendam esse fidem cum fiducia spei.

Aut sequelis præsidium inveniunt.

419. Objic. II. Sequela. Si fides justificans est tantum firmus ac certus aſsensus ad ea omnia quæ Deus revelavit, ſequitur fidem historiæ de Tobia ejusque cane eodem modo justificare, quo fides gratiæ in Christo promiſsæ, & fides mortis, paſsionis, ac resurrectionis Christi, eoquod Deus utrumque revelaverit. Atqui hoc ſine insigni temeritate ac contumelia Christi dici nequit. Ergo. R. N. M. Ad justificationem non requiritur, ut quis explicite credat Tobiam extitiſse, ac canem habuiſse &c. Hæc enim & plura ejusmodi non ſunt a Deo revelata, ut ſingulis innotescant, & explicite credantur; attamen quia revelata ſunt, ab omnibus fidelibus implicite credenda ſunt. At vero explicita fides Christi Redemptoris, ex quo originem habet nostra ſalus, est omnino neceſsaria ad justificationem consequendam.

CONTROVERSIA IV.

AN SOLA FIDES JUSTIFICET?

CONTRA PROTESTANTES.

Errores Sectariorum.

420. S. Augustinus Lib. de Fide & Operibus, Cap. XIV. memorat, temporibus Apostolorum fuiſse hæreticos, qui censebant ſolum fidei motum ad ſalutem atque adeo ad justificationem ſufficere; ſic enim ſcribit: *Excutiendum eſt a cordibus religiosis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſufficere fidem putaverint, bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apoſtolorum, non intellectis quibusdam ſubobscuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati ſunt dicere.* Et infra: *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maxime, dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus non prodeſse.* Sæculo IV. Eunomius, ut idem Augustinus Lib. de Hæresibus, Cap. LIV. memoriæ proditum reliquit, ſolius fidei aſsensum existimavit ad ſalutem ſufficere, ita ut credenti

ti nihil omnino obeſse poſsent quæcunque alia peccata, quo minus consequatur gratiam & ſalutem. Lutherus, & rigidiores Lutherani ipsiſsimum hunc Eunomii errorem renovarunt, docentes ita nos ſola fide juſtificari, ut ad justificationem nulli omnino actus virtutum aliarum requirantur, nec per modum meriti de congruo, nec per modum dispositionis aut conditionis: adeoque vox *Sola* non tantum excludat meritum, causalitatem, ac dispositionem; ſed etiam præsentiam cujuscunque actus boni. Mentem ſuam ſatis aperte expreſsit Lutherus in Cap. II. Epistolæ ad Galatas ſcribens: *Quando ſic docetur, fides juſtificat quidem, ſed ſimul ſervare oportet mandata Dei, - - - ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita; quia mandatis Dei, ſive legi tribuitur, quod eſt ſolius Dei.* Et in epistola ad Philippum Melanchtonem Tomo I. Epist. edit. Georgii Cœlestini, pag. 345: *Pecca fortiter, ſed fortius fide, & gaude in Chriſto, qui victor eſt peccati, mortis, & mundi. Peccandum eſt, quamdiu hic ſumus. - - - Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur aut occidamus.* Calvinus, & molliores Lutherani, Melanchton, Kemnitius, Gerardus &c. quorum ſententia communiſsima nunc est apud Protestantes, a justificatione excludunt alios actus a fide distinctos ratione meriti & causalitatis; non vero quoad præsentiam & concomitantiam. Concedunt itaque ad justificationem requiri ac præsupponi pœnitentiam, ſive dolorem de peccatis, & propositum emendationis tamquam dispositionem ſubjecti, ſine qua dispositione neminem decrevit Deus justificare: at ſolam fidem idcirco dicunt justificare, quia ſola fides apprehendit juſtitiam Christi, eamque ſibi applicat, non vero dolor ac propositum. Per fidem autem non intelligunt meram notitiam & aſsensum præstitum rebus a Deo revelatis; ſed ut ſuperius diximus, fiduciam ſpecialis misericordiæ.

421.

Calumniæ Protestantium.

421. Mirum est, quot calumniis Protestantes initio statim prætensæ reformationis Catholicam de justificatione doctrinam obscurare conati sint, ut invidiam publicam illi conciliarent, & justam a Romana Ecclesia secedendi causam habuisse viderentur. In Apologia Confessionis Augustanæ, Artic. II. de Justificatione dicitur: *Cum adversarii* (Catholici nempe) *neque quid remissio peccatorum, neque quid fides, neque quid gratia, neque quid justitia sit, intelligant, misere contaminant hunc locum, & obscurant gloriam ac beneficia Christi, & eripiunt piis conscientiis propositas in Christo consolationes.* Tum vero accusantur Catholici docere, *hominem ex propriis meritis faciendo quod in se est, accipere remissionem peccatorum: JESUM Christum meritum nobis tantum fuisse gratiam aliquam habitualem ad operandum facilius, licet sine illa absolute operari possimus; adeoque justificari nos justitia rationis independenter a propitiatione Christi.* Verum quam falso ac proterve doctrina hæc tribuatur Catholicis, patet ex Tridentino, quod Sess. VI. Cap. VI. ita loquitur: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud inprimis: a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, & dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

Sola fides non justificat.

422. Conclusio I. Sola fides non justificat. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ex una parte Scriptura nullibi asserit, fide sola nos justificari: ex altera parte non obscure pluribus in locis negat fidem solam ad justi-

justificationem sufficere. Ergo. P. A. I. ad Cor. Cap. XIII. ait Apostolus: *Etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* S. Jacobus in Epistola sua Catholica, quam passim hodiedum etiam Protestantes pro Canonica habent, ait Cap. II. v. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* v. 17. *Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* v. 20. *Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?* v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?* Quibus verbis S. Jacobus non agit de justitia apparente coram hominibus, sed de vera justitia, quæ vere justos constituit coram Deo: atque ideo pro exemplo adducit justificationem Abrahæ, quæ utique non apparens tantum, verum etiam in se, ac coram Deo vera erat & genuina justitia. Prob. II. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Can. IX. ita definit: *Siquis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.* Prob. III. Ratione Theologica. Fides a spe & dilectione separata, non justificat; nam I. Joan. Cap. III. dicitur: *Qui non diligit, manet in morte.* Ergo sola fides non justificat. P. C. Si tota vis justificandi esset in sola fide, ita ut cæteræ virtutes, quamvis præsentes adessent, ad justificationem nihil omnino conferrent, ut volunt Protestantes, fides ipsa tam justificaret illis præsentibus quam absentibus. Ergo cum fides illis absentibus neminem justificet, vis justificandi non competit soli fidei. Præterea si sola fides justificaret, sola fides etiam salvaret. Atqui sola fides neminem adultum salvat, cum opera bona necessaria sint ad salutem, ut ostendimus Tomo IV. Articulo III. Controversia IV.

Plures actus ad justificationem disponunt, nempe Fides.

423. Conclusio II. Non sola fides, sed alii etiam actus justificationem antecedentes, ad eamdem disponunt, & dispositive justificant: nimirum timor justitiæ divinæ peccatorum vindicis, spes veniæ consequendæ per merita Christi, dilectio Dei tamquam fontis omnis justitiæ, odium ac detestatio peccatorum: ac denique propositum vitæ novæ instituendæ, observandi omnia mandata Dei, & suscipiendi cum opus fuerit baptismi & pœnitentiæ Sacramenta. Probatur conclusio quoad membra singula. Ac primo quidem fides non tantum cum aliis actibus justificat impium, verum etiam est radix ac fundamentum justificationis, illiusque initium. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ad Hebr. Cap. XI. *Credere oportet accedentem ad Deum.* Ubi prima motio in Deum fidei tribuitur. Ad Rom. Cap. IV. *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ubi ipsa fides censetur esse justitia, & quidem perfecta, si fides sit charitate formata. I. ad Cor. Cap. III. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* S. Augustinus Lib. de Fide & operibus, Cap. XVI. Chrysostomus, Theophylactus, aliique passim Interpretes per fundamentum hoc intelligunt fidem in Christum. Prob. II. Authoritate Patrum. Origenes in Cap. IV. Epist. ad Rom. scribit: *Puto quod prima salutis initia, & ipsa fundamenta fides est; profectus vero & augmenta ædificii spes, perfectio autem & culmen totius ædificii charitas.* S. Ambrosius in Psal. CXVIII. Serm. XX. *Fides principium Christiani est; plenitudo autem Christiani justitia est.* S. Augustinus Serm. XXVII. alias XX. de verb. Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Et Lib. de Prædest. SSrum. Cap. VII. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrentur.* S. Hieronymus in Cap. III. Epist. ad Ephesios: *Fiduciæ atque accessus ad Deum principium atque origo fides in Christum est.*

Timor.

424. Secunda dispositio est timor, quo peccatorum nostrorum consideratione utiliter concutimur.

Prob.

Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ecclesiastici Cap. I. dicitur: *Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Psal. CX. *Initium sapientiæ timor Domini.* Proverb. Cap. XIV. *Timor Domini fons vitæ.* II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Tract. IX. in Epist. I. S. Joannis: *Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit. --- Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas.* Et Lib. de Catechizandis rudibus, Cap. V. *Rarissime accidit, immo vero numquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* S. Hieronymus in Comment. ad Cap. I. Malachiæ: *Vult Dominus, ut a malis per suppliciorum formidinem recedamus, & de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus.* S. Gregorius M. Hom. XXXIV. in Evang. *Prava mens, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* III. Ratione. Natura timoris est, ut fugiat mala, & quærat remedia quibus illa possit evadere: hinc quotidie videmus, numquam homines de salute æterna magis sollicitos esse, quam cum ingens aliquis timor aut pestis, aut naufragii, aut alterius gravissimi mali ingruit.

Spes obtinendæ veniæ.

425. Tertia dispositio ad justificationem est spes obtinendæ veniæ, & remissionis peccatorum. Prob. Imo. Authoritate Scripturarum. Proverb. XXVIII. dicitur: *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Psal. XXXVI. *Salvabit eos, qui speraverunt in eo.* Psal. XC. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Matth. Cap. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quæ verba Christus paralytico dixit, posteaquam eum erectum in spem salutis vidit. Ad Rom. Cap. VIII. *Spe salvi facti sumus.* I. Joan. Cap. III. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* IIdo. Authoritate Patrum. S. Cyprianus Serm. de Mortalitate scribit: *Spe vivimus, & in Deum credimus.* S. Chrysost. Hom. de Fide & lege: *Necessarium est, ut præcedat vitam nostram spes in Christum, quæ postea pascenda est bonis operibus.* S. Ambrosius Lib. I. de Pœnitentia, Cap. I.

Nemo

Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. S. Augustinus Lib. de Catechizandis rudibus, Cap. IV. *Quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.*

Dilectio Dei. 426. Quarta dispositio est dilectio Dei tamquam fontis omnis justitiæ, quæ si sit imperfecta, prior est tempore; si perfecta, saltem natura prior erit ad remissionem peccatorum. Prob. I^mo Authoritate Scripturarum. Ecclesiastici Cap. II. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ad Galatas Cap. V. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.* I. Joan. Cap. III. *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* II. Authoritate Arausicani II, quod Capitulo ultimo ita loquitur: *Deus fidem & amorem sui prius inspirat, ut Sacramenta baptismi fideliter requiramus.* Cæterum quamvis nemo ex toto corde & perfecte Deum diligat, nisi Spiritum Sanctum inhabitatem habeat; imperfecta tamen & inchoata dilectio sine Spiritu Sancto inhabitante haberi potest, quamvis non sine auxilio Dei supernaturali.

Dolor, & detestatio peccati. 427. Quinta dispositio est pœnitentia, seu dolor & detestatio peccati. Prob. I. Authoritate Scripturarum. II. ad Cor. Cap. VII. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ezechielis Cap. XVIII. *Cum averterit se impius ab impietate sua, -- ipse animam vivificabit.* Prob. II. Authoritate Patrum. Tertullianus Lib. IV. contra Marcionem ait: *Video & Achab Regem, maritum Jezabel, reum idololatriæ & sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse pœnitentiæ nomine.* S. Cyprianus Serm. de Lapsis: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat lætam faciet Ecclesiam; nec jam solum Dei veniam merebitur, sed coronam.* S. Ambrosius in Psal.

XXXVII.

XXXVII. *Quis dubitet affligere animam ſuam, cum Propheta tantus afflixerit, ſolvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati?* S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Quæ peccata fletus iſte non purget? Quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant?* S. Augustinus Lib. II. contra Cresconium, Cap. XII. *Mundantur & verbo veritatis ab illo, qui ait, Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis. Mundantur & ſacrificio contriti cordis ab illo de quo dictum eſt, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.*

428. Sexta diſpoſitio est propoſitum ſervandi mandata, inchoandi novam vitam, & ſuscipiendi Sacramenta. Cum enim ſcriptum ſit Ezechielis Cap. XVIII. *Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, --- & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum;* Joannis Cap. III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei;* Joan. XX. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt;* nemo recte diſpoſitus dici potest ad juſtificationem, niſi paratus ſit obtemperare voluntati Dei præcipientis novam vitam, & ſuſceptionem Sacramentorum, præcipue baptiſmi & pœnitentiæ. *Propoſitum ſervandi mandata.*

429. Harum omnium diſpoſitionum ratio congrua afferri potest. Cum enim Deus maxima charitate ſe convertat ad hominem, cui gratiam donat; convenit prorsus, ut homo vicisſim non intellectu ſolum per fidem, ſed etiam voluntate, ad quam pertinent reliquæ quinque diſpoſitiones, timor, ſpes, charitas, dolor de peccatis, & propoſitum, ad ipsum Deum gratiæ largitorem convertatur; ut ſicut homo donis gratiæ ſecundum intellectum & voluntatem divinitus exornatur: ita etiam intellectu & voluntate beneficium hoc divinum acceptet, atque adeo per motus quoque voluntatis gratiam apprehendat. *Cur hi actus diſponant ad juſtificationem?*

430. Cæterum observo 1mo diſpoſitiones illas, ſeu motus voluntatis antea enumeratos, non ita requiri, ut neceſsarium ſit omnes explicite elici; ſed ſatis eſſe, *Obſervanda.*

se, si aliqui eorum implicite tantum & virtute habeantur. Nam qui credit, & diligit Deum ſuper omnia, vel etiam ſuper omnia dolet ſe Deum offendiſſe, hoc ipso paratus est, cum opportunum fuerit, & in mentem venerit, ſperare bene de Deo, & timere ipsum: adeoque per actum charitatis aut pœnitentiæ implicite etiam ſperat & timet. Observo II^do. recensitas dispositiones ordinarie non ſimul concipi, ſed gradatim & ſucceſsive. Quemadmodum enim morbi corporis ordinarie non ſanantur, nisi ſucceſsive, & repetitis remediis: ſic nec peccata, quæ ſunt morbi animæ; gratia enim æque ac natura, ab imperfectis progreditur ad perfectiora. Dixi *ordinarie;* quandoque enim, ſupra consuetum operandi modum gratiæ, ſalus animæ per peccatum perdita in instanti recuperatur. Sic Davidem, Magdalenam, paralyticum, latronem in cruce ſubito justificatos fuiſse tradunt ſacræ paginæ. Sed hæc gratiæ miracula fuerunt. Observo III^tio neminem propriis viribus naturæ disponere ſe poſse ad justificationem; ſed gratiam Dei prævenientem & adjuvantem neceſsariam eſse, juxta antiquiſsimam Ecclesiæ doctrinam contra Pelagianos, a Tridentino confirmatam, quod Seſs. VI. Cap. V. ait: *Declarat præterea ipsius juſtificationis exordium in adultis a Dei per* JESUM *Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſse, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.*

Hi actus non ſolum ſunt fructus fidei, ſed etiam cum illa influunt in juſtificationem.

431. Conclusio III. Timor Dei, ſpes, charitas, aliique actus qui justificationem præcedunt, non ſunt tantum fructus fidei, & conditio ſine qua non, ſed una cum fide influunt & cooperantur ad justificationem. Prob. I. Scriptura divina influxum & vim justificandi tribuit etiam aliis actibus, nempe timori Dei, ſpei, charitati &c. ut Ecclesiastici Cap. I. *Timor Domini expellit peccatum.* Ad Rom. Cap. VIII. *Spe ſalvi facti ſumus.* Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo Protestantes nullum habent in Scripturis fundamentum, ex quo rationabiliter erui poſsit, fidem ſolam eſse formam dispositivam ad justificationem, non vero alios etiam virtutum actus.

actus. II. Opera bona sunt vita animæ & fidei, juxta illud Jacobi Cap. II. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Ergo opera bona, timor Dei, spes, pœnitentia &c. dici nequeunt puri fructus fidei, & mera conditio respectu justificationis, sicut anima dici nequit pura conditio respectu vitæ. III. Ex una parte, etiam juxta Protestantes, sola fides viva justificat: ex altera parte fides constituitur viva per opera bona, ac præcipue per charitatem: Ergo opera bona, ac præcipue charitas, non sunt tantum signa & fructus, ex quibus fides viva dignoscitur. P. C. Signum non constituit rem significatam, sed eam tantum supponit & indicat. Atqui charitas constituit fidem vivam. Ergo charitas non est tantum signum & fructus fidei vivæ.

Argumenta contraria refutantur.

Infirma sunt Protestantium argumenta petita ex Scripturis.

432. Objicitur Imo Authoritas Scripturæ. Scriptura clarissimis verbis soli fidei tamquam causæ dispositivæ adscribit justificationem. Ergo timor Dei, spes, & charitas non concurrunt per modum dispositionis ad actum justificationis. Ergo sola fides dispositive justificat. P. A. Ad Rom. Cap. III. dicitur: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Ad Rom. Cap. IV. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ad Galatas Cap. II. *Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem* JESU *Christi: & nos in Christo* JESU *credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Ergo. R. N. A. Ad *prob.* C. A. N. C. Apostolus loco cit. excludit ab actu justificationis tantum opera legis Mosaicæ, & virtutes civiles Gentilium; minime vero ea opera, quæ fiunt ex fide in Christum per gratiam & auxilia supernaturalia. Disputat nimirum Apostolus in suis epistolis partim contra Gentiles, partim contra Judæos. Gentiles putabant hominem justificari absque fide in Christum, per opera mere naturalia & moraliter bona, vivendo

vendo juxta legem naturæ & rationis, quæ dictat facienda esse opera honesta, & exercendas esse virtutes morales atque politicas, quales sunt honorare parentes, gratum esse erga benefactores, justum erga omnes, pium in patriam &c. Judæi vero contendebant, absque fide in Christum hominem justificari ex operibus legis Mosaicæ tum moralis tum cæremonialis, inter quas præcipua erat lex illa de circumcisione. Ambos erroris arguit Apostolus, disertis verbis annuntians illis, non esse in aliquo alio salutem, nec aliud nomen esse sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri. Hunc fuisse scopum Apostoli plurimis in locis tradit Augustinus Lib. de Fide & Operibus, Cap. XIV. & Lib. de Gratia & Lib. arbitrio, Cap. VII. ubi inter cætera ait: *Homines autem non intelligentes, quod ait ipse Apostolus, Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis; putaverunt eum dicere: sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, & bona opera non habeat. Quod absit, ut sentiret vas electionis.* Et Lib. de Prædest. SSrum, Cap. VII. causam subjungit, cur Apostolus ad Rom. Cap. III. solius fidei meminerit: *Ex fide ideo* (Apostolus) *dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur.*

433. Dices I. Apostolus omnia opera Legis excludit ab actu justificationis. Sed timor Dei, spes, charitas, pœnitentia &c. sunt opera Legis. Ergo. P. M. Ad Rom. Cap. III. dicitur: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Ad Ephesios Cap. II. *Gratia estis salvati per fidem, --- non ex operibus.* Ad Philipp. Cap. III. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide Christi Jesu.* Prob. etiam minor propositio. Timor, spes, charitas, pœnitentia, præcipiuntur a Deo. Ergo pertinent ad legem factorum, non ad legem fidei, & Evangelium. R. D. M. Excludit omnia opera legis facta viribus naturæ,

sine

ſine fide & gratia Christi, C. M. Omnia opera legis facta ex fide & gratia Christi, N. M. Et D. m. Sed timor Dei, ſpes, pœnitentia &c. ſunt opera legis facta per vires naturæ, & ſine gratia Christi, N. m. Facta ex fide, & per gratiam Christi, C. m. N. C. Ad *prob.* minoris, C. A. D. C. Si timor, ſpes & charitas præcise ſecundum ſe ſpectentur, C. Conseq. Si ſpectentur ut actus eliciti ex fide, & per gratiam Christi, N. Conseq. Apostolus per legem factorum neutiquam intelligit illam, quæ ad justificationem requirit ſolam fidem ſine operibus, ut falso contendunt Protestantes: ſed *lex factorum* ea dicitur ab Apostolo, quæ jubet & indicat quid faciendum ſit, nec tamen dat gratiam ad faciendum quod jubet. Contra *lex fidei* dicitur illa, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex factorum jubet: ideoque lex factorum dici potest littera, quæ occidit jubendo, & non juvando; lex fidei vero ſpiritus, qui vivificat opem ferendo, ut justificatio legis impleatur in nobis. Unde non ſolum Lex Mosaica, ſed etiam Lex Evangelica est lex factorum, quatenus aliquid imperat: & lex fidei est spiritus fidei, non ſolum quo nos Christiani in lege Evangelica, ſed etiam omnes justi veteris Testamenti, omnesque Patriarchæ & Prophetæ gratiam a Deo impetrarunt ex meritis Christi, & gratis justificati ex fide in Christum venturum, per illius gratiam mandata legis ſervarunt. Similiter per *juſtitiam ex*, ſeu *in lege*, intelligit Apostolus ea opera, quæ homines faciunt ſine gratia fidei, ſola cognitione legis adjuti: & hæc opera non justificant coram Deo, ſed ſolum coram hominibus, qui tantum externa conſiderant; ideoque hæc justitia ab Apostolo tamquam inutilis rejicitur. Per *juſtitiam fidei* pari modo intelligit Apostolus bona opera facta ex gratia Christi. Atque ita Apostolum interpretantur Patres, præcipue S. Augustinus Lib. de Spiritu & littera, Cap. XIII. Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. X. & XI. Hinc Lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæstione LXXVI. concilians dicta Pauli & Jacobi, ſcribit: *Non ſunt ſibi contrariæ duorum Apoſtolorum ſententiæ Pauli & Jacobi, cum dicit*

dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus, & alius dicit inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur. Ex quo patet a justificatione non excludi opera ex fide & gratia Christi facta; alias Paulus sibi contradixisset ad Rom. Cap. II. scribens: *Factores legis justificabuntur:* & Jacobus Apostolus nos decepisset, dum Cap. II. diserte scribit: *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

434. Dices II. Apostolus excludit etiam ab actu justificationis opera facta ex fide & gratia Christi. Ergo. P. A. Ad Rom. Cap. IV. scribit: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* Ergo excluduntur etiam opera facta per fidem. P. C. Eo tempore, de quo loquitur Apostolus, Abraham fidelis erat, & ex fide operabatur. Ergo. R. N. A. *Ad probat.* C. A. N. C. Nam I^mo quando Apostolus dicit, Abrahamum fuisse justificatum ex fide, non ex operibus, non rejicit opera facta ex fide, sed affirmat illa non esse facta sine fide. Itaque excludit opera quæ Abraham facere potuisset non ex fide. Nam etiam ii qui fidem habent, aliquando operantur non ex fide, v. g. quando peccant, aut quando faciunt opera pure moralia sine ulla relatione ad Deum. II^do. Apostolus non loquitur absolute, sed conditionate, ita ut sensus sit: Si Abraham justificatus est ex operibus non procedentibus ex gratia fidei, (ut ii putabant, qui suis viribus tribuebant justitiam) certe habuit gloriam, sed non apud Deum. Et quoniam satis constat Abrahamum habuisse gloriam etiam apud Deum, inde colligit, eum non esse justificatum ex operibus sine fide; sed ex fide ex qua opera vere bona procedunt. Profecto si opera facta ex fide & gratia dispositive non justificarent, Jacobus Apostolus in epistola sua Catholica Cap. II. minime scripsisset: *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est?* Cætera argumenta, quæ ex Scripturarum authoritate peti

ti posſunt, ſolvimus Tomo IV. Articulo III. Controversia IV.

435. Objic. II. Authoritas Patrum. I. Origenes in Cap. III. Epist. ad Rom. ſcribit: *Et dicit* (Apostolus) *ſufficere ſolius fidei juſtificationem, ita ut quis tantummodo credens juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum.* II. S. Hilarius Canone VIII. in Matth.: *Fides enim ſola juſtificat.* III. S. Basilius Homilia de humilitate: *Hæc eſt perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob juſtitiam ſuam quis ſe jactat; ſed novit quidem ſe ipsum veræ juſtitiæ indigum, ſola autem fide in Chriſtum juſtificatum.* IV. S. Ambrosius Comment. in Cap. III. Epist. ad Rom. *Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide juſtificati ſunt dono Dei.* V. S. Chrysostomus Hom. de Fide & lege naturæ: *Eum qui operatur opera juſtitiæ ſine fide, non poſſum probare vivum eſſe: fidelem absque operibus poſſum monſtrare & vixiſſe, & regnum cœlorum aſſecutum. Nullus ſine fide vitam habuit; latro autem credidit tantum, & juſtificatus eſt.* VI. Augustinus Lib. de Fide & operibus, Cap. XIV. *Sequuntur* (opera) *juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.* Ergo ſola fides præcedit justificationem. VII. S. Leo Serm. IV. de Epiphania: *Hoc eſt, quod juſtificat impios, hoc eſt quod de peccatoribus facit ſanctos, ſi in uno eodemque Domino Jesu Chriſto & vera Deitas, & vera credatur humanitas.* VIII. S. Bernardus Serm. XXII. in Cantica: *Quisquis pro peccatis compunctus esurit & ſitit juſtitiam, credat in te, qui juſtificas impium, & ſolam juſtificatus per fidem, pacem habebit ad te.* *Patribus.*

436. Resp. Horum & aliorum Patrum textus eo ſensu ſoli fidei justificationem tribuunt, quo Scriptura divina, ut ſuperius diximus. Num. 432. Nec aliter dicta illorum intelligi debere liquet ex plurimis eorundem testimoniis, quibus præter fidem etiam opera ex gratia Christi facta ad justificationem clare & diserte requirunt. Quin immo ipsi Protestantes fatentur, Patres in articulo de justificatione per ſolam fidem ſi-

ne operibus ſibi eſse contrarios. Lutherus in brevi Confeſsione de Sacram. ſcribit: *Ego neminem ſcio, qui de fide & operibus recte judicare poterit, exceptis Apoſtolis. --- In cæteris libris nequaquam invenitur.* Melanchton in I. ad Cor. Cap. III. *Statim initio Scriptores veteres obscurarunt doctrinam de juſtitia fidei.* Centuriatores Magdeburgici Cent. II. Columna 60. *Adeo hic articulus omnium ſummus ac præcipuus paulatim artificio diaboli obscurari cœpit.* Cent. III. Col. 79. *Juſtitiam coram Deo* (Patres tertii ſæculi) *operibus tribuerunt, ut videatur magna ex parte hunc ſummum articulum de juſtificatione obscuratum eſse.* Cent. IV. Col. 293. *Jam cogitet pius Lector, quam procul hæc ætas in hoc articulo ab Apoſtolorum doctrina desciverit.* Cent. V. Col. 504. *Operibus in juſtificatione hominis coram Deo etiam nimium tribuunt hujus ſæculi Doctores plerique.*

437. Verum ad ſingulos textus ſingillatim respondeo. Et ad I^mum^ quidem, Origenes per vocabulum *ſola* excludit neceſsitatem operis externi, quando videlicet aut potestas aut occasio deest ejusmodi operis faciendi: docet enim loco cit. poſse hominem interdum juſtificari ſine ullo opere externo, ponitque exemplum Magdalenæ & latronis, qui non leguntur jejunaſse, aut eleemosynas feciſse, antequam justificarentur; quamvis hoc non obstante & ipsi quoque ſe disposuerint ad justificationem per opera a Deo requisita ex parte peccatoris. Constat enim latronem de peccatis doluiſse, debitam ſceleribus ſuis pœnam patienter acceptaſse, Christi ſalvatoris opem imploraſse: de Magdalena autem ipse Christus dixit Lucæ Cap. VII. *Remittuntur ei peccata multa quoniam delexit multum.* Ad II. S. Hilarius per vocem *ſola* excludit tantum Legem Mosaicam, de qua loquebatur, idemque est ac si diceret: Lex Mosaica non justificat, ſed ſola fides in Christum. Ad III. S. Basilius excludit tantum opera, quæ fiunt ſine fide & gratia divina, monetque ut unusquisque ſibi persuadeat, ſe nihil justitiæ a ſe habere; ſed quidquid habet donum eſse Dei. Ad IV. Author Commentario-

tariorum in Paulinas epistolas non est S. Ambrosius, sed Hilarius quidam, Ambrosiaster vulgo dictus. Cæterum author ille, quiscunque demum fuerit, per vocem *sola* non excludit nisi opera cæremonialia legis veteris, aut certe necessitatem tantummodo operum externorum. Ad V. S. Chrysostomus id unum docet, fidem solam sine opere externo interdum sufficere; opus vero externum sine fide numquam sufficere, cujus rationem addit; quia fides parit opera, opera autem non pariunt fidem. Ad VI. S. Augustinus de operibus tantum vivis loquitur, & vitæ æternæ meritoriis, quibus lex adimpletur, & merces æterna debetur. Ad VII. S. Leo non opponit ibi fidem operibus, sed fidem Catholicam Arianæ, Nestorianæ, & Eutychianæ impietati. Ad VIII. S. Bernardus loquitur ibi de fide viva, & conjuncta cum charitate, idemque est, ac si dixisset: Qui toto corde aversatur peccatum, & cupit operibus pœnitentiæ Domino satisfacere, etiam antequam opera ista aggrediatur, per fidem vivam & charitatem ferventem Domino reconciliatur. Mentem suam S. Doctor clarissime apperuit tum alibi sæpius, tum præcipue Sermone XXIV. in Cantica: *Non facit hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione.* Et infra: *Neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi rectitudinem.*

438. Objic. III. Ratio Theologica. Justificatio est omnino gratuita, juxta illud ad Rom. Cap. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Atqui si timor, spes & charitas tamquam prævіæ dispositiones requiruntur, justificatio non esset gratuita. Ergo. P. m. Peccator juxta nos deberet aliquid conferre ad justificationem, se præparare ac disponere. Ergo non gratis accipit justitiam, sed merito dispositionis. R. I^mo. Ergo neque fides tamquam dispositio, neque contritio ac pœnitentia requiruntur tamquam conditiones a Deo requisitæ; secus justificatio non foret gratuita. R. II^do. C. M. N. m. Ad *prob.* D. A. Peccator deberet se præparare meritorie, ita ut per illos actus mereatur justi- *Ac ratione Theologica.*

ficationem de condigno, N. A. De congruo tantum, C. A. N. C. Triplici de causa justificari dicimur gratis, Imo. Quia nullus hominum per opera fidem præcedentia meretur justificationem. IIdo. Quia quidquid ad justificationem conducit, gratuitum est Dei donum, ficut & fides. Unde ficut fides non habet rationem meriti, ſaltem de condigno, quam justificatio ſequatur tamquam merces: ita meriti rationem non habent ſpes, charitas, pœnitentia, aliique actus ad justificationem conducentes. IIItio. Quia posito actu fidei, ſpei, charitatis &c. adhuc ex mera Dei liberalitate ſequitur infusio gratiæ, & peccatorum remiſsio: ac proinde ficut actus fidei, ſic & actus cæteri justificationem mereri non poſsunt; cum omnes hi actus non eliciantur in ſtatu gratiæ, quæ est principium meriti proprie dicti, ſive de condigno. Accedit quod gratia ad conversionem nostram congrua & efficax detur ex mera liberalitate, ex ſola misericordia, & affectu ſingulariter benevolo erga justificandum, cum loco hujus potuerit Deus dare mere ſufficientem gratiam.

439. Dices Imo. Si alii actus, v. g. timor Dei, ſpes, charitas, pœnitentia, influunt in justificationem, tunc actus illi erunt meritorii. Atqui non poſsunt eſse meritorii. Ergo non influunt. P. m. Si actus illi ſunt meritorii justificationis, non amplius gratuita erit justificatio. Atqui est gratuita. Ergo. R. D. M. Tunc actus illi erunt meritorii justificationis de condigno, N. M. De congruo, C. M. Et ſic dist. minore, N. C. & retorqueo argumentum. Fides etiam juxta Protestantes influit in justificationem. Ergo justificatio in ipsorum principiis non amplius erit gratuita. Ad *probat.* eodem modo D. M. Si actus illi ſunt mertorii justificationis de condigno, justificatio non amplius erit gratuita, C. M. Si ſunt meritorii tantum de congruo, N. M. Et ſic dist. minore, N. C. Meritum de congruo, ut diximus Tomo IV. Artic. III. Controverſia II, non est meritum proprie tale; hinc minime derogat gratuitæ justificationi. Quod si Protestantes nomine meriti de congruo offendantur, poterunt ſalva

pace

pace & unitate Catholica aſserere, ad justificationem præter fidem requiri alias dispositiones, quas Tridentinum Seſs. VI. Cap. VI. enumerat, quin tamen illæ ſint meritoriæ justificationis, etiam de congruo tantum; habebuntque plures ex Doctoribus Catholicis eadem cum ipsis hac in re ſentientes. Nos cum communiori Theologorum dicimus, eas dispositiones eſse meritorias justificationis de congruo tantum, idque Patrum authoritate ducti, qui eo etiam tempore, quo Pelagianæ lites fervebant, in dispositionibus illis meritum aliquod, de congruo nimirum, haud obscure agnoverunt. Paucos e multis laudabimus. S. Cyprianus Tract. de Lapsis ait: *Qui ſic Deo ſatisfecerit - - - nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.* S. Hieronymus Lib. II. contra Pelagianos: *Qui peccata ſimpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.* S. Augustinus Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum: *Nec ipsa remiſsio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei.*

440. Dices II. Si requiruntur opera ad justificationem, justificatus poterit gloriari contra illud Apostoli ad Rom. Cap. III. *Ubi eſt ergo gloriatio tua? Exclusa eſt.* Ergo opera excludenda ſunt ab actu justificationis. P. A. Si non aliquid de nostro arbitrio conferimus, præparando ac disponendo nos ad justificationem, poſsemus præparationem hanc & dispositionem nobis adscribere, adeoque gloriari tamquam de re nostra, non vero aliena. Ergo. R. Imo retorq. Si fides ad justificationem requiritur, justificatus poterit gloriari. R. IIdo. N. A. Ad *prob.* iterum N. A. Illud ipsum, quod nos disponendo ac præparando conferimus ad nostram justificationem, accepimus a Deo, adeoque gloriari non poſsumus, nisi in Domino. Nam Imo accepimus vires, potentiam, & ſufficientiam; ſine gratia enim præveniente ne quidem poſsumus nos disponere, & præparare ad justificationem. IIdo. Accepimus gratiam, non qualemcumque, ſed congruam & efficacem, ſine qua numquam nos disposuiſsemus. III. Accepimus a Deo auxilum adjuvans & cooperans, omnino

nino neceſsarium ad ipsam actualem præparationem & dispositionem. Ergo licet aliquid conferamus ex nobis; tamen cum hoc ipsum acceperimus a Deo, non poſsumus de illo gloriari tamquam de re nostra, ſed Dei, cujus etiam donum est. Hinc Apostolus II. ad Cor. Cap. X. ſcribit: *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.*

CONTROVERSIA V.

AN GRATIA SANCTIFICANS SIT ÆQUALIS IN OMNIBUS JUSTIS?

CONTRA JOVINIANUM ET PROTESTANTES.

Errores. 441. Jovinianus Sæculo IV. ad finem vergente docuit, omnes justos ſanctitate & justitia æquales eſse, eoquod Stoicorum doctrinam ſecutus aſsereret, virtutes & peccata eſse paria. Eumdem errorem jam ab XI. ſæculis extinctum ſuscitarunt denuo nostrorum temporum Novatores Lutherus & Calvinus, eorumque aſseclæ, diversa tamen ratione ducti. Cum enim pertinaciter contendant, gratiam justificantem eſse formaliter ipsam Christi justitiam fide apprehensam, ajunt, omnes æqualiter eſse justos, ſive majora ſive minora virtutis opera producant; eo quod eadem justitia Christi non per partes, ſed tota & integra applicetur: negantque gratiam ſanctificantem pro inæqualitate dispositionis inæqualiter infundi & donari. Unde Lutherus Serm. de Nativit. B. V. Mariæ ſcribere non erubuit: *Omnes Chriſtiani æque magni ſumus atque Mater Dei, & æque Sancti ac ipsa.*

Inæqualem eſse in juſtis gratiam ſanctificantem oſtenditur ex Scripturis. 442. Conclusio. Gratia ſanctificans non est æqualis in omnibus justis, ſed inæqualis infunditur pro inæqualitate dispositionum. Prob. I^mo Authoritate Scripturarum. Job. Cap. I. dicit Deus: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus.* Proverb. Cap. IV. *Juſtorum ſemita, quasi lux ſplendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.* Ergo quemadmodum vera lux, quæ fulget in aurora, ſemper augetur & crescit usque ad perfe-

perfectionem meridianam: sic etiam vera justitia in hominibus justificatis semper magis ac magis augetur, donec ad perfectionem beatorum in cœlesti patria pertingant. II. Ad Cor. Cap. IX. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* II. Petri Cap. III. *Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri & Salvatoris JESU Christi.* II. ad Cor. Cap. IX. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Apocalypsis Cap. XXII. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Ad Ephes. Cap. IV. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Lucæ Cap. VII. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Ergo cum charitas non distinguatur a justitia, vel saltem huic semper conjuncta sit, gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis.

443. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus Lib. II. contra Jovinianum ait: *Unicuique nostrum data est gratia juxta mensuram gratiæ Christi: non quod mensura Christi diversa sit, sed tantum gratiæ ejus infunditur, quantum valemus haurire.* S. Augustinus Epist. CLXXXVII. alias LVII. ad Dardanum: *Deus totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diversitate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat.* Epist. CLXVII. alias XXIX. ad Hieronymum: *Induti sunt Sancti justitia, alius magis, alius minus.* Tractatu VI. in Joannem: *Ipsi Sancti, intelligite Fratres, boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad sortem civitatis illius Jerusalem, ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, Novit Dominus qui sunt ejus: diversarum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent: sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores.* *Patribus.*

444. Prob. III. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Can. XXIV. ita definit: *Siquis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo* *Conciliis.*

do & ſigna eſse juſtificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema ſit.

Ratione Theologica.

445. Prob. IV. Ratione Theologica. I^ma est. In cœlo datur varietas præmiorum & coronarum, ut ostendimus Tomo III. Artic. VI. Controversia III. Ergo etiam in terra datur varietas meritorum, bonorumque operum. Ergo cum bona opera justificent, majorque aut minor pro varietate dispositionis infundatur gratia ſanctificans, inæqualis etiam erit justitia. II^da est ratio congrua, quam S. Thomas affert I^ma II^dæ. Quæst. CXII. Artic. IV. Quemadmodum Deus voluit universum hoc eſse perfectum, quod ad bona naturalia attinet: ita etiam voluit perfectam eſse ſuam Ecclesiam, quod attinet ad dona gratiæ omnis generis. Sed ad perfectionem universitatis rerum naturalium pertinuit, ut faceret Deus diversos & inæquales earum gradus. Ergo ſimiliter ad perfectionem Ecclesiæ ſpectat, ut inæqnaliter dona gratiæ fidelibus distribuat, quo ex diversis gratiæ gradibus major & illustrior Ecclesiæ perfectio existat.

Ac Protestantium fundamentum evertendo.

446. Prob. V. evertendo fundamentum Protestantium. Falsum est nos justificari formaliter per justitiam Christi, ut paulo ante Controversia II. ostendimus. Ergo Protestantes nullum habent fundamentum dicendi, omnes justos eſse inter ſe pares justitia ac ſanctitate. Præterea quamvis adversariis daretur, formaliter nos justificari per justitiam Christi, ſolide tamen evinci ex eo non potest, fideles eſse justitia ac ſanctitate æquales. Sicut enim pauper aliquis præ alio plus pecuniæ ex eodem ſacco manu ſua magis avida & valida apprehendere atque extrahere potest: ſic quoque Christiani inæquali fervore fidei justitiam Christi apprehendere, & alius præ alio per actum fidei ferventiorem eamdem ſibi applicare potest.

Observanda.

447. Cæterum circa hanc rem observo I^mo, quod prrima ratio, ac potiſsima, cur inter adultos alii majorem gratiam ſanctificantem, quam alii accipiant, ſit referenda in beneplacitum Dei, ſuo arbitratu conferentis quibusdam majora & efficaciora antecedentis gratiæ

tiæ auxilia, quam aliis. Deus enim per gratiam ſuam prævenientem est principalis causa nostræ dispositionis ad gratiam, totaque virtus agendi est a voluntate divina, & ejus gratia præveniente, quam Deus ſingulis distribuit prout vult, adeo ut ſemper ille qui melius disponitur, a Deo habeat majus & efficacius auxilium gratiæ prævenientis. Interim tamen negari non potest, causam aliquam inadæquatam ejusmodi diversæ dispositionis eſse liberum hominis arbitrium, licet hæc causa ſit minus principalis; quia homo prævenienti gratiæ potest aut omnino non cooperari, aut ſaltem minus perfecte. Observo II^do, quod homo propriis actibus in gratia factis eo excrescere non poſsit, ut fomitem peccati, ſeu concupiscentiam penitus extinguat. Paulus enim gratia Dei abundanter instructus, atque ad maximam ſanctitatem a Deo elevatus, dicit ſe adhuc ſentire rebellionem appetitus. Ad Rom. Cap. VII. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Ratio hujus aſsignari alia non potest, quam voluntas Dei, qui privilegium hoc Sanctorum Reginæ conceſsum, justiſsimis de causis ad alios extendere noluit. Argumenta, quibus Protestantes conclusionem noſtram impugnare ſolent, ſolvimus Controversia II, in qua ſtatuimus nos per justitiam inhærentem formaliter justificari, non vero per imputationem justitiæ Christi.

CONTROVERSIA VI.

AN QUIS FIDE DIVINA TENEATUR CREDERE, AUT CERTO SCIRE POSSIT, REMISSIONEM PECCATORUM ET GRATIAM SANCTIFICANTEM SE ESSE CONSECUTUM?

CONTRA PROTESTANTES.

448. Status quæstionis non est I^mo, utrum Deus revelaverit, & fide divina credendum ſit, rite pœnitentibus remitti peccata. II. An peccator, qui bona fide legi- *Status quæſtionis.*

legitimam pœnitentiam commiſsorum criminum ſe egiſse existimat, poſsit ac debeat in Deo confidere remiſsa ſibi eſse peccata. III. An ii, quibus Deus ſpecialiter revelavit remiſsa ipsis eſse peccata, poſsint ac debeant id fide divina credere. Facile enim Catholici omnes dabunt Protestantibus I^mo, in Scripturis clare ac perspicue contineri, ac proinde fide divina, cui nullo modo falsum ſubeſse poſsit, credendam eſse promiſsionem remiſsionis peccatorum, a Deo rite & legitime pœnitentibus factam. At vero cum promiſsio hæc ſit tantum conditionata, si illi nimirum rite ac legitime pœnitentiam egerint: purificatam autem fuiſse hanc conditionem a fidelibus, neque ex Scripturis oſtendi poſsit, neque ordinarie per revelationem privatam habeatur, negant, præscindendo a peculiari Dei atque extraordinaria revelatione, fide divina credi poſse aut debere, ſibi in particulari, aut alteri cuicunque peccata a Deo fuiſse remiſsa. II. Facile damus adversariis certam fiduciam in Deo collocandam eſse, & certo confidendum, post actam legitime pœnitentiam peccata eſse remiſsa. At vero maximum est discrimen inter certitudinem fidei & certitudinem fiduciæ. Certitudo fidei, quia nititur ſola Dei revelantis authoritate, omni ex parte dubitationem excludit. Certitudo fiduciæ partim nititur divina promiſsione, partim propria dispositione. Quod divinam promiſsionem attinet, omnem ſimiliter formidinem excludit, estque ſimplex atque absoluta certitudo: quod propriam attinet dispositionem, non excludit omnem formidinem, neque est certitudo absoluta, ſed tantum ſecundum quid, & conjecturalis. III. Ultro concedimus, eos quibus Deus ſpecialiter revelavit remiſsa ipsis eſse peccata, poſse ac debere id fide divina credere; eo quod authoritas Dei quæcunque placuerit revelantis, firmiſsimum ſemper aſsensum exigat. At vero quamvis certum ſit, remiſsionem peccatorum Magdalenæ, Paralytico, Zachæo, Latroni in Cruce, paucisque aliis eximia ſanctitate conſpicuis revelatam fuiſse, ordinarie tamen negamus hujusmodi revelationem haberi. Quare ut omnis fallacia

ſub-

ſubmoveatur, ſtatus præsentis quæstionis est, utrum debeat aut poſsit aliquis ſine ſpeciali revelatione certus eſse certitudine fidei divinæ, cui nullo modo poſsit ſubeſse falsum, ſibi remiſsa eſse peccata: ſive an in Scripturis, aut ordinarie per illustrationem divinam privatam revelatum ſit absolute & absque ulla conditione, fidelibus in particulari remiſsa eſse peccata, aut conditionem illam, ſub qua promittitur ipsis remiſsio peccatorum, fuiſse ab ipsis impletam.

Quid, & quotuplex ſit certitudo?

449. Antequam decidatur quæstio, paucis certitudinis naturam & divisionem examinabimus. *Certitudo* est firmitas quædam atque immutabilitas veritatis, vel, ut alii dicunt, est veritas neceſsaria aut ex natura ſua, aut ex determinatione jam facta. Certitudo alia est *objecti*, ſeu rei cognitæ vel creditæ; estque immutabilitas rei, quæ aliter ſe habere non potest, quam creditur vel cognoscitur: alia est certitudo *ſubjecti*, id est, hominis cognoscentis vel credentis; estque firmitas quædam aſsensus nostri ad rem, quæ cognoscenda vel credenda proponitur. Rursus alia est certitudo evidens, alia obscura. *Evidens* est earum rerum, quæ aliquo modo videntur; cujus primum gradum obtinent prima rerum principia, alterum conclusiones ex primis principiis evidenter deductæ, tertium ea quæ ſensibus corporis percipiuntur, diciturque certitudo experientiæ. Certitudo *obscura* est earum rerum, quæ ſola fide, vel opinione nituntur; neque enim certitudo idem formaliter est quod evidentia, ut ex dicendis patebit. Obscura hæc certitudo dividitur in metaphysicam & moralem. *Metaphysica* dicitur ea, quæ omnem prorsus formidinem absolute excludit, eoquod neque per absolutam Dei omnipotentiam res aliter habere ſe poſsit. Talem certitudinem habent res omnes a Deo revelatæ, quamvis conjunctam habeant obscuritatem veritatis; neque enim fieri umquam potest, ut Deus quid revelans decipiat, aut decipiatur. *Moralis*, ſeu certitudo fidei humanæ est ea quæ habetur ex motivis absolute quidem fallibilibus, moraliter tamen infallibilibus, quæ nempe omnem prudentem formidi-

nem

nem de opposito excludit. Sic de existentia Romæ, aut Constantinopolis certitudinem habemus stricte moralem, quamvis eas urbes propriis oculis non usurpaverimus. Addere multi etiam solent certitudinem *conjecturalem*, quæ tot signis & conjecturis nititur, ut anxietatem quidem, non tamen omnem formidinem excludat. Verum stricte loquendo conjecturalis hæc certitudo, opinionis est potius quam fidei, neque limites excedere videtur maximæ probabilitatis.

Errores Protestantium, ac singularis opinio Catharini.

450. Nostrorum temporum Novatores, Lutherus, Calvinus, Brentius, Kemnitius &c. ex falso suo principio, quod fides justificans nihil aliud sit quam certa & indubitata fiducia, qua confidimus nobis remissa esse peccata, aut potius ea contegi justitia Christi, inferunt peccatorem non tantum posse, verum etiam certum esse debere de sua justificatione; adeo ut si quis ea de re tantisper dubitet, hoc ipso e statu gratiæ excidat. Novatorum errorem ex parte adoptavit Ambrosius Catharinus, celebris Sæculi XVI. Theologus. Non quidem docuit hic certitudinem fidei de propria gratia necessariam esse ad justificationem, neque hac fide qua homo credit se justum esse, & multo minus hac sola fide hominem justificari; sed tantum asseruit posse omnes justos fide divina & infallibili, non quidem Catholica, sed peculiari, certo sibi persuadere se esse in statu gratiæ, tum propter universalem illam revelationem, qua constat eos justificari qui faciunt ea quæ ad id requiruntur, & simul propter evidentiam, qua possunt justi scire se ea fecisse: tum propter peculiarem revelationem, quam de sua gratia unusquisque justus habet a Spiritu Sancto. Eam tamen fidem ideo dicit non esse Catholicam, quia non est de objecto universali, quod omnes teneantur credere, sitque omnibus revelatum; sed de objecto particulari, quod unusquisque justus de se solo possit credere, se nimirum esse in statu gratiæ.

Nullum certitudine fidei certum es-

451. Conclusio. Nullus sine speciali Dei revelatione certus esse potest certitudine fidei, cui nullo modo potest subesse falsum, remissa sibi esse peccata,

& in

& in ſtatu gratiæ ſe eſse. Prob. Conclusio hæc dogmatica Imo Authoritase Scripturarum. Proverb. Cap. XX. ait Salomon: *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* non quod in hac vita nullus ſit vere mundus; ſecus David a Deo non petiiſset Psal. I. *Cor mundum crea in me Deus:* neque ideo quod homo ſæpe labatur in venialia peccata; hæc enim non impediunt quo minus homo mundus & immaculatus dicatur; ſed quia illi ipsi qui mundi ſunt, nullum habent testimonium infallibile de ſua justitia. Ecclesiastis Cap. IX. dicitur: *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Ubi Salomon loquitur de justis, de amore & odio ſecundum præsentem justitiam vel injustitiam, aitque unam ex miseriis vitæ, eamque non minimam eſse, quod homines justi, ſive considerentur ut homines ſive ut filii Dei, merito formidare poſsint, ne forte non ſint veri justi, cum omnia in futurum ſerventur incerta. Audiendus hac de re B. Hieronymus Commentario in Cap. IX. Ecclesiastis: *Porro hic ſensus eſt: etiam in hoc dedi cor meum, & ſcire volui quos Deus diligeret, quos odiſset; & inveni juſtorum quidem opera in manu Dei eſse, & tamen utrum amentur a Deo, an non, nunc eos ſcire non poſse, & ambiguos fluctuare, utrum ad probationem ſuſtineant quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient, & in vultu eorum ſunt omnia, id eſt, antecedet eos, cum de hac vita diſceſſerint, notitia iſtius rei; quia tunc eſt judicium, & nunc certamen. Et quicunque adversa ſuſtinent, utrum per amorem Dei ſuſtineant, ut Job, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum.* Ecclesiastici Cap. V. dicitur: *De propitiato peccato noli eſse ſine metu.* Quibus verbis formidare jubemur, ne fortaſse ob peccatum illud, quod nobis remiſsum fuiſse videtur, puniamur & damnemur; quia forte remiſsum non fuit, deficiente ex parte nostra ſincera ac legitima pœnitentia. Neque dicas hunc timorem nobis incuti, ne

se poſse de ſua juſtitia offenditur ex Scripturis.

quis

quis propter remiſsum jam peccatum fiat audacior ad rursus peccandum, promittens ſibi facilem a Deo veniam; eo quod timor non ſit de præterito, ſed de futuro. Respodeo enim N. A. Si hic foret genuinus ſensus laudati textus, non diceretur *de propitiato peccato*, ſed *ob propitiatum peccatum:* metus vero non tantum de re futura, ſed etiam de re præterita eſse potest, quatenus respectum habet ad malum aliquod futurum. Sic potest quis v. g. Advocato ſuo dicere: timeo, ne ita meam causam in judicio egeris, ut postea ego condemner. Quare timere nos jubet Spiritus Sanctus, ne culpâ nostra peccata nobis remiſsa non fuerint, atque hac cogitatione vult etiam nos deterreri a peccando in posterum, cum incerta ſit peccatorum tum præteritorum tum futurorum remiſsio. Apostolus I. ad Cor. Cap. IV, vel antequam peculiari revelatione de propria gratia certior fieret, vel in persona justorum, ut ſentiunt S. Chrysostomus & Theophylactus, perspicue aſserit, non poſse ordinarie a justis in hac vita ferri judicium certum ac infallibile de propria gratia; ait enim: *Sed neque me ipsum judico; nihil enim mihi conscius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifeſtabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.* Quibus verbis deterret Paulus Corinthios a judiciis temerariis, quibus unus ab alio aut justus aut peccator judicatur. Ostendit autem judicium de nostra justitia Deo eſse relinquendum, cum ne nos quidem ipsi nos plene cognoscamus. Protestantes respondent, Apostolum eo loco dicere, ſe non ex bona conscientia, adeoque ex operibus bonis justificatum eſse, ſed per justitiam Christi fide apprehensam, ejusque merita. Verum interpretatio hæc perquam absurda est, & a mente Apostoli aliena. Nam Imo. Apostolus cupiebat deterrere Corinthios a judicio temerario: ad hoc autem propositum nihil pertinet illa ratio: Non justificor ex operibus, ſed ex Dei misericordia non imputante peccata: plurimum autem conducit incerti-

certitudo humanorum judiciorum, cum nemo de ſe ipſo infallibiliter certus ſit, ſe eſse in ſtatu gratiæ. IIdo. Nullum prorsus vestigium, nullumque indicium Protestanticæ illius interpretationis extat in laudato textu, ut merito ridendi ſint adversarii, qui ubique justitiam Christi fide apprehensam inveniſse ſibi videntur. III. Si Apostolus per illa verba, *Nihil mihi conscius ſum*, intellexiſset peccata ſua a justitia Christi contegi, ideoque ſibi non imputari, ex ſententia Protestantium per hanc ipsam justitiam Christi fide apprehensam justificatus fuiſset. Quomodo igitur ſcribere ausus eſset: *Sed non in hoc juſtificatus ſum?* IV. Denique Protestantica hæc expositio repugnat communi Patrum interpretationi, qui omnes ex hoc loco colligunt incertitudinem gratiæ, præcipue S. Chryſostomus Hom. XI. in I. Epist. ad Cor. S. Hieronymus Lib. II. contra Pelagianos, S. Augustinus Enarrat. in Psal. XLI. S. Bernardus Epist. XLII. ad Henricum Senonensem.

452. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Ambroſius Serm. V. in Psalm. CXVIII. ſcribit de Davide: *Ideo Deum precatur, ut illud* (opprobrium) *auferat, quia ſolus novit, quod nescire poteſt etiam ipse qui fecit.* S. Basilius in Constitut. Monasticis, Cap. II. *Multa peccantes, plurima neque intelligimus. Quapropter dicit Apoſtolus, Nihil mihi conscius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, hoc eſt, multa pecco, & non intelligo.* S. Hieronymus Lib. II. adversus Pelagianos: *Sunt juſti, ad quos pervenit quasi opus impiorum; & ſunt impii, ad quos pervenit quasi opus juſtorum. Hoc idcirco dicitur, quia certum judicium ſolius Dei eſt.* S. Augustinus Serm. XCIII. alias XXIII. de Verbis Domini: *Forte tu non invenis aliquid in conscientia tua; & invenit ille, qui melius videt, cujus acies divina penetrat altiora: videt forte aliquid, invenit forte aliquid.* Et Lib. de Perfectione juſtitiæ, Cap. XV. ait: *Quantalibet juſtitia ſit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur eſse culpandum.* S. Gregorius M. Lib. VI. Epist. *Patribus.*

Epist. XXII. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam: *Quod vero, dulcedo tua, in ſuis epiſtolis ſubjunxit, importunam ſe mihi exiſtere, quoadusque ſcribam, mihi revelatum eſſe, quia peccata tua dimiſſa ſunt, rem & difficilem, etiam & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.*

Conciliis. 453. Prob. III. Authoritate Tridentini, quod Seſs. VI. Can. XIII. ita definit: *Siquis dixerit, omni homini ad remiſsionem peccatorum aſsequendam neceſsarium eſſe, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata ſibi eſſe remiſsa; anathema ſit.* Can. XIV. *Siquis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac juſtificari ex eo, quod ſe absolvi & juſtificari certo credat, aut neminem eſſe vere juſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum, & hac ſola fide absolutionem & juſtificationem perfici; anathema ſit.* Et Seſs. VI. Cap. IX. *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſe ipsum, ſuamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falsum, ſe gratiam Dei eſſe consecutum.*

Ac ratione Theologica. 454. Prob. IV. Ratione Theologica. I^mo. Fide divina credi non potest, quod a Deo revelatum non est. Atqui a Deo revelatum non est absolute & absque ulla conditione, fidelibus remiſsa eſse peccata. Ergo absolute id credi non potest fide divina, ſed tantum ſub conditione, ſi nimirum homo pœnitentiam egerit, prout oportet. Vide dicta Num. 413. II^do. Nemo infallibiliter est certus de ſua contritione. Ergo nemo potest eſse infallibiliter certus de ſua justificatione. Consequentia negari non potest ab adversariis; quamvis enim negent contritionem eſse dispositionem, aſserunt tamen eamdem, tamquam conditionem ſine qua non neceſ-

necesſario ad justificationem requiri, quia Deus neminem justificat nisi rite contritum. Ergo cum nullus absque ſpeciali revelatione infallibiliter certus ſit de ſua contritione, neque infallibiliter certus eſse potest de ſua justificatione: e duobus enim, quorum alterum ex altero necesſario pendet, unum nequit certo ſine ulla formidine cognosci, nisi eadem certitudine cognoscatur & alterum. Antecedens, quod Lutherus etiam admisit, ſic probatur. Contritio ad justificationem necesſaria, debet eſse ſupernaturalis, ſupernaturali Dei auxilio elicita. Ergo cum nullus infallibiliter certus ſit ſe obtinuiſse auxilium gratiæ ſupernaturalis, quando contritum ſe eſse existimat, nullus pariter infallibiliter certus eſse potest ſe eſse vere contritum, prout requiritur ad justificationem. III. In Evangelio facta nobis promiſsio est de concedendis omnibus, ſeu ſpectent ad bona animæ, ſeu ad bona corporis, quæ petierimus a Patre in nomine Filii ſui, juxta illud Joan. Cap. XIV. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.* Neque tamen idcirco infallibiliter certus eſse quis potest, ſe omnia quæ petit, obtenturum; eoquod promiſsio illa ſit condionata, sì nimirum bene petamus. Ergo etiam quamvis Deus in Scripturis promiserit remiſsionem peccatorum, nullus tamen infallibiliter certus eſse potest, ſe illam consecutum eſse; eoquod promiſsio hæc ſit conditionata, si nimirum debitam egerimus pœnitentiam.

455. Cæterum cur Deus, ordinarie loquendo, neminem infallibiliter certum eſse voluerit de ſtatu gratiæ, rationem aſsignant Theologi, ducibus S. Augustino Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XIII. *In iſto tentationum loco -- tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſsit generare ſecuritas.* Et S. Gregorio M. Lib. IX. Moral. Cap. XVII. *Si ſcimus nos gratiam habere, ſuperbimus.* Contra autem ſecreti hujus ignoratio demiſsionem animi conservat & auget; facit enim, ut ſe fideles ſuperiores invicem arbitrentur, & alter alerum honore præveniat. Hinc Deus non nisi illis propriam justificatio-

Cur Deus id nos latere voluerit?

tionem revelaſse legitur, in quorum mentibus demiſsionem animi & charitatem tam altas radices egiſse cognovit, ut ab elatione animi nullum eis immineret periculum.

Juſtus certitudinem ſtricte talem habere non poteſt de ſua juſtitia.

456. Quæres Imo. An homo juſtus, ſecundum ordinariam Dei legem, habere poſsit certitudinem ſtricte moralem de ſua juſtitia, quæ potentiam prudenter formidandi de opposito excludat, eo fere modo, quo nemo prudenter dubitare potest existere v. g. Romam aut CPolim? R. negative. Nam Imo hanc certitudinem excludere videntur laudati in ſuperiori Conclusione Scripturarum & Patrum textus. IIdo. Non obscure videtur rejici a Tridentino, quod Seſs. VI. Cap. IX. aſserit, quemlibet de ſua gratia formidare & timere poſse, dum considerat ſuam infirmitatem. IIItio. Denique res hæc altiſsima est, valde abdita, & absolute loquendo deceptioni ita obnoxia, ut ordinarie, ſpectata fragilitate hominis ejusque ad malum pronitate, insidiis dæmonum, privati amoris fallacia &c. non videatur prudens formido omnis poſse penitus excludi.

Poteſt tamen habere certitudinem probabilitatis ſeu conjecturalem.

457. Quæres II. An non ſaltem quilibet, qui bona fide ſtuduit gratiam acquirere per ea media, quæ gratiam conciliare valent, neque ſibi conscius est pravi affectus erga peccatum aliquod mortale, poſsit habere cognitionem probabiliter, ſeu conjecturaliter certam de ſua juſtitia? R. affirmative. Prob. Aſsertio Imo Authoritate Scripturarum. II. ad Cor. Cap. I. ait Apostolus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conscientiæ noſtræ.* I. Joan. Cap. III. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Ad Galatas Cap. V. *Fructus autem Spiritus eſt, charitas, gaudium, pax &c.* IIdo. Authoritate Patrum. S. Augustinus Enarratione in Psal. CXLIX. ſcribit: *Eſt quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam eſse ſinceram, noveris eſse ſpem tuam certam, noveris charitatem tuam eſse ſine ſimulatione.* S. Gregorius M. Lib. VI. Epist. XXV. alias CLXXXVII. *Cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione ſecuritas nascitur.* S. Bernardus Serm. VI. in Cantica: *Si hæc*

ſense-

ſenſero, non ambigo Sponſum adeſſe. Verbi ſiquidem hæ copiæ ſunt, & de plenitudine ejus iſta accipimus. Hæc porro certitudo conjecturalis, quam juſti habent de ſua gratia, non est dubitatio, ſed aſsensio quædam, quamvis cum potentia formidandi, aut cum aliqua etiam actuali formidine conjungatur. Qui enim dubitat, proprie loquendo est ſuspenso animo, in partem neutram inclinante: qui autem ob conjecturas ſibi aliquid persuadet, omnino illi aſsentitur, licet non ſine formidine. Ex his, Protestantium calumnia manifeste deprehenditur, qui ut invidiam Catholicis concilient, dicunt doctrinam Catholicorum eſse, quod oporteat dubitare ſolum de gratia in particulari. Cæterum, ſigna ex quibus homo conjicere potest ac ſperare, ſe gratiam juſtificationis eſse consecutum, enumerat S. Thomas I. II^dæ. Quæst. CXII. Artic. V. his verbis: *Cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua ſigna. Et hoc modo aliquis cognoscere poteſt ſe habere gratiam, in quantum ſcilicet percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum homo non eſt conscius ſibi alicujus peccati mortalis.*

Argumenta contraria refutantur.

458. Objicitur I^mo Authoritas Scripturarum. Scriptura ſatis aperte indicat, quemlibet infallibiliter certum eſse de juſtitia ſua. Ergo. P. A. I^mo. Ad Rom. Cap. VIII. dicitur: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Atqui testimonium Spiritus Sancti est infallibiliter verum ac certum. II^do. Joan. Cap. XIV. ait Christus: *In illo die vos cognoscetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* III^tio. Ad Rom. Cap. VIII. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, - - neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei.* IV^to. I. ad Cor. Cap. II. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* V^to. II. ad Cor. Cap. XIII. *Vos-*

Proteſtantes fruſtra confugiunt ad authoritatem Scripturarum.

metipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus JESUS *in vobis est? nisi forte reprobi estis.* VI^to. I. Joan. Cap. III. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et Cap. V. *Scimus quoniam ex Deo sumus.* VII^mo. Joan. Cap. XIII. ait Christus: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* R. N. A. Ad I. R. testimonium equidem Spiritus Sancti in se esse infallibile; at nobis non manifestari illud per revelationem, sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignit certitudinem, nisi mere conjecturalem. Ad II. Christus Dominus loco cit. loquitur de cognitione beata, quæ post hanc vitam erit, quando videbimus Deum non amplius in ænigmate, sed facie ad faciem. Ad III. Apostolus vel loquitur de prædestinatis in genere, ut sensus sit, certum esse quod omnes prædestinati perseveraturi sint in charitate Dei: vel si de se in particulari loquitur, per illud, *certus sum*, non intelligit certitudinem fidei divinæ, sed tantum conjecturalem, seu persuasionem & confidentiam, ita ut sensus sit, persuasum habeo, spero, confido &c. Ad IV. Sermo ibi non est de notitia beneficiorum particularium, sed generalium, nimirum de gloria regni cœlestis, quam electis suis præparatam esse Deus in Scripturis sacris revelavit. Ad V. Ipse contextus manifeste indicat, Apostolum non loqui de certitudine gratiæ sanctificantis, quæ in quolibet justo existit; sed de gratiis gratis datis, de dono linguarum, aliisque miraculis, quæ frequentia erant in Ecclesia Corinthiorum, quæque luculenter demonstrabant divinam Christi potentiam. *Nisi forte*, inquit Apostolus, *estis reprobi*, id est, nisi aliqui inter vos ex infidelitate blasphemantes, divina illa opera tribuant magicis artibus. Ad VI. S. Joannes non loquitur de notitia fidei, sed de conjecturali tantum certitudine. Nam notitia fidei fundatur in revelatione Dei ex parte intellectus; ideo enim intellectu assentimur alicui rei per notitiam fidei, quia a Deo revelata est: notitia vero, de qua Apostolus agit, non fundatur

datur in revelatione, ſed in ſigno, ſive affectu, quem in nobis experimur ex parte voluntatis, nimirum in charitate erga proximum. Ad VII. Charitas proximi ſignum est equidem, quo discipuli Christi ab aliis internoscuntur; ſed tantum externum, quod non efficit certitudinem fidei divinæ, ſed humanam tantum & conjecturalem; quia hoc ipsum ſine revelatione infallibiliter cognosci nequit, an quis vere diligat proximum ut oportet.

459. Objic. II. Authoritas Patrum. S. Augustinus Serm. CLV. alias VI. de verbis Apostoli ſcribit: *Siquis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Ecce adjuvante ipsius misericordia, ſpiritum Chriſti habemus: ex ipsa delectatione juſtitiæ, integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei nobis ineſſe cognoscimus.* Ergo justi, juxta Augustinum, Catholica fide certi ſunt de ſua justitia. II. Idem Tract. LXXV. in Joan. *Tunc erit, ut poſsimus videre quod credimus. Nam & nunc eſt in nobis, & nos in illo: ſed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus.* III. Et Lib. XIII. de Trinitate, Cap. I. *Fidem porro ipsam - - videt quisque in corde ſuo eſſe, ſi credit, vel non eſſe, ſi non credit.* Ergo etiam videt justitiam. IV. S. Hilarius in Cap. V. Matth. *Regnum cœlorum, quod Dominus in ſe eſſe positum eſt profeſſus, vult ſine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate ſperari; alioqui juſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ipsa fiat ambigua.* V. S. Ambrosius Serm. V. *Quisquis illi fermento Chriſti hæresit, efficitur & ipse fermentum, tam ſibi utilis, quam idoneus universis, & de ſua certus ſalute, & de aliorum acquisitione ſecurus.* Ergo. R. ad I. N. C. Illud *Catholica fide* non debet referri ad modum cognoscendi, ſed ad ſignum & conjecturam. Non enim ſignificavit Augustinus, nos Catholica fide cognoscere Spiritum Dei eſse in nobis, quasi Spiritum Dei eſse in nobis eſset objectum fidei Catholicæ; ſed dicit, nos ex delectatione justitiæ, atque ex fide Catholica, quam habere nos experimur, tamquam ex quibusdam ſignis colligere poſse Spiritum Dei eſse in nobis. Ad II. Chri- *Ac Patrum.*

Christum esse in nobis, & nos in illo, non significat Christum esse in nobis per gratiam sanctificantem; sed Christum esse in Ecclesia ut caput in corpore, & Ecclesiam esse in Christo ut corpus unitum cum suo capite. Ad III. R. Quando credimus & diligimus, certissimi sumus nos credere & diligere: sed utrum actus illi sint, quales esse oportet, & utrum ex gratia habituali proficiscantur, sine revelatione sciri infallibiliter nequit. Ad IV. S. Hilarius loco cit. non loquitur de fide propriæ justificationis, quasi unusquisque credere debeat, sibi remissa esse peccata; sed de fide resurrectionis corporum, quæ nisi certissima sit, ita ut omnem dubitationem excludat, spes quoque nulla esse poterit. Ad V. S. Ambrosius loquitur de certitudine conditionali, non vero de absoluta, ita ut sensus sit, eum qui adhæret Christo, certum esse de sua salute, & de aliorum acquisitione, si Christo vere adhæreat, & in illo permaneat.

460. Ad solvendos alios Patrum textus, quos Protestantes perperam adducunt, notandum I^mo, quod in ejusmodi locis solum agatur de remissione peccatorum in genere, non autem singulis applicata. II^do. Quod sermo sit solum de cognitione, aut certitudine conjecturali, vel de quibusdam tantum personis, quibus speciali privilegio peculiaris revelatio ea de re facta sit. III. Quod sermo sit de certitudine gratiæ, quantum est ex parte Dei, & efficacia mediorum, quæ a Deo ad conciliandam gratiam præscripta sunt, vel etiam ex hypothesi, siquis nimirum legitime utatur ejusmodi mediis a Deo præscriptis.

Et rationem Theologicam.

461. Objic. III. Ratio. Certitudo fidelium de sua justitia fundatur in promissione divina cuilibet facta, & revelata in Scripturis, Joan. Cap. III. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Et Act. Cap. XIII. *In hoc omnis qui credit, justificatur:* atque in fidelitate Dei, qui stat suis promissis. Atqui certitudo fundata in hoc complexo, est certitudo fidei divinæ. Ergo. R. D. M. Fundatur in promissione divina cuilibet facta absque omni conditione, N. M. In promissione divina conditiona-

tionata, C. M. Et D. m. Est certitudo fidei divinæ circa veritatem promiſsionis conditionatæ, C. m. Circa veritatem conditionis purificatæ, N. m. Promiſsio juſtificationis, etiam juxta adversarios, non absoluta, ſed conditionata est; cum & ipsi ultro fateantur, a Deo neminem justificari nisi vere pœnitentem & credentem. Igitur ut certi ſimus certitudine fidei & absoluta, quod a Deo nobis remiſsa fuerint peccata, debemus pariter infallibiliter certi eſse, nos vere pœnitere, & credere ſicut oportet. Quamvis enim fide divina credamus promiſsionem ex parte Dei nobis factam eſse, Deumque in ſuis promiſsis eſse fideliſsimum; nondum tamen ſumus certi, quod ex parte nostra fecerimus illa quæ Deus a nobis requirit, ut promiſsio divina compleatur, nisi id nobis per divinam revelationem innotescat: hoc autem cum in Scripturis nemini ſingillatim ſit revelatum, neque revelationem privatam ordinarie habeamus, ſequitur nos neutiquam habere certitudinem fidei de nostra justificatione, ſed certitudinem tantum conjecturalem, cui potest ſubeſse falsum.

462. Dices I. Multi aſsignari poſsunt casus, quibus homo de ſua justificatione infallibiliter certus eſse potest. Ergo. P. A. Imo. Adultus qui baptizatur, dispositionis ſuæ optime conscius: item peccator contritus, qui a Sacerdote absolvitur, juxta Catholicos de ſua juſtitia certus redditur. II. Potest quis ſine ulla errandi formidine cognoscere, ſe a longo tempore vitaſse omnia peccata mortalia; quod juxta Doctores Catholicos fieri nequit ſine gratia ſanctificante. Ergo ſine ulla formidine errandi potest cognoscere ſe eſse habitualiter juſtum. III. Martyres certi ſunt ſe pro Christo mortem oppetere, cum ſit ipsis propria intentio evidenter nota. Ergo ſine ulla formidine errandi persuadere ſibi poſsunt, ſe eſse in gratia, juxta illud Joannis Cap. XV. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.* R. N. A. Ad I. R. Adultus qui baptizatur, neque infallibiliter, neque ſtricte moraliter certus eſse potest, quod de peccatis ſuis vere doleat, quod affectum ad peccatum

tum grave non retineat, quod obicem non ponat effectui baptismi, aut quod minister debitam habeat intentionem. Similiter pœnitens neque de propria dispositione, neque de intentione ac jurisdictione Sacerdotis infallibiliter aut ſtricte moraliter certus eſse potest. Ad II. N. A. Certitudinem habere potest conjecturalem, non ſtricte moralem, ac multo minus infallibilem, quod a longo tempore omnia peccata gravia vitarit; ut enim Propheta regius ait Pſal. XVIII. *Delicta quis intelligit?* Ad III. N. A. Martyres quidem certi eſse poſsunt, exercere ſe opus ſummæ charitatis, non autem quod habeant ſummam charitatem. Nam potest id opus eſse etiam effectus imperfecti alicujus amoris erga Christum, qui conjunctus ſit cum aliquo peccato mortali occulto; ſicut etiam accidit quibusdam hæreticis, ut ſine vera charitate mori voluerint pro Christo, atque adeo etiam ex affectu aliquo erga Christum, non tamen tali, qualem habere oportet.

463. Dices II. Si habemus certitudinem nos fuiſse rite dispositos ad justificationem, tunc poſsumus fide divina credere nos eſse justificatos. Atqui hanc certitudinem habemus. Ergo. P. M. Juxta Catholicos Doctores e duabus præmiſsis, quarum una est revelata & de fide, altera vero aliunde certa, potest inferri conclusio, quæ ſit de fide, ut patet in hoc ſyllogismo: *Omnis Pontifex legitime electus, eſt verus Chriſti Vicarius, & Petri Succeſsor. Sed Clemens XIV. eſt legitime electus. Ergo eſt verus Chriſti Vicarius, & Petri Succeſsor.* Ubi minor non est revelata, & tamen conclusio est de fide. Ergo etiam in hoc ſyllogismo: *Omnis qui credit in Chriſtum fide viva, juſtificatur. Sed ego credo in Chriſtum fide viva. Ergo ego ſum juſtificatus*, conclusio poterit eſse de fide, licet minor propositio non ſit revelata, ſed tantum experimentaliter certa, R. D. M. Si habemus certitudinem moralem ſtricte talem, C. M. Si habemus certitudinem tantum conjecturalem, & late ſumptam, N. A. Et ſic dist. min. N. C. Implicite revelata numquam poſsunt credi fide divina, si ſub explicite revelatis contineantur tantum probabiliter, aut late moraliter

liter certo; ſola enim probabilitas non ſufficit, ut objecta etiam explicite revelata credi poſsint; alias fides divina ſtare poſset cum formidine & dubio. Contra vero implicite revelata poſsunt explicite credi fide divina, si ea contineri in explicite revelatis ſtricte moraliter certo constet. Tunc enim tanta habetur certitudo, quod ita contineantur, quanta regulariter ſufficit, ut ipsa objecta explicite revelata credi poſsint ac debeant: neque enim ſemper expectari potest nova revelatio, aut evidentia metaphysica de existentia revelationis; alias nulla religio poſset firmiſsime teneri, quia in nulla habetur evidentia metaphysica omnium Mysteriorum ac dogmatum ad veram religionem pertinentium. Ad *probat.* C. A. N. C. & paritatem. Clementem XIV. eſse legitime electum, ſtricte moraliter certo nobis constat, posteaquam ab universa Ecclesia absque probabili contradictione acceptatus fuit tamquam legitimus Pontifex. Quamvis enim in prima electione Cardinalium impedimentum aliquod irritans ipsam electionem interceſsiſset, ſublatum tamen hoc fuiſset per ſubsequentem Ecclesiæ acceptationem. At vero minor propositio ſyllogismi posterioris, *Sed ego credo in Chriſtum fide viva*, est certa certitudine tantum late tali, & conjecturali. Siquis enim consideret artes dæmonis, & illius deceptiones, proprium amorem, cæcitatem & infirmitatem, ac denique ſimiles motus & ſensus quandoque reperiri in ipsis peccatoribus, habet ſane non imprudentem rationem metuendi, ne adulterina ſit pœnitentia, & fides charitate destituta.

464. Dices III. Si infallibiliter certi non ſumus de justitia nostra, anxie ſemper dubitandum eſset omnibus, an ſint in ſtatu gratiæ vel peccati. Atqui hoc dici nequit. Ergo. R. Imo. Infallibiliter certi non ſumus, nos ex his parentibus progenitos eſse, atque ex legitimo matrimonio; neque tamen idcirco anxie dubitamus, an ex adulterio, aut illegitimo thoro nati ſimus. Nimirum in humanis ſufficit ea certitudo, quæ ordinarie haberi potest. Ergo etiam a pari, cum major certitudo ordinarie haberi nequeat de justitia nostra,

stra, quam conjecturalis; sufficit hæc ad excludendam anxietatem, & dubium deponendum, quamvis potentiam formidandi, aut etiam actualem formidinem non semper penitus removeat. R. II^do. N. M. Qui opinionem habet probabilem, & certitudinem conjecturalem de sua justitia, proprie loquendo non est dubius, neque suspendit judicium suum; sed assentitur alterutri partri contradictionis, quamvis non sine formidine errandi; confiditque se esse justum, ac in divino auxilio & misericordia certissimam spem collocat.

ARTICULUS III.

DE PRAEDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

CONTROVERSIA I.

AN IN DEO DETUR CERTA ET IMMUTABILIS ALIQUORUM PRÆDESTINATIO AD GRATIAM ET GLORIAM?

CONTRA MANICHÆOS, PRISCILLIANISTAS &c.

Quid sit Prædestinatio?

465. *Prædestinatio* generatim accipitur pro quavis præordinatione, qua de rebus, antequam fiant, aliquid statuitur, definitur, decernitur. Componitur ex particula *præ*, quæ antecessionem significat seu durationis & temporis, seu causalitatis: & ex verbo *destino*, quod proprie significat mittere, constituere, definire, ordinare. Prædestinatio divina in sensu non nihil strictiore significat illam præparationem, qua Deus alios ad gratiam & gloriam, alios vero ad æternam damnationem destinat. Atque hinc S. Augustinus Tract. XLVIII. in Joan. scribit: *Quomodo ergo istis dixit, Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Et Valentinum III. anno 855. celebratum, Can. III. *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Nostris temporibus usus obtinuit,

ut

ut prædestinatio divina in bonam partem ſolummodo usurpetur, pro electione ſcilicet, & destinatione aliquorum ad gratiam & gloriam.

466. Prædestinationem divinam relate ad homines ita definit S. Augustinus Lib. de Dono Perseverantiæ; Cap. XIV. *Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: præscientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur, quicunque liberantur.* Dicitur I^mo *Præscientia*, id est, non ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ tantum versatur circa res mere poſsibiles; ſed ſcientia visionis, quia versatur circa ea quæ absolute futura ſunt, & ſcientiam mediam, ſive conditionalium ſupponit, prælucentem decreto præparandi auxilia gratiæ. II. *Præparatio*, id est, æterna in mente Dei dispositio mediorum, quibus in tempore creaturam rationalem ad finem ſuum ultimum certiſsime dirigit ac conducit. III. *Beneficiorum Dei.* Quibus verbis intelligit potiſsimum S. Doctor prædestinationem ad gratiam, de qua una tantum ipsi res erat cum Pelagianis & Semipelagianis, quorum hic erat capitalis error, prædestinari hominem ad gratiam ex prævisis naturæ meritis, ſive futuris ſive etiam non futuris, & ex pio quodam affectu naturali ad credendum. IV. *Quibus certiſsime liberantur.* Quibus verbis & certitudo prædestinationis, & efficax gratiæ virtus designatur ac commendatur, ſimulque innuitur, non definiri hic prædestinationem Angelorum, ſed hominum dumtaxat; quia Angeli nulli fuerunt miseriæ obnoxii, a qua opus eſset ut liberarentur. V. *Quicunque liberantur.* Ut ostendatur non omnes liberari, quia non omnes ſunt prædestinati ad gratiam & gloriam: & neminem actu ſalvari, nisi adjutum gratia efficaci. Quamvis enim poſsit quis cum gratia ſufficiente ſaluti ſuæ consulere, numquam tamen actu consulet, ex malitia propriæ voluntatis.

Juxta S. Augustinum.

467. Paulo aliter, modo autem quoad ſubstantiam minime diverso, prædestinationem relate ad homines & Angelos definiunt Theologi antiquiores. S. Thomas I. Parte, Quæst. XXIII. Artic. I. ſcribit: *Ratio*

Et antiquiores Theologos.

trans-

transmiſsionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædeſtinatio nominatur. Ubi per rationem transmiſsionis intelligit collectionem illam mediorum, qua Deus in tempore utitur ad perducendam creaturam rationalem ad vitam æternam. Et in I. Sentent. Dist. XL. Quæst. I. Artic. II. *Eſt præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Scotus in I. Sentent. Dist. XL. Quæst. unica: *Prædeſtinatio eſt electio creaturæ rationalis, vel intellectualis ad gratiam & gloriam.* Et in III. Dist. VII. Quæst. V. *Prædeſtinatio eſt præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.*

Quotuplex ſit Prædeſtinatio.

468. Prædestinatio dividitur velut totum in ſuas partes, in prædestinationem ad gratiam & ad gloriam. Prædestinatio ad gratiam, est voluntas divina absoluta & efficax dandi gratiam, ſive media ad æternam ſalutem conducentia. Atque hinc vocari etiam ſolet *radicalis* prædestinatio ad gloriam, quia gratia est radix ac ſemen gloriæ per prædestinationem intentæ. Prædestinatio *formalis ad gloriam*, est voluntas absoluta & efficax dandi gloriam. Utraque harum ſeorsim ſumpta, dicitur inadæquata; adæquata enim prædestinatio complectitur tum electionem creaturæ rationalis ad gloriam, tum præparationem mediorum ad illam obtinendam.

Prædeſtinatio pertinet ad intellectum, et voluntatem Dei.

469. Communior Theologorum ſententia prædestinationem vult partim ad intellectum divinum, partim etiam ad voluntatem pertinere. Ad intellectum quidem quatenus continet dispositionem mediorum, quibus creatura rationalis perducenda est ad ſalutem; præscire enim, disponere, dirigere, proprium est intellectus: ad voluntatem vero, quatenus Deus ex affectu misericordiæ decernit electis dare gratias efficaces, & gloriam; misereri enim ac decernere, voluntatis est. Hinc Scriptura, quando de divina prædestinatione agit, eos actus exprimit, qui partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinent. Sic ad Rom. Cap. VIII. ait Apostolus: *Quos præscivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui.* Et ad Ephes. Cap. I. *Prædeſtinavit nos ... ſecundum propositum voluntatis ſuæ.*

470.

Errores Sectariorum.

470. Prædestinationem, non omnem quidem, ſed eam quæ a Deo est rerum omnium Conditore ac proviſore ſuaviſsimo, negarunt quotquot ex Veteribus vel fatalem ex ſyderum influxu neceſsitatem invexerunt, ut Aſtrologi, Manichæi, Priscillianistæ; vel unumquemque hominum natura ſua bonum aut malum, ſalvandum vel reprobandum nasci, cum Valentino, Basilide, Marcione arbitrati ſunt. Singularis quoque fuit Ambrosii Catharini ſententia. Is in Tractatu de Prædestinatione, quem durante adhuc Concilio Tridentino edidit, duos distinguit hominum ſalvandorum ordines. Primus est eorum, quos insigniter electos ac prædestinatos vocat. Hos autem ante omnem meritorum prævisionem prædestinatos eſse contendit, quibus tanta & tam efficacia ac infallibilia ſalutis aſsequendæ media Deus ex ſuo beneplacito largitur, ut fieri non poſsit, ut ad vitam non perducantur æternam. Certitudinem hujusce prædestinationis Catharinus profluere vult non a ſcientia Dei tantum, ſed maxime a providentia, ſeu decreto ipsius efficaci, absoluto & antecedente. Alter ſalvandorum ordo est eorum, qui communi providentiæ relicti, ac communibus duntaxat auxiliis adjuti, præsciuntur quidem a Deo ex meritis ſalvandi; at non ex ſpeciali decreto efficaci & absoluto, antecedente omnem meritorum prævisionem. Horum numerum certum quidem eſse ait ex præscientia, non vero ex ſpeciali Dei providentia. Cæterum dum Catharinus docet, aliquos eſse quidem ſalvandos, ſed a Deo non prædestinatos, id non ſic intelligendum est, quasi omnem omnino Dei prædestinationem ab iis qui ſalvi fiunt, removendam eſse arbitretur, eisque putet quasi fortuito gloriam obtingere; ſed hoc ſolum contendit, quosdam ad ſalutem pervenire non prædestinatos, prædestinatione videlicet gratuita, quæ omnem meritorum prævisionem antevertat, vi cujus ſingularia & infallibilia ſalutis aſsequendæ media ſeligantur.

Singularis Catharini opinio.

Rejicitur.

471. Verum Catharini hæc opinio merito a Theologis rejicitur duplici ex capite. Imo. Quia duplex hic in Deo prædestinandi modus nullum habet in Scripturis

pturis ac traditione fundamentum; de omnibus enim electis indiscriminatim ait Christus Matth. Cap. XXV. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* II^do. Quia nulla videtur esse in hoc systemate specialis Dei prædilectio erga illos, qui ad secundum salvandorum ordinem pertinent. Hæc enim specialis prædilectio Dei neque se tenet ex parte finis, cum Deus serio velit omnes omnino homines salvos fieri: neque se tenet ex parte mediorum; cum non nisi communia & generalia salutis assequendæ media hujusmodi salvandis concedantur. Neque respondere potest Catharinus, specialem Dei prædilectionem ex eo elucere, quod Deus ex pura benignitate ea gratiæ auxilia seligat, & conferat, quibus prævidet hominem consensurum, ac certo salvandum fore, cum nullam ille Scientiam mediam admiserit.

Datur in Deo vera aliquorum prædestinatio.

472. Conclusio I. Datur in Deo vera aliquorum prædestinatio ad gratiam & gloriam. Dixi *aliquorum*, quia non omnes sunt prædestinati, sed tantum aliqui, ut Christus testatur Matth. Cap. XX. *Multi sunt vocati, pauci vero electi:* atque ipsa ostendit experientia; constat enim non omnes justos in sanctitate finaliter perseverare, sed multos ab illa ante mortem excidere, perseveraturos utique, si essent prædestinati, juxta illud ad Rom. Cap. VIII. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Prob. Conclusio I^mo Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. XXV. ait Christus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Ad Ephes. Cap. I. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.* Prob. II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. de Dono Persever. Cap. XXI. *Nimiæ contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.* Et Cap. XXIII. *Prædestinationis hujus fidem, quæ contra nos*

vos

vos hæreticos nova ſollicitudine nunc defenditur, numquam Eccleſia Chriſti non habuit. S. Prosper in Responsione I. ad Objectiones Gallorum: *Prædeſtinationem Dei nullus Catholicus negat.* S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, Cap. XXXV. *Firmiſsime tene, & nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos eſse a Deo.* Prob. III. Ratione Theologica. Quod Deus facit in tempore, illud ab æterno facere decrevit, cum Deus nulli ſit mutationi obnoxius. Atqui non nullis hominibus dat gratiam & gloriam in tempore. Ergo illam dare hominibus istis decrevit. Atqui decretum illud est ipsa prædestinatio. Ergo.

473. Conclusio II. Prædestinatio est certa atque immutabilis. Prob. I^mo Authoritate Scripturarum. Joannis Cap. X. ait Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quibus verbis ſignificatur ſumma certitudo rationis, qua in ſalutem æternam diriguntur prædestinati. II. Authoritate S. Augustini, qui Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. VII. ſcribit: *Horum* (prædestinatorum) *ſi quisquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Ex quibus hoc instruitur argumentum. Tanta certitudine certum est, neminem prædestinatorum eſse periturum, quanta certum est, Deum numquam eſse fallendum, aut humano vitio vincendum. Atqui hoc certum est certitudine ſumma & infallibili. Ergo. Atque hinc S. Doctor prædestinationem definiens Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XIV. ait, quod ſit *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur, quicunque liberantur.* III. Ratione Theologica. Prædestinatio est actus intellectus & voluntatis divinæ. Ergo quia Deus omnia novit, & quæcunque voluit fecit, certi-

Æque certa ac immutabilis.

certitudo prædestinationis quæ oritur ex præscientia & decreto Dei, est ſumma & infallibilis. Eadem ratio ostendit quoque prædestinationem eſse immutabilem. Nam prædestinatio est voluntas Dei absoluta & efficax conferendi gratiam & gloriam. Atqui voluntas Dei absoluta & efficax est immutabilis; quod enim Deus ſemel vult, non potest illud non velle ab æterno, nec potest desinere velle aliquando quod ſemel voluit. Ergo.

Effectus prædeſtinationis adæquatæ recenſentur.

474. Quæres Imo. Quinam ſint effectus prædestinationis completæ & adæquatæ? R. generatim omnia illa beneficia gratuita, quæ Deus ob merita Christi præparavit prædestinatis ex voluntate efficaci illos perducendi ad beatitudinem. In ſpecie effectus prædestinationis communiter reducuntur ad tres claſſes. In prima ſunt bona ſupernaturalia, vocatio, juſtificatio, & glorificatio. Ad vocationem internam, quæ fit per gratiam prævenientem, revocantur prædicatio Evangelii, miracula, bona aliorum exempla, motus fidei, ſpei, charitatis, contritionis, quibus homo cooperatur gratiæ excitanti ante juſtificationem. Ad juſtificationem pertinent omnia dona gratiæ, quæ illam conſequuntur usque in finem vitæ, cujusmodi ſunt auxilia gratiæ actualis, opera meritoria, augmentum gratiæ, perseverantia finalis, remotio omnium occaſionum, in quibus ſuccumberet humana fragilitas. Ad glorificationem pertinet ipsa vita æterna, cæteraque bona, quibus Beati in cœlis fruuntur. In ſecunda claſſe ſunt bona naturalia, quæ ex ſpeciali Dei providentia & amore ad vitam æternam ordinantur, ut creatio, conſervatio, honesta educatio, inſtructio, ingenua indoles, doctrina, aliaque naturæ dona. In tertia claſſe ſunt mala pœnæ, afflictiones & calamitates hujus vitæ, quæ juſtis occaſionem offerunt exercendæ ac perficiendæ virtutis; immo ipsa etiam permiſsio peccati, non quidem per ſe & ratione ſui, ſed ratione ſubsequentium bonorum, quæ Deus ſua virtute ac ſapientia novit eruere. Hinc Apoſt. ad Rom. Cap. VIII. ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui*

qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti. Atque hanc veritatem perſpectam habuere Patres, præcipue Augustinus Lib. de Correptione & Gratia, Cap. IX. *Talibus Deus, diligentibus eum, omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via juſta cum tremore ſe exultare debere, non ſibi arrogando tamquam de ſua virtute fiduciam permanendi.*

475. Quæres II. An prædestinatio adultorum ad gloriam, ſaltem ordinarie, alligata ſit certis mediis? R. Deus quidem non cuilibet medio particulari alligat ſalutem; alias qui vel ſemel diſsensiſset alicui auxilio, jam non eſset prædestinatus: At neque etiam, ſaltem ordinarie, prædestinat ad gloriam affectu tam illimitato, ut si prædestinatus prævideretur diſsensurus eſse auxiliis, quæ ipsi aliquando conferenda ſunt, eidem conferret alia & alia ſine ullo limite, quibus tandem ſalvaretur; ſed ſalutem alligat certo numero & qualitati intra unam vel plures determinatas ſeries auxiliorum, ita ut si homo illa omnia respueret, non acciperet alia & alia illimitate, ſed ſineretur tandem perire. *Prædeſtinatio adultorum ordinarie alligata eſt certis mediis.* Prob. Aſsertio Imo. Authoritate Scripturarum. Ad Rom. Cap. XI. ſcribit Apostolus: *Vide ergo bonitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanserint in incredulitate, inserentur.* II. Petri Cap. I. *Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Apocalypsis Cap. III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* IIdo. Authoritate Theologorum, ac communi persuasione Fidelium, existimantium hunc vel illum periturum fuiſse, si his vel illis determinatis mediis bene non fuiſset usus ad ſalutem, v. g. si non fuiſset religiosum ſtatum amplexus, si quasdam peccandi occasiones non vitaſset. Confirmari etiam aſsertio potest ex eo, quod alias apud plerosque tolleretur, vel ſaltem plurimum

imminueretur ſtudium bonorum operum, curaque ſalutis tam propriæ quam alienæ. Neque dicas, quod explicari a nobis nequeat, quomodo Deus efficaciter tali modo velit finem, aut quomodo ſpecialiter ſit erga electos benevolus. Deus enim vult efficaciter electis gloriam conferre, ſed affectu limitato, & respiciente certa media. Est etiam Deus erga electos ſpecialiter benevolus, quod prorsus gratuitò, atque ex mera misericordia conferat illis gratias efficaces præ inefficacibus, quas poſſet conferre.

Prædeſtinati pauciores ſunt reprobis.

476. Quæres III. Quantus ſit numerus hominum prædestinatorum? Resp. S. Thomas I. Parte, Quæst. XXIII. Artic. VII. tres recitat ſententias. Prima est, tot homines ſalvandos, quot Angeli ceciderunt. Sententiæ huic favere videtur S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. Dei, Cap. I. *De mortali progenie merito juſteque damnata* (Deus) *tantum populum gratia ſua colligit, ut inde ſuppleat & inſtauret partem, quæ lapſa eſt, Angelorum: ac ſic illa dilecta & ſuperna civitas non fraudetur ſuorum numero civium, quin etiam fortaſsis & uberiore lætetur.* Secunda est, tot homines ſalvandos, quot Angeli in veritate ſteterunt, ſeu quot ſunt Angeli beati. Tertia, tot ſalvandos aſserit, quot Angeli a Deo fuerunt creati. Verum hæc omnia incerta eſse ipse S. Doctor loco cit. diserte fatetur. *Sed melius*, inquit, *dicitur, quod ſoli Deo eſt cognitus numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.* Hoc unum ex divinis Scripturis novimus, numerum electorum eſse absolute maximum. Apocalyp. Cap. VII. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Atque hæc de hominibus prædestinatis comparate ad Angelos. Quod si comparatio ſalvandorum hominum instituatur cum reprobis veræ fidei expertibus, certa est atque indubitata Doctorum Catholicorum ſententia, numerum prædestinatorum incomparabiliter minorem eſse numero repro-

reproborum; maxima enim pars hominum, aut inanium Deorum cultui est mancipata, aut Judaïca vel Mahometana ſuperstitione polluta, aut hæretica labe infecta; quibus proin nulla ſuperest ſpes æterna felicitate potiundi, nisi deposito errore ad agnitionem verì Dei perducantur, aut ad unitatem Catholicam revertantur. Quin immo inter ipsos Catholicos, qui fuerunt ab initio conditæ Ecclesiæ, & futuri ſunt deinceps, plures eſse reprobos quam electos, multo verisimilius est. Prob. hæc ultima aſsertio Imo Authoritate Scripturarum. Matth. Cap. XX. ait Christus: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Atque hæc dicuntur de iis, qui vocati venerant, & laboraverant in vinea, id est, de fidelibus. Matth. Cap. III. in Ecclesia permixti ſunt mali cum bonis, ſicut in area miscentur paleæ cum tritico. Ergo ſicut in area major est palearum numerus quam tritici, ita & in Ecclesia plures ſunt reprobi quam prædestinati. IIdo Authoritate Patrum. S. Chrysostomus Hom. XXIV. in Act. Apostolorum, ſeu ut perperam citari ſolet, Hom. XL. ad populum Antiochenum: *Quot putatis eſse in hac civitate, qui ſalvi fiant? Non poſsunt inveniri in tot millibus centum, qui ſalventur. Quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia? Quantus in ſenibus tepor?* Quod utinam non de ſingulis Christianorum civitatibus vere dici poſset. S. Augustinus Lib. III. contra Cresconium, Cap. LXVI. *Ipsi boni verique Chriſtiani, qui per ſe ipsos multi ſunt, in comparatione malorum falsorumque itidem pauci ſunt. Sic multa grana quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* S. Gregorius M. Hom. XIX. in Evang. *Multi ad fidem perveniunt, & ad cœleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtivitatem quam multi convenimus; parietes Ecclesiæ implemus; ſed tamen quis ſciat quam pauci in illo electorum grege numerantur?* III. Ratione. Pauci mandata Dei custodiunt, paucique post peccatum condignam agunt pœnitentiam. Et quamvis plurimi, ſaltem ante mortem, Deo reconcilientur per Sacramenta; conversio tamen vera,

ad mortem usque dilata, valde rara est, ac frequentissime ad minimum dubia: adeoque talis non est, quæ plurimorum salutem vere probabilem nobis faciat. Vide plura hac de re apud Cornelium a Lapide, Comment. in Epist. S. Jacobi Cap. II.

Argumenta contraria refutantur.

Prædestinationem non evertit paritas.

477. Objicitur I. contra Imam Conclusionem, Paritas. Deus non prædestinavit Angelos. Ergo neque prædestinavit homines. P. A. Prædestinatio est præparatio gratiæ ex natura sua efficacis & connexæ cum consensu salutari. At talis gratia non fuit præparata Angelis, utpote quos Deus reliquit in manu consilii sui. Ergo Deus non prædestinavit Angelos. P. M. Prædestinatus salvari certissime atque infallibiliter non potest, nisi gratia sit ex natura sua efficax. Ergo prædestinatio est præparatio gratiæ ex natura sua efficacis, & connexæ cum consensu salutari. *Confirmat.* Prædestinatio est propositum miserendi. Sed propositum miserendi, quod supponit miseriam peccati in eo cujus Deus miseretur, locum habere non potuit in Angelis, qui in veritate steterunt, peccati miseriam numquam experti. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* N. M. Prædestinatio est tantum præparatio gratiæ, qua certissime salvabitur prædestinatus, quicunque hic fuerit, sive Angelus sive homo. Ad hujus *probat.* N. A. Ut prædestinatus infallibiliter salvetur per auxilia indifferentia, & de se non connexa cum consensu salutari & gloria æterna, sufficit quod Deus præsciat, prædestinatum consecuturum esse salutem per illa auxilia, si conferantur. Tunc enim prædestinatus per illa auxilia, quantumcunque ex natura sua repudiabilia sint, tanta certitudine salutem reipsa consequetur, quanta certitudine Deus novit omnia quæ novit. Ad *confirm.* D. M. Prædestinatio relate ad homines, est propositum miserendi, C. M. Relate ad Angelos, N. M. Essentia prædestinationis & Angelis & hominibus communis habetur per præparationem mediorum, quibus creatu-

ra

ra rationalis in finem vitæ æternæ infallibiliter in tempore transmittitur.

478. Objic. II. Sequela. Si datur in Deo prædestinatio aliquorum, valebit illud dilemma, quo aliquem in ſuo monasterio fuiſse turbatum, ac deserta religiosa vita ad ſæculum rediiſse memorat S. Augustinus Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XV. Vel ſum prædestinatus, vel non: si ſum prædestinatus, ſalutem certiſsime consequar, tametsi genio meo indulgeam: si vero non ſum prædestinatus, quidquid boni egero, tandem deserente gratia æternum peribo. Atqui hoc dilemma hominem in ſocordiam, aut desperationem conjicit. Ergo. R. N. M. Sicut infallibilis Dei præscientia non extinguit in nobis ſtudium ſectandæ virtutis, neque in desperationem nos conjicit, quia res futuras ſupponit, non autem facit: ita nec prædestinatio, quæ ſupponit præscientiam futurorum ſub conditione meritorum gratiæ; nemo enim eligitur ad gloriam, nisi ut obtinendam per bona opera, libere ac perseveranter facienda: unde omnes qui ea non faciunt, & in peccato moriuntur, certo damnabuntur. Verum quam facile a nobis, tam difficile dilemma illud eliditur in eorum ſententia, qui Scientiam mediam omnino rejiciunt, & prædestinationem ad gloriam minime dependere volunt a prævisis gratiæ meritis. Neque enim ſufficit, si respondeatur, Deum prædestinando ad finem, prædestinare quoque ad media, quæ ſunt ad finem obtinendum neceſsaria: ideoque prædestinatos non tantum finem, ſed media etiam ad illum consequendum opportuna a Deo recepturos eſse. Nam qui hoc dilemmate utitur, argumentum facile urgere poterit, dicendo: Vel Deus absolute decrevit ea gratiæ media, ſive auxilia mihi conferre, vel non: Si decrevit; ea, quidquid egero, certiſsime accipiam: si non decrevit; ea certiſsime non accipiam. Ergo omnis mea cura & ſollicitudo inutilis est. *Sequela.*

479. Objic. III. Libertas arbitrii. Prædestinatio tolleret libertatem hominis. Ergo prædestinatio non datur. P. A. Prædestinatio est ſoli Deo libera, & ad ſalu- *Libertas arbitrii.*

ſalutem eſsentialiter requisita. Ergo nullus, si non habet, potest eam acquirere: nullus, si habeat, potest eam amittere. Ergo prædestinati neceſsario ſalvantur, reprobi vero neceſsario damnantur. R. N. A. Ad *prob.* D. A. Ita tamen ut ſimul dependeat a Scientia media, quæ ab homine potest impediri, C. A. Ut non ita dependeat, N. A. & Conseq. Deo equidem liberrimum est, ſupposita Scientia media de consensu ſalutari, Petrum prædestinare, eique efficacia gratiæ auxilia conferre: At vero Petrus hanc ipsam Scientiam mediam de consensu, ſine qua non daretur prædestinatio, impedire potest, facereque, ut a Deo prævideatur diſsensurus potius quam consensurus gratiæ ſibi conferendæ. Similiter potest quis prædestinationem acquirere, ſive facere ut ab æterno ſit prædestinatus; non quidem absolute, ſed facta gemina ſuppositione. I^mo, quod Deus conferat illi gratiam vere ſufficientem ad perseverandum finaliter in accepta justitia. II^do. Quod Deus finaliter perseverantes velit prædestinare; quæ utraque conditio in hac providentia certiſsime est purificata, ut ostendimus Articulo I. de Gratia. Quamvis itaque prædestinati neceſsario ſalventur, ac reprobi neceſsario damnentur, non tamen idcirco liberum hominis tollitur arbitrium; quia qualiscunque hæc neceſsitas, est mere consequens, ſupponens liberum exercitium humanæ voluntatis.

480. Dices I. Prædestinatio est certa & immutabilis. Ergo ſalus prædestinati est certa & infallibilis. Ergo est neceſsaria. *Confirm.* Deus non potest velle damnationem æternam prædestinati. Ergo prædestinatus non potest eam incurrere peccando mortaliter. Ergo neceſsario ſalvatur. R. C. A. D. C. Ergo ſalus prædestinati est certa certitudine extrinseca, resultante ex decreto prædestinativo, quod ſupponit Scientiam mediam de consensu libere futuro, C. C. Certitudine intrinseca, a mediis petita quibus prædestinatus in finem vitæ æternæ dirigitur, atque independenter ab operibus prædestinati ſaltem conditionate prævisis, N. C. Electi non prædestinantur ad gloriam qualicunque

modo

modo obtinendam, ſed ad gloriam obtinendam per merita, per bona opera libere facta, & mediis ex ſe repudiabilibus, licet effectum infallibiliter habituris. Ad *confirm.* N. A. Cum prædestinatus poſsit peccare mortaliter, Deus potest ei velle damnationem æternam, & re ipsa ei vult, quando peccat mortaliter; ſed hanc ei vult conditionate tantum, si nimirum in ſtatu peccati mortalis ex hac vita decedat: quæ conditio numquam purificabitur, ſecus a Deo prædestinatus non fuiſset.

481. Dices II. Prædestinatus non potest Deum graviter offendere. Ergo non est liber ad peccandum. P. A. Prædestinatus non potest amittere amicitiam Dei. Ergo non potest Deum graviter offendere. P. A. Supposita prædestinatione, Deus non potest amplius hominem prædestinatum odiſse. Ergo. R. N. A. Petrus, Magdalena, Zachæus, aliique quam plurimi, prædestinati certe fuerunt, non in tempore primum, ſed ab æterno; neque tamen idcirco minus graviter Deum offenderunt ante ſuam conversionem. Ad *prob.* N. A. Ad hujus *prob.* D. A. Deus non potest hominem prædestinatum amplius odiſse perpetuo, C. A. Pro aliquo tempore, nimirum præsentis injustitiæ, N. A. Et D. C. Ergo non potest amicitiam Dei amittere per peccatum qualecunque, N. C. Per peccatum finale, ſubd. Potentia consequente, & in ſensu compoſito prædestinationis, C. Conseq. Potentia antecedente, & in ſensu diviſo, N. C.

Aut mutabilitas decreti divini.

482. Objic. IV. contra II^dam^ Conclusionem, Mutabilitas prædestinationis. Prædestinatio & liber vitæ idem ſunt. Atqui liber vitæ non est immutabilis; qui enim in eo conscripti ſunt, poſsunt deleri, & qui ex eo deleti ſunt, poſsunt iterum inscribi. Ergo prædestinatio non est immutabilis. P. m. I^mo.^ Moyses Exodi Cap. XXXII. Deum Israelitico populo iratum ita alloquitur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* II^do.^ Ad Rom. Cap. IX. *Optabam ego ipse anathema eſse a Chriſto pro fratribus meis.* III. Psal. LXVIII. *Deleantur de libro viventium:*

tium: & cum juſtis non ſcribantur. IV. Joan. Cap. XVII. ait Christus: *Quos dediſti mihi, cuſtodivi: & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis. Confirm.* Ecclesia die Cinerum rogat Deum, *Ut omnium Fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adscripta retineat.* Ergo Ecclesia ſupponit, poſse aliquos de libro vitæ deleri. R. D. M. Prædestinatio & liber vitæ ſimpliciter dictus ſunt idem, C. M. Prædestinatio & liber vitæ ſecundum quid ſunt idem, N. M. Liber vitæ ſimpliciter & ſtricte ſumptus nihil aliud est, quam ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet ſe aliquos prædestinaſse ad vitam æternam. Sicut enim inter homines fieri ſolet, ut illi qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro, utpote milites, Consiliarii, vel Senatores, qui idcirco etiam dicebantur *Patres Conscripti:* ita etiam conscriptio, ſeu annotatio, non externa & materialis, ſed intelligibilis in ipsa divina mente, eorum qui prædestinati ſunt ad gloriam æternam, dicitur liber vitæ. Quoniam ſicut liber, ſeu ſcriptura libri est ſignum rerum in ea descriptarum: ita etiam memoria alicujus rei dicitur quaſi quædam tabula, in qua res descripta continetur. Pari ratione notitia reproborum dici poſſet liber mortis; ſed Scriptura abstinet ab hoc loquendi modo, quamvis absolute nihil obstet, quo minus etiam liber mortis in Deo constituatur; cum inter homines etiam describi ſoleant qui ad mortem damnandi ſunt. Porro librum hunc vitæ ſimpliciter ac ſtricte ſumptum, immutabilem omnino eſse, idemque dicere quod prædestinatio ad finalem perſeverantiam & gloriam æternam, rationes a nobis in probatione allatæ manifeste evincunt. Liber vitæ ſecundum quid, & late talis, est notitia Dei, qua novit omnes qui jus ad vitam æternam aliquando habituri ſunt per justificationem, ſive omnes qui aliquando justificandi ſunt, quamvis non omnes in ſtatu gratiæ perseveraturi ſint. Atque hic liber late talis discrepat a prædestinatione, estque mutationi obnoxius, cum poſsint deleri qui inscripti erant, iterumque inscribi qui jam deleti fuerunt.

483.

483. Ad Imum itaque R. cum communiſsima Interpretum, Moysem hæc verba protuliſse ex ardenti zelo pro ſalute populi Israelitaci, per quamdam exaggerationem & hyperbolem, probe gnarus ſe non delendum ex libro vitæ; eoque modo Deum rogavit, quo amantes vel amici, qui dum aliquid ab amico precibus extorquere volunt, conditiones adjiciunt, quas probe ſciunt ſtricte moraliter impoſsibiles eſse, ut v. g. aut hoc fac, aut occide me, quia nisi annueris, vivere non poſsum. Ad II. eadem est responsio, nisi cum Vasquio dicatur, Apostolum loqui de tempore, quo adhuc erat in Judaismo, & quo Judaicæ legis zelo, a Christo perpetuo ſeparatus eſse cupiebat, ratus Christi doctrinam legi divinæ contrariam eſse. Ad III. R. Sermonem ibi eſse de libro vitæ late tali & ſecundum quid, in quo non prædestinati, ſed justi tantum conscripti ſunt, ſecundum præsentem ſolummodo justitiam. Ad IV. R. per verba, *Quos dediſti mihi*, non denotari electos, ſeu prædestinatos ad gloriam, ſed electos tantum ad audiendam Christi doctrinam, & Apostolatum. Ad *confirm.* C. A. N. C. Ecclesia rogat, ut nullus fidelium deleatur umquam e libro vitæ late tali, in quo descripta ſunt nomina justorum ſecundum præsentem justitiam: quod si fiat, certiſsime inscripti erunt libro vitæ prædestinatorum.

484. Dices I. Scriptura ſatis videtur insinuare, ipsos etiam prædestinatos poſse ſalute excidere. Ergo prædestinatio non est certa & immutabilis. P. A. Imo. Apocalyp. Cap. III. dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* IIdo. II. Petri Cap. I. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Ergo prædestinatio in ſe non est certa; ſed certa fieri debet per bona opera. IIItio. I. ad Cor. Cap. IX. ait Apostolus: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ergo cum Apostolus ipse de ſua prædestinatione timuerit, prædestinatio non est certa. R. N. A. Ad I. R. Corona, de qua loquitur B. Joannes, non est gloria cœlestis, ſed fides, obedientia, constantia

tia in bono, ita ut ſensus ſit: Retine constanter quod habes, nempe fidem, charitatem, zelum, patientiam, cæterasque virtutes hactenus obtentas, ut nemo adimat mercedem virtuti tuæ, si perseveraveris, promiſsam & præparatam. S. Thomas citatum locum aliter interpretatur, dum Parte I. Quæst. XXIII. Artic. VI. ad 1mum ſcribit: *Corona dicitur eſse alicujus dupliciter. Uno modo ex prædeſtinatione divina, & ſic nullus coronam ſuam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur quodammodo noſtrum eſt. Et ſic ſuam coronam aliquis amittere poteſt per peccatum mortale ſequens. Alius autem illam coronam amiſsam accipit, in quantum loco ejus ſubrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat.* Ad II. R. prædestinationem immutabilem eſse atque certam in ſe, respectu nostri autem eſse incertam. Atque hinc ſollicite nobis cavendum est, ne culpa nostra decretum prædestinativum ab æterno non extiterit; cum Deus neminem prædestinaverit, nisi quem prævidit gratiis ipsi conferendis cooperaturum. Ad III. C. A. N. C. Ex eo id unum legitime inferri potest, Apostolum eo tempore, quo hæc ſcripsit, nondum habuiſse revelationem, plenamque certitudinem de æterna ſua ſalute.

485. Dices II. Homo prædestinatus potest graviter peccare, & antequam cum Deo in gratiam redeat, potest v. g. ab inimico ſuo interfici, ſicque damnari. Ergo prædestinatio non est certa & immutabilis. *Confirm.* Reprobus potest facere, ut ſit prædestinatus, juxta illud Augustini: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris.* Ergo etiam prædestinatus potest facere, ut ſit reprobus. R. D. A. Potest id fieri in ſensu diviſo, C. A. In ſensu composito, ita ut conjungatur mors in ſtatu peccati mortalis cum ipsa prædestinatione, N. A. Si ponatur prædestinatum mori in peccato mortali, neceſsario ſit ſensus compoſitus, adeoque hypothesis est impoſsibilis. Ad *confirm.* R. textum illum in Augustini Operibus non inveniri: & quam parum reprobus fieri potest prædestinatus, tam parum prædestinatus

tus fieri potest reprobus, quin libero arbitrio quid decedat. Cum enim nostro concipiendi modo Scientia media præluceat decreto prædestinativo aut reprobativo, posito quod per illam Petrus prævideatur consensurus, Judas dissensurus auxiliis gratiæ, Petrus non potest non consentire, Judas non dissentire, potentia nimirum consequente ac supponente liberum ipsorum exercitium; cum res ex supposito quod sit, non possit non esse. Quonam autem sensu possit quis prædestinationem acquirere, seu facere ut ab æterno sit prædestinatus, paulo ante diximus, Num. 479.

CONTROVERSIA II.

AN QUIS INFALLIBILITER CERTUS ESSE POSSIT DE SUA PRÆDESTINATIONE, ET PERSEVERANTIA FINALI?

CONTRA PROTESTANTES.

486. *Perseverantia finalis* in gratia est magnum ac speciale Dei donum, quo actu in gratia perseveratur usque in finem, quo scilicet vita ista finitur. De duplici perseverantia, passiva nimirum & activa, frequenter loquitur S. Augustinus, præcipue in libris de Dono Perseverantiæ, ac de Correptione & Gratia. Perseverantia finalis *passiva* habetur per conjunctionem mortis cum gratia sanctificante: *active* sumpta, est continuatio in bonis operibus usque in finem per efficacia gratiæ actualis auxilia. Utramque hanc perseverantiam esse magnum ac speciale Dei donum, Ecclesia jam dudum contra Semipelagianos definivit, atque ipsa etiam ratio ostendit; tum quia singularis est Dei benignitas ac misericordia, quod hominem ex hac vita tunc rapiat, cum in statu gratiæ est: tum quia in multis quotidie offendimus omnes, ac tam frequentes sunt prolapsiones ac negligentiæ nostræ, ut pro speciali Dei beneficio haberi debeat, quod his non obstantibus gratiam conferre dignetur, per quam & bonum incipere, atque in eo usque in finem perseverare valeamus.

Quid sit donum Perseverantiæ?

487.

Errores Sectariorum.

487. Protestantes, qui a Fidelibus fidem propriæ justificationis exigunt, pariter docent, posse ac debere quemlibet fidelem infallibiliter certum esse de sua prædestinatione, & perseverantia finali in gratia. Ita Calvinus Lib. III. Instit. Cap. II. Paragr. XVI. Bucerus in Colloquio Ratisbonensi. Kemnitius in Examine Conc. Trident. Sess. VI. Cap. XII. Theodorus Beza in Expositione sua ait, nos scire posse an simus prædestinati ad salutem, eseque certos de glorificatione quam expectamus, certos, inquam, non tantum per nostram phantasiam, sed per conclusiones æque certas, ac si cœlum conscendissemus ad audiendum hoc decretum ex ore Dei. Subjungit dein, cum perseverantia fidei sit ad salutem necessaria; & cum certi simus de nostra prædestinatione, certos nos etiam esse de glorificatione indissolubili vinculo annexa: adeoque nec de perseverantia finali, nec de salute dubitare posse. Verum contra commentitiam hanc securitatem & fidem sit gemina Conclusio.

Nullus infallibiter certus est de sua perseverantia finali in gratia.

488. Conclusio I. Nullus sine speciali Dei revelatione potest, aut debet infallibiliter esse certus de perseverantia sua finali in gratia. Prob. I. Authoritate Scripturarum, quæ hortantur nos ad timorem amittendæ salutis. I. ad Cor. Cap. X. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ad Philip. Cap. II. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Psal. II. *Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.* Atqui si fideles omnes infallibiliter certi esse possent aut deberent de perseverantia sua finali in gratia, nullam prorsus timendi causam haberent, cum certum sit, Deum perseverantibus in justitia æternam felicitatem promisisse, eumque in servandis promissis suis esse fidelissimum. Ergo. II. Authoritate Patrum. S. Hieronymus Lib. II. adv. Pelagianos: *Ne beatum dixeris quempiam ante mortem; quamdiu enim vivimus, in certamine sumus: quamdiu in certamine, nulla est certa victoria.* S. Augustinus Lib. XI. de Civit. Dei, Cap. XII. de justis adhuc viventibus scribit: *Licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperi-*

periuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit? S. Gregorius M. aut quicunque demum fuerit illius Commentarii Author, Lib. VI. in primum Regum: *Quia judicium omnipotentis Dei imperscrutabile est, unde veniat & quo vadat, homo nescit; quia sciri non potest, an quis in gratia quam recipit, perseverare in perpetuum debeat.* III. Authoritate Tridentini, quod Sess. VI. Can. XVI. ait: *Siquis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.* Et Cap. XIII. *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, - - nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeant. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* IV. Ratione Theologica. Donum perseverantiæ finalis non cadit sub meritum de condigno, ut ostendimus Tomo IV. Num. 242, quia Deus numquam promisit operibus justi perseverantiam finalem in gratia tamquam mercedem operum bonorum. Ergo præscindendo a speciali Dei revelatione, nemo potest infallibiliter certus esse de perseverantia sua finali in gratia. Consequentia est certa; cum enim finalis perseverantia homini nullo modo debeatur, neque liberalis Dei promissio umquam facta fuerit, non apparet unde infallibilis hæc certitudo haberi possit.

489. Cæterum Deus non promisisse perseverantiæ donum ex eo capite videtur, quia ejusmodi promissio foveret socordiam, quæ ex peccato originis quodammodo naturalis nobis est, foretque nobis occasio respiciendi retro, & numerandi bona opera, forte etiam heroice facta, propter quæ jam secure quiescendum arbitraremur; cum tamen perseverantia viatoris sit semper proficere, & ad patriam cœlestem continuo anhela-

helare. Quamquam autem donum poerseverantiæ non cadat ſub meritum de condigno, poſsumus tamen illud mereri de congruo, non habente infallibiliter effectum, bonis operibus & continua vigilantia, ne quid committamus quod Deo displiceat. Atque hinc S. Augustinus Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. VI. ait: *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*, id est, ſupplici oratione obtineri ex Dei misericordia.

Ac de ſua prædeſtinatione.

490. Conclusio II. Nullus ſine ſpeciali Dei revelatione potest, aut debet infallibiliter certus eſse de ſua prædestinatione. Prob. I. Authoritate Scripturarum. Ecclesiastis Cap. IX. dicitur: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* II. Petri Cap. I. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* II. Authoritate Patrum. S. Augustinus Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. XIII. ſcribit: *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſse præsumat?* Et Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XIII. *Ad quam vocationem* (ſecundum propositum) *pertinere nullus eſt homo ab hominibus certa aſseveratione dicendus, nisi cum de hoc ſæculo exierit: in hac autem vita humana, quæ tentatio eſt ſuper terram, qui videtur ſtare, videat ne cadat.* Author librorum de Vocatione Gentium, Lib. II. Cap. ult. *In remotiſsimo ab humana cognitione ſecreto præfinitio hujus electionis abscondita eſt. Et de nullo ante ipsius finem pronunciari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus ſervet, & qui ſtat, videat ne cadat.* S. Bernardus, quem Protestantes in materia de Justificatione magni facere ſolent, Serm. I. de Septuagesima ait: *Quis poteſt dicere, Ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero electorum? certitudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia consolatur nos.* III. Authoritate Tridentini, quod Seſs. VI. Can. XV. ait: *Siquis dixerit, hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certo eſse in numero prædeſtinatorum; anathema ſit.* Et Cap. XII. *Ne-*

mo

mo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio usque adeo præsumere debet, ut certo ſtatuat, ſe omnino eſse in numero prædeſtinatorum; quasi verum eſset, quod juſtificatus aut amplius peccare non poſsit, aut ſi peccaverit, certam ſibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit. IV. Ratione Theologica. I^ma est. Nemo potest eſse infallibiliter certus de ſua perseverantia finali in gratia, ut paulo ante ostendimus. Ergo nullus potest eſse infallibiliter certus de ſua prædestinatione; quia prædestinatio neceſsario involvit perseverantiam finalem, cum nullus ſit a Deo prædestinatus, nisi quem ille finaliter in gratia perseveraturum eſse præviderit. II^da. Neque ordinarie per revelationem privatam, neque publicam in Scripturis habetur, fideles omnes, aut quemcunque hominem ſingillatim, eſse prædestinatos. Ergo id neque credi potest, neque debet fide divina. Alias rationes, quæ huc facile transferri poſsunt, vide Artic. II. Controversia VI. Cæterum, Deus hoc prædestinationis arcanum ſibi reservaſse censendus est, ad demiſsionem animi in prædestinatis conservandam, & desperationem in reprobis impediendam.

Argumenta contraria refutantur.

491. Objicitur I. contra utramque Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Jacobi Cap. I. dicitur: *Poſtulet in fide nihil hæsitans.* Et Marci Cap. XI. *Omnia quæcunque petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Ergo credere debemus donandam nobis eſse perseverantiam, ac proinde nos etiam eſse prædestinatos. II^do. I. Joan. Cap. V. *Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* III^tio. Ad Ephes. Cap. I. *Credentes ſignati eſtis Spiritu promiſsionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* At qui pignus habet, certus est de hæreditate. IV^to. I. Ad Thessalon Cap. I. Apostolus ait: *Scientes Fratres, dilecti a Deo, electionem veſtram.* V^to.

Contrarium non evincitur ex Scripturis.

II. ad Timoth. Cap. IV. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem ſervavi. In reliquo reposita eſt mihi corona juſtitiæ.* Ergo certi eſse poſsumus ac debemus de nostra perseverantia & prædestinatione. R. C. A. N. C. Oratio in fide, optime cohærere potest cum incertitudine de re illa adipiscenda, quæ petitur; fide enim divina credere quidem tenemur, Deum & præstare poſse quæ petimus, & verbis ſuis certiſsime ſaturum, modo nullus ſit defectus ex parte nostra. At vero fide divina credere nec poſsumus, nec debemus, nos omnia præstitiſse aut præstituros, quæ Deus a nobis exigit: aut nos orare prout oportet, orationem nostram gratiæ ſupernaturalis auxilio elici, eamdem ſatis ferventem ac duraturam eſse, ſine qua tamen perseverantia finalis non impetratur. Ad II. R. eos qui credunt in nomine Filii Dei, non habere vitam æternam in re, ad quod requiritur ipsa finalis perseverantia in fide & charitate; ſed tantum in ſpe. Ad III. D. m. Certus est infallibiliter de hæreditate, si pariter infallibiliter certus ſit, pignus illud a ſe numquam amittendum eſse, C. m. Secus, N. m. & Conseq. Multi, posteaquam fidem Deo datam per plures annos ſervarunt, naufragium tandem fidei & charitatis fecerunt, ſicque misere æterna exciderunt ſalute. Unde igitur hæc infallibilis certitudo habebitur? Ad IV. R. Apostolum vel loqui tantum de electione Theſsalonicensium ad vocationem fidei Evangelicæ; vel si de electione ad gloriam illi ſermo est, ſpem dumtaxat ſuam ac fiduciam, non vero plenam de illorum ſalute certitudinem declarat. Ad V. R. Apostolum loqui de ſua prædestinatione vel ex ſpeciali, quam tunc habuit, revelatione, vel tantum ex ſpe & confidentia.

492. Dices. Saltem ex illis Scripturarum locis, quæ in probatione utriusque conclusionis laudavimus, non evincitur certos nos eſse non poſse de perseverantia nostra finali & prædestinatione. Ergo. P. A. Scriptura nobis timorem ingerit, non quod revera periculum ſit, ne prædestinati ſalute excidant; ſed ut excuſso torpore ad exercitium bonorum operum excitentur.

tentur. Ergo. R. N. A. Ad *probat.* C. N. N. C. Hoc ipso quod Scriptura timorem nobis incutiat amittendæ ſalutis, legitime infertur, nos infallibiliter certos eſse non poſse prædestinationis noſtræ; ſecus timor hic foret imprudens & irrationabilis, immo ad impietatem atque infidelitatem nos impelleret Spiritus Sanctus, quotiescunque nos hortatur ut ſalutem noſtram cum timore & tremore operemur, eoquod nos metuere jubeat de re; quam tamen certo, certitudine fidei credere tenemur.

493. Objic. II. Ratio. Justus potest mereri de condigno æternam mercedem, atque etiam augmentum gratiæ ſanctificantis. Ergo etiam potest mereri de condigno perseverantiam finalem in gratia, quæ ordinatur ad gloriam. Ergo potest eſse infallibiliter certus de ſua perseverantia finali in gratia. P. C. Æterna merces non potest obtineri ſine dono perseverantiæ. Ergo si homo justus mereri potest de condigno æternam mercedem, hoc ipso etiam mereri poterit donum perseverantiæ, ſine quo obtinere non poſset æternam mercedem. *Confirm.* Majus quid est crescere in gratia, quam in gratia perseverare. Atqui justus potest de condigno mereri augmentum gratiæ. Ergo etiam perseverare in gratia. R. I^mo. Quamvis hæc omnia darentur adversariis, minime tamen ſequeretur nos infallibiliter certos eſse de prædestinatione noſtra, & perseverantia finali in gratia; quia nullam habemus certitudinem, adfuiſse omnes conditiones ad meritum de condigno requisitas. R. II^do. D. A. Justus potest mereri de condigno æternam mercedem, ita ut æterna merces ſit ipsi tunc tantum retribuenda, si deceſserit in ſtatu gratiæ, adeoque ſub conditione perseverantiæ finalis in ſtatu gratiæ, C. A. Absque hac conditione, N. A. & Conseq. Ad *prob.* C. A. N. C. Si homo justus, elicito bono opere, & absque alia conditione infallibiliter percepturus eſset æternam mercedem, & finalis perseverantia ex decreto Dei requireretur ad percipiendum præmium, homo & mercedem æternam, & perseverantiam finalem de condigno mereretur; quia in

Ac ratione Theologica.

tali casu merito censeretur Deus utrumque promisisse. At vero in hac providentia homo justus, elicito bono opere, non illico jus certum & absolutum acquirit ad æternum præmium; sed tantum conditionatum, si nimirum in statu gratiæ ex hac vita decesserit: hujus autem conditionis onerosæ purificatio a Deo neutiquam promissa est. Ergo quamvis homo mereatur de condigno jus conditionatum ad vitam æternam, non tamen idcirco de condigno meretur perseverantiam finalem, qua conditio purificatur. Alterum quod attinet, verum est equidem, quod homo justus de condigno mereatur augmentum gratiæ sanctificantis; at vero Deus numquam bonis operibus justi perseverantiam finalem promisit, sicut promisit justitiæ incrementum; quæ tamen promissio una est ex conditionibus ad meritum de condigno requisitis, ut diximus Tomo IV. Num. 238. Ad *confirm.* D. M. Majus quid est crescere in gratia usque ad mortem, quam simpliciter perseverare, C. M. Majus quid est crescere aliquamdiu in gratia, & postea deficere, N. M. Et D. m. Atqui justus potest de condigno mereri augmentum gratiæ, ita tamen ut numquam sit illud promeriturus sine efficaci atque indebito auxilio gratiæ, quod ipsi conceditur ex misericordia Dei, C. m. Aliter, N. m. & Conseq.

CONTROVERSIA III.

AN PRÆDESTINATIO AD PRIMAM GRATIAM SIT MERE GRATUITA, ATQUE INDEPENDENS A MERITO HOMINIS?

CONTRA ORIGENISTAS, PELAGIANOS, MASSILIENSES.

Prænotanda.

494. Noto Imo, sermonem non hic esse de causa *physica* ex parte creaturæ ipsius prædestinationis, prout hæc est actus divinus. Nam prædestinatio sic considerata est ipsemet Deus, cujus absurdum est causam quærere. Igitur quæritur hic, an creatura rationalis non sit causa *moralis*, sive movens Deum, ut aliquem prædestinet ad gratiam. Noto II. sermonem non hic esse

esse de prædestinatione ad gloriam, sed ad gratiam; & quidem ad primam tantum gratiam, sive actualem sive habitualem. Prima gratia actualis est gratia præveniens, illuminans intellectum & excitans voluntatem. Prima gratia habitualis est ea, qua homo antea peccator & injustus, constituitur permanenter justus & sanctus, Dei amicus & filius adoptivus. Gratia secunda habitualis est augmentum gratiæ sanctificantis. Noto III. quæri hic an prædestinatio ad primam gratiam sit mere gratuita, id est, an Deus ab æterno gratiam primam sive media ad beatitudinem æternam certo perducentia dare voluerit ex mero suo beneplacito, minime autem ex prævisione & intuitu boni operis, ac boni usus liberi arbitrii, sive tamquam meriti de condigno aut de congruo, sive tamquam meræ conditionis sine qua non. Noto IV. quando hic quæritur, an prædestinatio ad gratiam sit independens a meritis hominis, sermonem esse de meritis puri hominis. Quod enim homo Deus, Christus Jesus, sit causa moralis & meritoria prædestinationis hominum, extra omnem dubitationem est, scribente Apostolo ad Ephesios Cap. I. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri* JESU *Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* JESUM *Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ.*

495. Circa prædestinationem tum ad gratiam tum ad gloriam præcipue errarunt Origenistæ, Pelagiani, ac Massilienses. Origenes Platonem secutus, docuit animas nostras ante mundum corporeum a Deo creatas fuisse, atque pro bonis vel malis operibus in eo statu elicitis ad corpora detrusas, prædestinari ad gratiam & gloriam, vel reprobari. Pelagiani prædestinationis causam repetebant ex bonis operibus, viribus naturæ elicitis: cumque necessitatem gratiæ rejicerent, docebant solam hominis voluntatem esse causam, cur prædestinentur alii ad vitam, alii ad mortem. Inter disputandum ve- *Errores Hæreticorum.*

ro cum eò adducti fuiſsent, ut aliquam admitterent gratiam, eam ad facilius, non vero ad ſimpliciter bene agendum neceſsariam eſse dixerunt; ita tamen ut ejus præparatio a Deo fieret ex prævisis liberi arbitrii meritis mere naturalibus. Semipelagiani, ſeu Maſsilienses, fatebantur gratiam Dei ad quodlibet opus bonum neceſsariam eſse; prædestinationem vero ad primam gratiam, ne Deus videretur acceptor personarum, fieri aſserebant propter pium quemdam hominis conatum, ac naturalem affectum ad credendum, petendum, pulsandum, ac initium quoddam fidei & ſalutis, quod quidem illi inter opera fidei non computabant; illo tamen tamquam causa & motivo Deum excitari affirmabant, ut gratiam fidei &c. illis conferret, quos noverat ad illam recipiendam bene affectos eſse. Sed de Pelagianis ac Maſsiliensibus ſatis prolixe egimus in prævis Diſsertationibus Historicis II. & III.

Prædeſtinationis causa non ſunt opera bona, quæ animæ fecerunt, antequam ad corpora detruderentur.

496. Conclusio I. Prædestinationis ad gratiam & gloriam causa non ſunt opera bona, quæ animæ fecerunt, antequam ad corpora detruderentur. Prob. Falsa & commentitia est hæc animarum præexistentia. Ergo causa prædestinationis eſse nequeunt bona opera, quæ animæ elicuerunt, antequam earum corpora formarentur. P. A. Imo Authoritate Scripturarum, quæ negant ulla merita aut demerita præceſsiſse hanc vitam. Ad Rom. Cap. IX. ſcribit Apostolus de Jacob & Esau: *Cum nondum nati fuiſsent, aut aliquid boni egiſsent, aut mali, ut ſecundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* II. ad Cor. Cap. V. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſsit, ſive bonum, ſive malum.* II. Authoritate Conciliorum. CPolitanum II. damnavit errorem hunc Origenis. Canone enim I. contra Origenem, ut habetur Tomo III. Conciliorum Collectionis Harduinianæ, Colum. 283. dicitur: *Siquis fabulosam animarum præexiſtentiam, & quæ ex illa conſequi-*

quitur, monſtruoſam reſtitutionem aſſeruerit, anathema ſit. Bracarense I. anno 561. Can. VI. *Siquis animas humanas dicit prius in cœleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana, in terram dejectas, ſicut Priscillianus dixit, anathema ſit.* In Lateranensi V. ſub Leone X. definitum est Seſs. VIII. *Animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine ſingulariter eſſe multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam.* Ergo definivit, non omnes animas ſimul a Deo creatas fuiſse; alias animæ non amplius eſsent multiplicandæ. III. Authoritate Patrum. S. Hieronymus in Epistola ad Pammachium ait, *Eccleſiaſticum dogma eſſe, quod Deus quotidie animas fabricetur.* S. Leo M. Epist. XCIII. ad Turribium Asturicensem: *Catholica fides conſtanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum priusquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere; nec ab alio incorporentur, niſi ab Opifice Deo, qui & ipſarum eſt Creator, & corporum.* Catholicum dogma contra Origenem alii etiam Patres tuentur, præcipue S. Gregorius Nyssenus Lib. de Opificio hominis, Cap. XXIX. S. Augustinus in libro contra Priscillianistas & Origenistas ad Orosium, Cap. VIII, & Lib. XI. de Civit. Dei, Cap. XXIII. S. Cyrilus Alexandr. Lib. I. in Joannem, Cap. IX. S. Joan. Damascenus Lib. II. Fidei Orthod. Cap. XII.

Prædeſtinationem ad primam gratiam omnino gratuitam eſse, oſtenditur ex Scripturis.

497. Conclusio II. Prædestinatio ad primam gratiam est omnino gratuita, atque independens a bonis operibus absolute aut conditionate prævisis. Prob. 1mo Authoritate Scripturarum, quæ ſæpiſsime Catholicam hanc veritatem inculcant. Ad Ephes. Cap. II. ait Apostolus: *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim ſumus factura, creati in Chriſto JESU in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* II. ad Timoth. Cap. I. *Nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto JESU ante tempora ſæcularia.* Ad Rom. Cap. IX.

IX. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ad Rom. Cap. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* I. ad Cor. Cap. IV. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Conciliis. 498. Prob. II. Authoritate Conciliorum. Arausicanum II. Cap. III. ait: *Siquis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ.* Cap. IV. *Siquis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem & operationem in nobis fieri confitetur; resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas a Domino.* Cap. XVIII. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Cap. XXV. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & postea per misericordiam Dei adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat.* Tridentinum Sess. VI. Cap. VIII. *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut ideu Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.*

Patribus. 499. Prob. III. Authoritate Patrum, ac præcipue S. Augustini, qui annis XX. Catholicam hanc doctrinam adversus Pelagianos & Massilienses invicte defendit. Enarratione II. in Psal. XXX. ait: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat.* Enarratione II. in Psal. LXX. *Si propterea gratia est, quia gratis est; nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis: pretium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est.* Et Lib. de Dono Perseverantiæ, Cap. XVIII. *Hoc scio, neminem contra*

istam

iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, nisi errando disputare potuiſſe.

Ac ratione Theologica.

500. Prob. IV. Ratione Theologica. I^ma est. Principium meriti non cadit ſub meritum, ſed neceſsario prærequiritur ad illud. Atqui prima gratia est principium meriti. Ergo. P. m. Gratia actualis præveniens est neceſsaria ad actum ſalutarem, ut ostendimus Articulo I. Controversia VIII. Et gratia ſanctificans est neceſsaria ad actum meritorium vitæ æternæ. Ergo prima gratia est principium meriti. II^da. Si prædestinatio ad primam gratiam non eſset gratuita, homo ſolis nturæ viribus poſset facere aliquid conducens ad vitam æternam, quia mereri poſset gratiam. Atqui hoc dici nequit, quia ut Christus ait Joan. Cap. XV. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Joan. Cap. VI. *Nemo poteſt venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* III^tia. Si præparatio ad primam gratiam non eſset omnino gratuita, atque independens ab operibus bonis, tunc dependeret ab opere bono naturali, vel ſupernaturali. Neutrum potest dici. Ergo est gratuita. P. m. Si dependeret ab opere bono naturali, ſequeretur I^mo. Gratiam non eſse gratiam, eoquod non gratis daretur, ſed propter opus naturale. II^do. Hominem ex ſolis naturæ viribus poſse aliquid elicere ad æternam ſalutem conducens. III^tio. Prædestinatorum discretionem a non prædestinatis non eſse altiſsimum arcanum, de quo Apostolus ad Rom. Cap. XI. ait: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehensibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* eoquod nimirum prædestinatus ex ſolis naturæ viribus primario ſe discerneret a non prædestinatis. Atqui hæ ſequelæ manifeste repugnant Scripturæ ac traditioni, ut ostendimus Artic. I. Controversia VIII. Ergo. Neque præparatio ad primam gratiam dependere potest ab opere bono ſupernaturali; opus enim bonum ſupernaturale a Deo prævisum, ſupponit gratiam prævenientem ſuo tempore conferendam, antequam opus ſupernaturale actu existat, eoquod gratia ſupernaturalis indispensabiliter neceſsaria ſit ad quemlibet actum ſalutarem.

Ergo

Ergo homo per nullum opus ſupernaturale mereri potest primam gratiam, utpote quæ, cum ipsius meriti principium ſit, neceſsario prærequiritur ad ipsum bonum opus ſupernaturale.

Argumenta contraria refutantur.

Origeni non ſuffragantur Scripturæ.

501. Objicitur I^mo. contra I^mam Conclusionem, Authoritas Scripturarum, Psalmo CXVIII. dicitur: *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Id est, antequam anima mea ad corpus detruderetur, peccavit. II. Psal. CXLI. *Educ de cuſtodia animam meam.* Id est, de corpore, cui tamquam carceri inclusa est in pœnam peccati commiſsi. III. Joannis Cap. I. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo animæ hominum, antequam informarent corpus, erant extra hunc mundum. *Confirm.* Deus ut dicitur Genes. Cap. II. *Requievit die ſeptimo ab universo opere, quod patrarat.* Ergo omnes animæ ſimul a Deo creatæ fuerunt. R. ad I. expositionem illam eſse prorsus commentitiam, omnique probabilitatis umbra destitutam; ſiquidem Propheta regius loco cit. agnoscit, ſe interdum a Domino flagellari ob peccata in hac vita commiſsa. Ad II. R. Davidem in ſensu litterali loqui de ſpelunca, in qua latebat ob Saulis persecutionem. Itaque Deum rogat, ut aliquando ab obsidione illa liberetur, ne ſemper cogatur in ſpelunca illa tamquam in carcere delitescere. In ſensu Mystico potest hic locus intelligi de carcere corporis hujus mortalis, e quo Sancti educi cupiunt, juxta illud ad Philippenses Cap. I. *Desiderium habens diſsolvi, & eſse cum Chriſto.* Ad III. N. C. Non dicitur homo venire in mundum quasi ante extiterit; ſed venire in mundum idem est ac nasci, ſecundum modum loquendi Hebræorum: & illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, idem est ac illuminare omnem hominem qui nascitur. Ad *confirm.* C. A. N. C. Sensus loci laudati est, Deum die ſeptimo ita ab universo opere quieviſse, ut nullas novas rerum ſpecies, quæ ad mundi integrita-

tem

tem pertinent, postea produxerit. Profecto si verba hæc in sensu stricto sumantur, sequeretur etiam animam Christi una cum cæteris ante mundi exordium a Deo creatam fuisse: ideoque cum in tempore primum unita fuerit Verbo divino, duplicem datam fuisse in Christo personam, divinam & humanam, quia anima Christi ante unionem hypostaticam propriam habuit subsistentiam.

Pelagiani perperam objiciunt naturam electionis.

502. Objic. II. contra II. Conclusionem, Natura electionis. Prædestinatio ad primim gratiam est electio. Atqui electio supponit majorem dignitatem in eo qui eligitur præ alio. Ergo prædestinatio supponit aliquam bonitatem in prædestinato, qua caret non prædestinatus. Atqui hæc major bonitas nihil aliud est, quam bonus usus libertatis prævisus. Ergo. R. D. M. Prædestinatio est electio omnino gratuita, C. M. Electio remuneratoria, N. M. Et D. m. Electio supponit majorem bonitatem &c. si electio sit remuneratoria, seu ad mercedem, C. m. Si sit electio gratuita, N. m. & Conseq. Electio ad gratuita beneficia, qualis est prædestinatio ad primam gratiam, non supponit dignitatem in eo qui eligitur, sed eam facit; nihilque aliud est, quam gratuita assumptio unius, alio relicto.

Et infirmitatem nostri argumenti.

503. Objicitur III. Infirmitas nostri argumenti. Quamvis gratia daretur ob merita solius liberi arbitrii, gratia tamen id circo non desineret esse gratia. Ergo. P. A. Gratiam dari pro gratia, non est contra rationem gratiæ. Sed si gratia prima, sive præveniens, detur pro bonis operibus, quæ solius naturæ viribus eliciuntur, daretur pro gratia. Ergo. P. m. Talia opera sunt fructus liberi arbitrii & naturæ, quæ est gratuitum Dei donum. Ergo talia opera sunt gratia & fructus gratiæ. R. N. A. Ad *prob.* D. M. Gratiam dari pro gratia interiori, contradistincta a puris naturalibus, C. M. Non contradistincta a puris naturalibus, N. M. Et sic dist. min. N. Conseq. ad hujus *prob.* C. A. D. C. Ergo talia opera sunt gratia & fructus gratiæ naturalis, C. C. Gratiæ supernaturalis & interioris, quæ necessaria est ad omnem actum salutarem, N. C.

504.

504. Dices I. Peccator potest, non quidem de condigno, sed tamen de congruo primam gratiam sanctificantem promereri, juxta illud Augustini Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est fidei meritum.* Ergo falsum est, prædestinationem ad primam gratiam habitualem esse gratuitam, ita ut excludat omne meritum de condigno & de congruo. R. D. A. Peccator potest de congruo mereri primam gratiam sanctificantem solius naturæ viribus, N. A. Adjutus gratia supernaturali, C. A. D. C. Ergo falsum est, primam gratiam habitualem non cadere sub meritum fundatum in solis naturæ viribus, N. C. Fundatum in viribus gratiæ supernaturalis, C. C. Peccator solis naturæ viribus primam gratiam sanctificantem nec de condigno, nec de congruo meretur, neque potest se ad illam disponere. At vero si gratia supernaturali adjuvetur, meretur eam de congruo: neque quidquam gratiæ decedit; quia meritum de congruo non inducit rationem justitiæ, sed congruentiæ tantum ac decentiæ, & a præcedente gratia actuali dependet.

505. Dices II. Potest dici, quod prima etiam gratia actualis cadat aliquo modo sub meritum. Ergo prædestinatio ad primam gratiam actualem non est pure gratuita. P. A. Deus prævidens meritum hominis absolute futurum, potest illi in præmium decernere primam gratiam actualem, quia prævidet hominem gratia illa recte usurum: sicut Rex certus de referenda a Belliduce suo victoria, potest illi donare gladium in præmium victoriæ referendæ. Ergo non evincitur gratiam primam actualem esse pure gratuitam. R. N. A. Ad *probat.* D. A. Deus potest in præmium decernere primam gratiam actualem, absolute loquendo, & in alia providentia, O. A. In hac providentia, N. A. & Conseq. In præsenti rerum ordine certum est, quod Deus gratiam decernat tamquam causam boni operis, atque ut sequatur actus meritorius, ut ex plurimis aliis Scripturarum textibus, atque ex Epist. ad Ephes.

Cap.

Cap. I. manifeste colligitur. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & immaculati in conspectu ejus.* Ubi advertendum, quod Apostolus non dicat, nos esse electos quia futuri eramus Sancti; sed ut essemus Sancti: adeoque non propter merita nostra; sed ex mera benevolentia, secundum propositum voluntatis suæ. Et II. ad Timoth. Cap. I. *Nos liberavit & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra: sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo* JESU *ante tempora sæcularia.* Ergo in hac providentia Deus non vult dare primam gratiam actualem, quia meritum prævidet ex illa processurum; sed potius decernit talem gratiam, ut ex illa procedat meritum alio præmio coronandum. Ergo in hac providentia prædestinatio ad primam gratiam actualem est omni ex parte gratuita. Alia argumenta, quibus hæc conclusio impugnari posset, dissolvimus Artic. I. Controversia VIII.

CONTROVERSIA IV.
SCHOLASTICA.

AN PRÆDESTINATIO AD GLORIAM FIAT ANTE PRÆVISIONEM CONDITIONATAM ET ABSOLUTAM MERITORUM GRATIÆ?

506. Noto Imo, sermonem hic esse de causa meritoria prædestinationis *formalis* ad gloriam, quæ definitur esse voluntas Dei absoluta & efficax dandi gloriam; non vero de causa meritoria prædestinationis *radicalis*, quæ est præparatio gratiæ & mediorum mere gratuita, ut paulo ante ostendimus. Noto II. Prædestinationem ad gloriam spectari potse vel secundum ordinem *executionis*, vel secundum ordinem *intentionis*. Primo modo spectata, est ipsa actualis gloriæ retributio; spectata vero secundo modo est actus divinæ voluntatis ab æterno decernentis alicui dare gloriam. Hic quæstio non est de prædestinatione ad gloriam secundum ordinem executionis; certum est enim prædestinationem *Prænotanda.*

sic

ſic conſideratam habere rationem mercedis, & non rependi de facto niſi bonis operibus & meritis. Quæſtio itaque agitatur de prædeſtinatione ad gloriam ſecundum ordinem intentionis, & quæritur, an Deus decreverit dare alicui gloriam, quia ejus merita abſolute futura, & viribus gratiæ elicienda prævidet. Noto III. Quæſtionem non eſſe intelligendam de voluntate antecedente & conditionata dandi gloriam; certum eſt enim hanc voluntatem divinam priorem eſſe omni merito præviſo: ſed intelligendam eſſe de voluntate conſequente, abſoluta, & efficaci, quam Deus habet dumtaxat reſpectu electorum, & non reſpectu omnium hominum: quæ voluntas proprie dicitur prædeſtinatio, & electio ad gloriam. Noto IV. Sermonem hic eſſe de adultis, non de parvulis poſt baptiſmum morientibus ante uſum rationis; hi enim nulla habent merita propria, adeoque gratuito prædeſtinantur ad gloriam. Noto V. Non agi de voluntate ſalvandi electos independenter a prævisione meritorum Chriſti; conſtat enim electos in hac providentia a Deo non prædeſtinari, niſi dependenter a meritis Chriſti: ſed agitur de prævisione meritorum ab ipſis adultis per gratiam Chriſti Redemptoris conſummandorum. Hinc prædeſtinatio facta concipitur poſt prævisionem peccati originalis; quia intuitu meritorum Chriſti præparantur gratiæ, quibus adjuti prævidentur plurimi in gratia & bonis operibus perſeveraturi. Noto VI. Prædeſtinationem formalem ad gloriam fieri non poſſe ante, vel poſt merita abſolute prævisa, vera quadam prioritate vel poſterioritate. Cum enim univerſim Scientia visionis ſit inſeparabilis a decreto divino, neque ab hoc diſtinguatur virtualiter; Scientia visionis meritorum tam virtualiter quam realiter eſt identificata cum decreto prædefiniente actus ſalutares, & decernente gloriam, ita ut idem actus divinus indiviſibiliter fungatur munere decreti & visionis: decreti quidem, quatenus eſt determinatio vel reſolutio; visionis vero, quatenus eſt expreſsio rerum decretarum. Quare ſtatus quæſtionis in eo tantum ſigi potest, utrum prædeſtinatio formalis

lis ad gloriam fiat in priore vel posteriore ſigno rationis ad absolutam prævisionem meritorum: ſive, quod idem est, an juxta nostrum concipiendi modum, non autem a parte rei, ut ſuperius diximus, prædestinatio formalis ad gloriam præcedat Scientiam visionis, qua Deus cognoscit merita absolute futura, vel eam ſubsequatur. Hæc autem prioritas vel posterioritas rationis inter actus divinos, vel potius inter formalitates ejusdem indivisibilis actus divini convenienter desumi poſse videtur ex æquivalentia quadam, vel analogia actus divini cum actibus creatis realiter inter ſe diſtinctis; ita nimirum ut quando unus actus in creatis tempore, vel ſaltem natura ſolet eſse prior ad alterum, tunc illa formalitas actus divini quæ æquivalet priori actui, ſit in ſigno priori rationis; in posteriori autem ſigno altera formalitas, quæ æquivalet actui posteriori.

Qui prædeſtinationem ad gloriam priorem eſse volunt meritis abſolute prævisis.

507. Circa celebrem hanc controversiam duplex est Catholicorum Doctorum ſystema, quod ſuos habet patronos & oppugnatores. Primum est eorum, qui docent, prædestinationem formalem ad gloriam fieri, antequam Deus ratione nostra prævidere concipiatur per Scientiam visionis merita absolute futura; ajuntque, Deum independenter a meritis absolute prævisis decreviſse gratis dare quibusdam gloriam, adeoque decreviſse dare illis gratias efficaces, quibus gloriam mererentur. Admittunt insuper, Deum in tempore dare iisdem electis gloriam, ut meritorum mercedem. Ita ex Theologis Societatis Bellarminus, Suarius, Tannerus, Toletus, Ruiz, Granado, Arriaga, Haunoldus, Gormaz, Simonnet, Antoine, plurimique alii extra ſcholam Societatis, præcipue ii omnes, qui gratiam efficacem natura ſua infallibiliter eſse connexam volunt cum consensu ſalutari; hoc tantum discrimine, quod hi Scientiam mediam omnino rejiciant, Theologi Societatis vero hanc Scientiam mediam velint prælucere decreto prædestinativo; ita ut Deus, antequam ad gloriam prædestinet, per Scientiam mediam cognoscat merita conditionate, non vero absolute futura.

508.

Quem ordinem ſtatuant divinorum Actuum?

508. In horum itaque ſystemate hic ſtatuitur Actuum divinorum ordo. I^mo. Deus per Scientiam ſimplicis intelligentiæ cognoscit poſsibilem eſse prædestinationem v. g. Petri ad gloriam, aut ejus reprobationem. II. Per Scientiam mediam prævidet hæc merita a Petro ponenda eſse, si haberet has determinatas gratias. III. Deus concipit decretum, hunc habens tendendi modum: *Cum videam, quod ſi Petrus haberet hæc auxilia, poneret hæc merita, & moreretur in ſtatu gratiæ; prorsus gratuito ipsum prædeſtino ad gloriam, & in hunc finem volo ipsi conferre hæc auxilia, dependenter a quibus ponet hæc merita, propter quæ eidem conferam gloriam tamquam præmium & coronam.* IV. Deus per Scientiam visionis infallibiliter cognoscit merita Petri absolute futura, & gloriam eidem conferendam eſse tamquam mercedem. Ubi vides gloriam decerni in ſigno rationis posteriori ad Scientiam mediam, priori vero ad Scientiam visionis.

Qui eandem poſteriorem eſse volunt.

509. Alterum ſystema est illorum, qui docent, Deum non prius efficaciter & absolute quemquam ad gloriam formalem prædestinare, quam per Scientiam visionis præviderit, eum gratiæ certo atque infallibiliter consensurum, atque hæc determinata merita absolute eſse futura; ita ut prædestinatio ad gratiam ſit ratione prior prædestinatione ad gloriam, & prædestinatio ad gloriam ratione posterior ad prævisionem absolutam meritorum: adeoque vere dici poſsit, ideo hominem prædestinari ad gloriam, quia gratia Dei adjutus ponet hæc merita; non autem ideo quis gratia Dei adjutus ponet hæc merita, quia est prædestinatus ad gloriam. Ita Alexander Alensis, S. Bonaventura, Aureolus, Gabriel Biel, Sadoletus, Contarenus, Hieronymus Osorius, Ruardus Tapperus, Driedo, Eckius, Stapletonus, Gammachæus, Isambertus, Turrianus, Molina, Gregorius de Valentia, Vasquius, Leſsius, Becanus, Petavius, Amicus, Cornelius a Lapide, Fraſsen, Abelly, Cœlestinus Sfondrati, Honoratus Tournely, aliique quam plurimi. Hos inter merito recensendus est S. Franciscus Salesius, qui in Epistola ad P. Leo-

Leonardum Leſsium data XXVI. Augusti anno 1613. ſcribit: *Vidi in Bibliotheca Collegii Lugdunensis Tractatum de Prædeſtinatione; & quamvis non nisi ſparſim, ut fit, oculos in eum conjicere contigerit, cognovi tamen Paternitatem Veſtram ſententiam illam, antiquitate, ſuavitate, & Scripturarum nativa authoritate nobiliſsimam de prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa opera amplecti ac tueri; quod ſane mihi gratiſsimum fuit, qui nimirum eam ſemper ut Dei misericordiæ & gratiæ magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem exiſtimavi, quod etiam tantisper in libello de Amore Dei indicavi.* Autographum hujus epistolæ Antuerpiæ conservatur in Domo Profeſsa Soc. Jesu, thecæ argenteæ inclusum; ut adeo frustra aſseruerit Serryus, epistolam hanc commentitiam eſse. Qua de re consule Theodorum Eleutherium, ſeu Livinum de Mejer in Hist. Controvers. de Auxiliis vindicata, Lib. I. Cap. XI.

510. Porro in istorum ſystemate hic ordo divinorum Actuum ſtatuitur. I^mo. Deus per Scientiam ſimplicis intelligentiæ cognoscit poſsibilem eſse Petri prædestinationem aut reprobationem. II. Per Scientiam mediam prævidet Petrum positurum hæc merita, si haberet has determinatas gratias; ſicque gloriam æternam tamquam mercedem consecuturum. III. Ex affectu ſpecialiter erga Petrum benevolo ſtatuit gratuito conferre eidem has gratias efficaces; & quia cognoscit per Scientiam visionis merita Petri absolute futura, prædestinat illum ad gloriam tamquam præmium, & mercedem bonorum operum, ita ut decretum divinum hanc fere habeat tendentiam: *Cum videam, quod ſi Petrus haberet hæc auxilia, poneret hæc merita, & moreretur in ſtatu gratiæ, decerno ipsi dare hæc auxilia, ut ponat hæc merita; & idcirco prædeſtino ipsum ad gloriam.* IV. Per Scientiam visionis absolute atque infallibiliter Deus prævidet, Petrum ſalutem æternam consecuturum eſse, tamquam mercedem piorum operum. Ubi vides prædestinationem ad gratiam eſse omnino gratuitam; prædestinationem vero ad gloriam eſse in ſig-

Alio modo Actus divinos ordinant.

no

no rationis posteriori ad Scientiam visionis meritorum, eamque pendere a bonis operibus, tamquam causa morali ac meritoria.

Secundi systematis patroni Augustinum vindicare sibi connantur

511. Qui gratuitam prædestinationem ad gloriam adstruunt, Augustinum sibi vindicare conantur plures ex eo textus afferendo, præcipue ex libris de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ, quibus manifeste confici existimant, Augustinum sententiæ ipsorum suffragari, ita ut id aliquo modo in dubitationem trahi nequeat. Verum etiam illi, qui formalem prædestinationem ad gloriam in signo rationis posteriori esse docent ad absolutam præscientiam meritorum, his adversariorum clamoribus non deterriti, ajunt I^mo, Augustinum iis locis, quibus prædestinationem non pendentem ex meritis statuit, loqui vel de prædestinatione completa & adæquata ad gratiam & gloriam simul; quo casu omnes Catholici ultro contra Pelagianos & Massilienses fatentur, in partem vocari non posse merita hominis. II^do. Induci non possunt ut credant, recedere voluisse Augustinum ab anteriorum Patrum sententia; quandoquidem de illis hunc in modum loquitur Lib. I. contra Julianum, Cap. V. *Quod credunt credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico.* Et Lib. II. Cap. X. *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* III^tio. Complures afferunt Augustini textus, in quibus prædestinationem ad gloriam haud obscure fundare videtur S. Doctor in absoluta præscientia meritorum.

Et sane S. Doctor.

512. Tractatu LXXVI. in Joannem scribit S. Doctor: *Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur.* Serm. C. de verbis Evangelii S. Lucæ, alias Serm. VII. de verbis Domini, Deum sic loquentem inducit: *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præsumentes, non de se.* Enarratione in Psal. CXXVI. *Non est meum dare vobis? Non est meum dare superbis: hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est: & vos alii estote, & vobis paratum est.* Lib.

I. ad

I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. VI. *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideo invenit opera quæ jam eligat ad regnum cœlorum. Nam nisi esset electio, non essent electi.. Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo què rejicitur.* Ubi prioribus verbis prædestinationem ad gratiam omnino gratuitam esse asserit; posterioribus vero prædestinationem ad gloriam a meritis absolute futuris vult pendere. Lib. de Gratia & Lib. Arbit. Cap. VI. *Cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero quæ datur in fine, id est, æternam vitam, meritis nostis præcedentibus reddi; respondendum est eis: Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere homiuem dicant, prorsus rectissime respondet Apostolus, Quis enim te discernit?* Plura vide apud Laurentium Alticotium Summæ Augustinianæ Parte VI. Quæst. II. Artic. IV, & Scipionem Maffei in Historia Theologica, Lib. X.

513. Quod de Augustino, id etiam de ejusdem Discipulis, Prospero, Fulgentio, ac Doctore Angelico dicendum est, extare nimirum in eorum libris, quæ non modice secundo systemati faveant. S. Prosper in Responsione ad objectionem XII. Gallorum scribit: *Non ideo* (Deus) *vires obedientiæ cuiquam subtrahit, quia eum non prædestinavit; sed ideo eum non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit.* S. Fulgentius Lib. I. ad Monimum, Cap. XXIV. ait: *Ostensurus Deus, quid reddendum præsciverit, & quid donandum, prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in se misericordiæ subsequentis auxilio, esse mansuros.* S. Thomas Lect. VI. in Caput VIII.

Eusque Discipuli, id ipsum perspisue videntur docere.

ad Rom. ſcribit: *Circa ordinem præſcientiæ & prædeſtinationis dicunt quidam, quod præſcientia meritorum bonorum & malorum eſt ratio prædeſtinationis & reprobationis, ut ſcilicet intelligatur, quod Deus prædeſtinat aliquos, quia præſcit eos bene operaturos, & in Chriſtum credituros, & ſecundum hoc littera ſic legitur, Quos præſcivit conformes fieri imaginis Filii ejus, hos prædeſtinavit. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, ſi prædeſtinatio reſpiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis; ſed ſub prædeſtinatione cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno divinitus præparatum, unde eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno. Unde ponere quod aliquod meritum ex parte noſtra præſupponatur, cujus præſcientia ſit ratio prædeſtinationis, nihil eſt aliud quam gratiam ponere dari ex meritis noſtris, & quod principium bonorum operum eſt ex nobis, & conſummatio eſt ex Deo.* Hic manifeste diſtinguit S. Thomas prædestinationem adæquatam ab inadæquata, quæ tantum est ad gloriam; & istam ex operibus bonis absolute prævisis fieri ait rationabiliter dici poſse.

514. Quod si etiam cum Petavio Tomo I. Theolog. Dogmatum, Lib. IX. primi ſystematis patronis daretur, ab Augustino nullam aliam causam electionis ad gloriam constitui, præterquam ſolam Dei voluntatem; neutiquam tamen ſequeretur conclamatum eſse de illis, qui prædestinationem ad gloriam ex meritis bonorum operum fieri putant: modo illi ostendant opinionem ſuam ſolidiore divini Verbi interpretatione fulciri, atque antiqua traditione, ac vetustorum Patrum, & plurium, & inter ſe magis consentientium testificatione commendari. Quamvis enim maxima ſit Augustini authoritas, præsertim iis in quæstionibus, quæ ad gratiam, & æternæ ſalutis adipiscendæ rationem ſpectant; non omnia tamen, quæ in refellendis Pelagianis aut Maſſiliensibus ab Augustino proposita ſunt, pro Catholicis immotisque decretis habentur ab iis ipsis, qui illius doctrinam commendant, Summis nimi-

nimirum Pontificibus, & Synodis; ſed quædam vere certoque constituta, quædam dicta probabiliter arbitrati ſunt: ac prioribus ad Catholicæ dogma religionis aſsumptis, de posterioribus velut in medio positis, libera posteritati judicia reliquerunt. Extat hac de re luculentum S. Cœlestini Papæ Decretum in Epist. ad Episcopos Galliarum: *Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſse habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil peninitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt.* Ex eo genere profundiorum quæstionum, quæ ad Catholicam de Gratia doctrinam non pertinent, est hæc de prædestinatione ad gloriam controversia, ipso Augustino judice, qui Lib. de Grat. & Lib. arbitrio, Cap. VI, quem locum paulo ante exhibuimus Num. 512, ſcribit, non reprobandam eſse eorum opinionem, qui prædestinationem ad gloriam pendere volunt a bonis operibus, modo merita nostra ſic intelligantur, ut etiam ipsa donum Dei eſse fateamur.

515. Conclusio I. Prædestinatio formalis ad gloriam est posterior Scientia media, qua Deus actus liberos hominis ſub conditione futuros cognoscit. Conclusio intelligenda non est de posterioritate temporis, quia in Deo ſimul ab æterno data est Scientia media, & decretum prædestinativum; ſed de posterioritate quasi naturæ, ita ut ſensus conclusionis ſit, Scientiam mediam, quæ virtualiter distinguitur a decreto prædestinativo, constituere actum primum proximum metaphysicum ad decretum, quo Deus aliquos prædestinat ad gloriam Aſsertio hæc communiter probari ſolet ex eo, quia si decretum prædestinativum præcederet Scientiam mediam, prædestinatus non libere, ſed neceſsario, neceſsitate omnino antecedente ſalvaretur. Nam ex una parte decretum hoc eſset eſsentialiter ac metaphysice connexum cum gloria: ex altera parte neque impediri, neque evitari poſset a prædestinato;

Prædeſtinatio ad gloriam eſt poſterior Scientia media.

cum decretum istud sit soli Deo liberum, atque a sola voluntate Dei dependeat. Ergo decretum prædestinativum antecedens Scientiam mediam, inferret necessitatem salutis antecedentem atque inimpedibilem. Verum non desunt ex sententiæ nostræ patronis, qui putent, non id roboris inesse huic argumento, ut commoda exceptione elidi nequeat. Nimirum Deus in hac providentia nullam creaturam producere decrevit, quæ aliquibus auxiliis liberrime non esset consensura: ideoque salva libertate creata, posset Deus aliquos ad gloriam prædestinare, antequam per Scientiam mediam actus nostros liberos conditionate futuros prævideat: & necessitas illa, quæ ex tali prædestinatione enascitur, non esset antecedens, sed mere consequens liberum exercitium creaturæ a Deo prævisum, non per Scientiam mediam; sed per Scientiam simplicis intelligentiæ, aut visionis, qua Deus cognoscit, nullam in hac providentia se produxisse creaturam, quæ non aliquibus gratiis liberrime sit consensura. Sed pluribus non vacat firmitatem argumenti, aut robur exceptionis examinare.

516. Ex alio itaque capite, nimirum ex divinis perfectionibus probatur Conclusio. Deus sapientissime ac providentissime omnia decernit. Ergo decretum prædestinativum ad gloriam antecedit Scientia media. P. C. Qui efficaciter decernit finem, nondum præscius per quæ media ille infallibiliter possit obtineri, minus sapienter, minusque provide agit, quam ille qui clare cognoscit media determinata, quibus infallibiliter præfixum sibi finem obtinere queat. Ergo cum Deus omnia sapientissime ac providentissime decernat, non potest prædestinare aliquem ad gloriam, quin prius per Scientiam mediam prævideat, quid ille his gratiis adjutus esset acturus. Ergo decretum prædestinativum antecedens Scientiam mediam, si non evertit libertatem creatam, saltem dignum non videtur Dei sapientia. Quamquam enim Deus infallibiliter certus sit, creaturam non omnibus auxiliis restituram; si tamen ejus decreto Scientia media non præluceret, ignoraret qui-

quibus mediis intentum finem consequi valeret, cogereturque has vel illas gratias conferendo vadum quodammodo explorare, num tandem illa sint gratiæ suæ auxilia, quibus creatura expugnari se patiatur.

Prædestinationem formalem ad gloriam fieri propter merita gratiæ absolute prævisa, eruitur ex Scripturis.

517. Conclusio II. Prædestinatio formalis ad gloriam est in signo rationis posteriori ad absolutam prævisionem meritorum; sive, quod idem est, fit propter merita gratiæ absolute prævisa. Prob. Authoritate Scripturarum. Imum argumentum suppeditant nobis verba Christi Judicis Matth. Cap. XXV. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere.* Et v. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Ex quibus verbis duplex instruitur argumentum. Imum est. Eodem modo paratum dicitur regnum electis propter bona, quo paratum est reprobis supplicium propter mala illorum opera. Sed supplicium non est paratum reprobis ante mala eorum opera absolute prævisa. Ergo similiter electis paratum non est regnum ante absolute prævisa eorum bona opera. IIdum est. Quod est causa moralis ac meritoria præparationis gloriæ, est etiam causa moralis ipsius prædestinationis ad gloriam; cum prædestinatio formalis ad gloriam quoad ordinem intentionis nihil aliud sit quam præparatio, vel destinatio gloriæ. Atqui causa moralis ac meritoria præparationis gloriæ sunt merita gratiæ absolute prævisa. Ergo. P. m. Christus dicit, *paratum*, seu præparatum esse regnum (utique ab æterno: ac secundum ordinem intentionis,) propter prævisa opera misericordiæ absolute futura; istud enim importare videtur particula causalis *enim*. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Ex quo colligitur, non tantum hic agi de actuali retributione gloriæ propter bona electorum merita, seu non tantum agi de prædestinatione ad gloriam secundum ordinem executionis, ut absque fundamento contendunt adversarii,

sarii, verum etiam quoad ordinem intentionis de præparatione & destinatione æternæ gloriæ in mente Dei.

518. Solidum etiam pro confirmanda hac sententia argumentum exhibent nobis Apostolorum Epistolæ Canonicæ. I. ad Cor. Cap. II. dicitur: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Ubi dilectio Dei affertur tamquam ratio prædestinationis ad gloriam. B. Jacobus in Epistola sua Catholica, Cap. II. ait: *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Ergo dilectio Dei est causa præparationis & electionis. *Elegit, repromisit.* Ergo prædestinatio ad gloriam quoad ordinem intentionis, ad quem pleno jure pertinent electio & præparatio, est propter prævisam dilectionem. Ad Rom. Cap. VIII. ait Apostolus: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Id est, quos præscivit beneficio gratiæ Filio suo conformes futuros, hos & prædestinavit. Respondent adversarii, qui systema Molinianum circa gratiam admittunt, per præscientiam intelligi Scientiam mediam, quæ dirigit decretum prædestinativum: At vero, bona ipsorum pace reponimus, intelligi hic Scientiam visionis, qua Deus merita hominis absolute futura infallibiliter cognoscit; quam plurimos enim, immo omnes homines cognoscit Deus per aliquam Scientiam mediam, conformes futuros Filio suo, si gratias daret congruas, neque tamen eos idcirco prædestinat: contra vero omnes, quos Deus per Scientiam visionis Christo conformes esse futuros cognoscit, prædestinat. Ergo per præscientiam hic intelligi nequit Scientia media, sed tantum Scientia visionis. II. Petri Cap. I. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quibus verbis innuere videtur B. Petrus, ante opera bona absolute prævisa incertam atque suspensam esse nostram electionem, utpote quæ in sola generali & antecedente Dei voluntate pro salute omnium contineatur; quæ quidem voluntas etsi absoluta sit ex parte Dei, quia tamen conditionata est

ex

ex parte creaturæ, in absolutam prorsus ac ſimpliciter efficacem transire non potest, nisi post prævisam conditionis purificationem, hoc est, nisi post prævisa merita bonorum operum gratiæ absolute futura. I. ad Cor. Cap. IX. ait Apostolus: *Nescitis, quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Ergo quemadmodum agonotheta, cum cursus præmium proponit currentibus in ſtadio, non gratis & ex ſola benignitate destinat victoribus præmium, & palmam tribuit: ſed cursu illorum & contentione ad hoc impellitur; ita etiam Deus, ſupremus agonotheta, cum vitam æternam nobis proponit, laborum coronam & mercedem, eam non gratis omnino destinat, præparat, & confert, ſed meritis gratiæ ad id impellitur; nisi adversarii diſertis Scripturarum testimoniis ostendant, aliam in ſalutis ac ſempiternæ felicitatis agone Deum inter & homines eſse conventionem.

519. Prob. II. Authoritate Patrum. S. Hilarius *Patribus,* in Psal. LXIV. ſcribit de prædestinatione ad gloriam: *Itaque non res indiscreti judicii electio eſt; ſed ex meriti delectu facta discretio eſt.* S. Hieronymus Lib. II. adversus Jovinianum, Cap. XV. *Paratæ ſunt in cœlo diversæ & plurimæ mansiones plurimis diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt, ſed opera.* Inducit dein Salvatorem ita loquentem: *Fruſtra igitur a me petitis quod in vobis ſitum eſt; quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri ſunt dignitatem.* Idem Epist. CL. ad Hebidiam, Cap. X. *Non ſalvat irrationabiliter, & absque judicii veritate, ſed causis præcedentibus: quia alii non ſuſceperunt Filium Dei, alii autem recipere ſua ſponte voluerunt. -- Ex quo oſtenditur, non gentes eligi, ſed hominum voluntates.* At hoc verum non eſset, si ante voluntatum prævisionem, Deus ex mero ſuo beneplacito hos eligeret ad gloriam, non illos. S. Ambrosius Lib. V. de Fide, Cap. VI. explicans illud Matth. Cap. XX. *Non eſt meum dare vobis &c.* ſcribit: *Non eſt meum, qui juſtitiam ſervo, non gratiam. Denique*

ad

ad Patrem referens addidit, Quibus paratum est, ut ostenderet quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait, Quos præscivit & prædestinavit; non enim ante prædestinavit quam præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. S. Joannes Chrysost. Hom. LXXX. in Cap. XXV. Matth. *O quantæ gloriæ, quantæ beatitudinis hæc verba sunt! nec dicit, Accipite; sed hæreditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur. Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc vobis a me præparata fuerunt.* Theodoretus in Cap. IX. ad Rom. *Illud*, inquit, *Apostoli, Quæ præparavit in gloriam, divinam præscientiam declarat, sicut illud, Quos præscivit & prædestinavit. Apostoli enim scopus est ostendere, quod eos, qui digni sunt salute, solus novit Deus.* S. Joannes Damascenus in Lib. contra Manichæos: *Prævidens Deus ea, quæ nos sponte facturi sumus, ea scilicet quæ sunt in nostra potestate, etiam ea quæ non sunt in nostra potestate prædefinivit.* Id est, præmia & supplicia. Idem diserte docent in Cap. VIII. ad Rom. Theophylactus & Oecumenius.

520. Verum quid multa? S. Prosper Aquitanicus in Epistola ad S. Augustinum, quæ inter Augustinianas est CCXXV, putans, jure an injuria hic non discutimus, Augustinum docuisse prædestinationem ad gloriam ante merita absolute prævisa, satis testatur, quænam fuerit anteriorum Patrum circa prædestinationem ad gloriam sententia. *Illud etiam*, scribit S. Prosper, *qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit. Quibus omnibus enodatis, & multis insuper, quæ altiori intuitu ad causam*

hanc

hanc pertinentia magis potes videre, discussis; credimus & speramus, non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos.

521. Ad hos Patrum textus reponunt adversarii Imo. SS. PP. agere de executione prædestinationis in tempore, non autem de prædestinatione ab æterno in mente Dei. IIdo. Præscientiæ nomine non intelligi ab ipsis Scientiam visionis meritorum, sed eam tantum, quæ vocatur media, aut etiam approbationis. IIItio. S. Prosperum verbis citatis non suam, sed Semipelagianorum sententiam, seu potius querelam ac calumniam referre. IVto. Patrum Augustino antiquiorum authoritatem circa præsentem materiam ea exceptione enervari posse, qua doctrinam suam tuebatur Augustinus, quando objectionem illam Semipelagianorum, ore Prosperi loquentium, dissolvit Lib. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. XIV. *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut quid de gratia Dei sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent.* Verum R. ad Imum, hæc absque ullo fundamento ab adversariis dici; electio enim, discretio, destinare, parare, præparare, præscire, prævidere &c. quibus verbis utuntur Patres, manifeste designant prædestinationem in mente Dei, seu quoad ordinem intentionis, non vero quoad executionem in tempore. Ad II. R. Si Deus, juxta Patres, præparasset gloriam, quia aliquorum merita per Scientiam mediam tantum sub conditione prævidit, tunc omnes omnino homines, ut superius a nobis observatum fuit, essent prædestinati; quia Deus per Scientiam mediam quemlibet hominem cognoscit in aliqua hypothesi consensurum; cum Deus in hac providentia nullam condiderit creaturam refractariam, ac rebellem, quæ omnibus

nibus gratiæ auxiliis eſset diſsensura. Ergo cum Patres dicant, Deum ad vitam æternam aliquos prædestinaſse, quia prævidit futura eorum merita, non loquuntur de Scientia media, ſed de Scientia visionis meritorum, quæ ſimul ſupponit atque includit ſcientiam approbationis, eoquod Deus non poſsit non amare merita hominis viribus gratiæ elicita. Ad III. R. S. Prosper loco cit. ſuam mentem exprimit, aitque videri ſibi, Augustini ſententiam de prædestinatione ad gloriam anteriorum Patrum ſcriptis contrariam eſse: ideoque Augustinum rogat, ut modum ostendat, quo molesta hæc objectio ex authoritate Patrum petita diluatur. Hoc manifeste patet ex verbis laudatæ ſuperius epistolæ: *Quæsumus patienter insipientiam noſtram ferendo demonſtres - - quibus omnibus enodatis ſperamus - - tenuitatem nōſtram disputationum tuarum præsidio roborandam.* Præterea prædestinatio adultorum ad gloriam ex præviso merito finalis perseverantiæ *ſub ipso gratiæ adjutorio*, ut ibi loquitur S. Prosper, omnino repugnat Semipelagianorum ſententiæ, qui negabant acerrime neceſsitatem prævenientis gratiæ interioris ad finalem perseverantiam, quam ſolis naturæ viribus, uti etiam inchoatam fidem, tribuendam eſse censebant. Ergo, quidquid obganniat inverecundus Tournelli conviciator Billuartius, a veritate prorsus abhorret, S. Prosperum verbis ſupra depromptis proposuiſse Augustino Semipelagianorum ſententiam, ut eam confutaret. Ad IV. R. Augustinum loco cit. non in eo eſse, ut objectionem ultimam a Prospero propositam ſolvat; ſed ut Maſsiliensibus ostendat, gratiam Dei non ſecundum merita nostra dari, ſed gratis dari cui datur. Certe Augustini responsio ad illam objectionem nullibi invenitur, ac longe probabilius S. Doctor ſilentio ſuo declarare voluit extraneam hanc eſse proposito ſuo quæstionem, nec ſibi cum Pelagianis ac Maſsiliensibus controversiam eſse de illa prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis gratiæ; ſed tantum de prædestinatione ad gratiam, quam non ſemel ait ad fidem Eccleſiæ pertinere. Cæterum quæ Augustinus ſcribit de anterio-

terioribus Patribus circa prædestinationem ad gratiam, eadem dici de illis poterunt quidem circa prædestinationem ad gloriam, eos nimirum breviter ac transeunter attigisse quibusdam scriptorum suorum locis, quid de hac re sentirent: At profecto dici nequit, Patres Augustino anteriores tantum non omnes, Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, aliosque præstantissimos Ecclesiæ Doctores, quorum doctrina a Pontificibus & Conciliis æque commendata est ac Augustiniana, quosque ipse Augustinus maximo in honore ac veneratione habuit, in assignanda prædestinationis ad gloriam causa meritoria turpiter esse hallucinatos, unique Augustino mysterium hoc fuisse reseratum. Mallem certe vel ex hoc ipso inferre, Augustinum recedere noluisse a Majorum suorum sententia. Videtur enim, si diversæ fuisset opinionis, expositurus fuisse clare, nitide, ac missis ambagibus, quam ob causam a communi sententia discessionem faceret: quod tamen ab Augustino numquam præstitum fusse satis ostendunt lites de ejus mente inter utriusque systematis patronos exortæ.

Ac ratione Theologica.

522. Prob. III. Ratione Theologica, eaque triplici. I^ma est. Actualis gloriæ retributio fit ex meritis, ut fides docet. Ergo & gloriæ præparatio fit ob merita absolute prævisa. Consequentia probatur I^mo. Prædestinatio ad primam gratiam non cadit sub meritum, quia nemo in tempore primam gratiam meretur. Et certe siquis mereretur primam gratiam, Deus non decerneret ab æterno illam dare, nisi propter meritum. Ergo a pari, si datur homini gloria propter merita, Deus ab æterno non decernit illam dare, nisi propter merita. Prob. II^do. Theologi inferunt reprobationem positivam ab æterno fieri ex prævisis peccatis, quia fit in tempore propter peccata. Ergo a pari dicendum est, prædestinationem ad gloriam ab æterno fieri ex prævisis meritis, quia gloria in tempore datur propter merita. Prob. III^tio. Eodem modo Deus prædestinavit ad gloriam electos, quo eamdem gloriam promisit in Scripturis. Atqui illam in Scripturis promisit ex suppo-

posi-

positione meritorum. Matth. Cap. V. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* II. ad Timoth. Cap. IV. *Reposita est mihi corona justitiæ.* II. ad Timoth. Cap. II. *Non coronatur, nisi legitime certaverit.* Ergo ad illam prædestinavit ex suppositione & prævisione meritorum: non conditionata; alias omnes essent prædestinati: ergo absoluta. P. M. Ex eo, quod Deus primam gratiam non promiserit propter merita, recte colligimus Deum non decrevisse illam dare propter merita. Ergo etiam ex eo, quod Deus non promittat dare gloriam gratis, recte colligitur eum non decrevisse illam gratis dare. *Confirm.* Decretum divinum prædestinationis nobis innotescit per divinas promissiones, quæ sunt quædam declariatio, & veluti promulgatio illius decreti. Ergo cum promissiones illæ non sint absolutæ, sed conditionatæ; si nimirum mandata a nobis observentur; antequam conditio prævideatur purificanda, sive ante absolutam prævisionem meritorum, non datur in Deo decretum absolutum prædestinationis ad gloriam.

423. II^da ratio. Illa voluntas efficax & absoluta dandi gloriam ante merita absolute prævisa evertit alteram voluntatem conferendi gloriam in tempore tamquam mercedem meritorum. Ergo cum fide divina certum sit, Deum velle adultis dare gloriam tamquam mercedem ac præmium meritorum, Deus non eam decernit ac præparat gratis ante merita absolute prævisa. P. A. Decretum hoc, quo Deus intenderet ab æterno conferre gloriam gratis, juxta adversarios esset absolutum & efficax; conditionatum enim & effective inefficax, sive seria voluntas ut omnes salvi fiant, etiam a nobis ultro admittitur. Ergo vi hujus decreti gloria gratis concedenda esset; alioquin Deus decerneret quod non exequeretur, aut exequeretur quod ab æterno non decrevisset: atque aliud in executione seu opere præstaret, aliud vero in intentione: seu prædestinatione decerneret. Ergo Deus non potest velle gloriam gratis simul destinare, & eam tamquam mercedem & præmium bonorum operum rependere; quia

pugnat

pugnat rem eamdem ſimul & eodem instanti destinari ex pura gratia, & ſimul ex justitia. Et ſane concurrerent ſimul in Deo hæc duo contraria decreta, quorum unum pertinere dicunt ad ordinem intentionis, alterum ad ordinem executionis: *Volo dare his hominibus gloriam ex mera gratia, ut purum & merum donum, & independenter ab eorum meritis:* & ſimul, *Volo dare iisdem hominibus gloriam non ex mera gratia, ſed ex juſtitia; non ut purum & merum donum, ſed ut debitam ipsis mercedem & præmium, dependenter ab eorum meritis.*

524. IIItia ratio. Efficax electio ad gloriam fundatur in meritis Christi homini applicatis, juxta illud ad Ephes. Cap. I. *Elegit nos in ipso ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti.* Et Act. Cap. IV. *Nec enim nomen aliud eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Ergo merita Christi debent prius nobis applicata prævideri, antequam fiat prædestinatio ad gloriam. Atqui si prædestinatio ad gloriam fit ante merita absolute prævisa, tunc etiam fit antequam merita Christi, quæ in nobis producunt opera meritoria vitæ æternæ, prævideantur nobis applicata. Ergo prædestinatio ad gloriam ante merita absolute prævisa non fundatur in meritis Christi, adeoque non datur. Prob. minor ſubsumpta. Efficax electio finis, ut volunt adversarii, est prior electione mediorum. Sed merita Christi ſunt media ad consequendam gloriam. Ergo efficax electio ad gloriam est prior prævisione & electione meritorum Christi nobis applicatorum. Ergo prædestinatio ad gloriam ante merita absolute prævisa non fundaretur in meritis Christi.

525. Neque dicant adversarii, merita Christi dupliciter ſpectari poſſe, Imo ſecundum ſe; & ſic eſſe priora electione ad gloriam. IIdo quatenus nobis applicantur; & ſic eſſe posteriora ad illam. Nam si merita Christi ut applicata ſupponunt jam efficacem & absolutam v. g. Petri electionem ad gloriam, efficax electio Petri ad gloriam fundari non potest in meritis Christi Petro applicatis, ut per ſe patet. Sed neque fun-

fundari potest in meritis Christi ſecundum ſe ſpectatis. Imo. Quia implicat merita Christi ſecundum ſe ſpectari ſine applicatione; & tamen efficacem electionem Petri fundari in meritis Christi. Nam si in illis fundata est, jam facta est applicatio meritorum Christi ad Petrum. IIdo. Quia merita Christi, quomodocunque ſpectentur, neceſsario ſupponunt Incarnationem Verbi. Sed ipsa Incarnatio Verbi est quoddam medium ad consequendam gloriam. Ergo si efficax electio ad gloriam est prior voluntate mediorum, erit etiam prior decreto Incarnationis, & prævisione meritorum Christi, quomodocunque ea ſpectentur.

Argumenta contraria refutantur.

Infirma ſunt adverſariorum argumenta ex Scripturis.

526. Objicitur I. contra IIdam Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ad Rom. Cap. IX. ſcribit Apostolus: *Cum nondum nati fuiſsent, aut aliquid boni egiſsent, aut mali, ut ſecundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ergo prædestinatio ad gloriam fit ex ſolo Dei proposito, absque operibus. Ergo est pure gratuita. R. C. A. N. C. Nam Imo Apostolus non agit hic de prædestinatione ad gloriam: Ut ipsi adversarii fateri coguntur; ſecus non tantum prædestinatio ad gloriam, verum etiam reprobatio ad mortem ſeu pœnam æternam juxta Apostolum fieret ante demerita absolute prævisa, quod tamen a nemine Catholicorum admittitur. Agit itaque loco cit. Apostolus de dilectione & electione in peculiarem populum, & hæreditatem Dei, cui cederent promiſsiones factæ Abrahamo de poſsidenda terra Chanaan, & de Meſsia ex ejus ſemine nascituro. Si igitur verba Apostoli in ſensu litterali atque historico ſumantur, non agitur ibi de ſingularibus personis Esau & Jacob, ſed de duobus populis Israelitico & Idumæo; illud enim, *Major ſerviet minori*, non in personis Esau & Jacob impletum est, ſed in populis ab utroque ortis; tempore quippe

Davi-

Davidis Regis, Idumæi ex Esau progeniti Israelitarum ditioni primum ſubjecti erant. Neque expoſitio citati textus ex eo eliditur, quod in Scripturis dicatur: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui;* hæc enim verba non ſignificant verum Dei odium, quod peccando incurritur, ſed hebraica phraſi minorem amorem, qui comparatione favoris Jacobo impenſi poſsit dici odium. Sic Christus Lucæ Cap. XIV. ait: *Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, - - - non poteſt meus eſse diſcipulus.* Id est, qui non minus amat patrem ſuum, & matrem, quam me. Deus itaque dilexit Jacob, quia dedit ei terram fluentem lacte & melle: odio autem habuit Esau, quia dedit ei terram ſterilem ac desertam. Unde Malachiæ Cap. I. cum dixiſset Deus: *Jacob dilexi, Esau autem odeo habui*, explicat quomodo dilexerit & oderit, his verbis: *Et posui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatetem ejus in dracones deserti.*

527. II^do. Quamvis hæc verba ad ſpiritualem & mysticum ſensum trahenda eſse concedamus, neutiquam tamen ſermo est hic de prædestinatione ad gloriam, ſed de prædestinatione ad gratiam fidei, ſeu de vocatione ad veritatem Evangelii, quæ omnino gratuita est, atque ab humanis meritis independens; de qua una ex instituto agit Apostolus in Epistola ad Romanos, teste Augustino Lib. I. ad Simplicianium, Quæst. II. in Enchiridio Cap. XXXII. Lib. II. contra duas Epist. Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. VII. & Lib. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. III. VIII. & XIV. Nempe ut inanem Judæorum jactantiam reprimat, qui gloriabantur, quasi ſuis operibus ac Legis merito vocati fuiſsent ad fidem Christi; atque iniquo plane animo ferebant, Gentiles eo in beneficio ſibi æquatos fuiſse. Judæis itaque præter alia ostendit Apostolus, non omnes qui ſunt filii Abraham ſecundum carnem, ideo filios eſse ſecundum promiſsionem & fidem; ſed eos tantum, qui fidem Abrahæ imitantur, Deo per gratiam ſuam eos adjuvante. Quæ omnia ut plenius confirmet, duplici exemplo utitur. Primum est Jacobi & Esau,

Esau, qui uno eodemque partu geniti, adeo disparem sortem experti sunt: quorum unum Deus dilexit, alterum vero odio habuit, antequam quidquam boni vel mali egissent: unus uberem Palæstinæ terram, alter vero sterilem & incultam solitudinem obtinuit. Alterum exemplum ducit ex Cap. XVIII. Jeremiæ, ubi Propheta jussu Dei domum figuli ingressus, vidit figulum ex argilla vasa fingentem, qui cum vas quoddam contrectando fregisset, in vas alterum, prout voluit, conformavit. Quod exemplum eo pertinet ut probet Apostolus, Deum supremum Dominum posse pro arbitrio de opere suo quidquid voluerit facere, nullumque esse statum tam perditum, quem Deus in melius commutare nequeat: neque a nobis curiose & arroganter inquirendum esse, cur Deus aliis repudiatis, alios adsciscat.

528. Dices I^mo. Eodem Cap. IX. ad Rom. v. 23. vasa in honorem dicuntur *præparata in gloriam.* Ergo Apostolus loco cit. non agit dumtaxat de electione ad gratiam fidei, sed etiam ad gloriam. R. C. A. N. C. Nomine gloriæ nen intelligitur ibi felicitas æterna in cœlo electis præparata, sed splendor ac dignitas eorum, qui ad gratiam Evangelii vocantur, vel manifestatio exterior gloriæ Dei in vasis electionis. Huic interpretationi manifeste favet contextus, in quo gloria sumitur pro gloria & splendore Dei. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Ergo cum in istis verbis, *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ*, gloria significet splendorem & manifestationem gloriæ Dei; idem pariter significatur verbis illis, *Vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*, nempe suam, id est, manifestationem gloriæ suæ.

529. Dices II. Juxta Scripturas Deus ex efficaci intentione prædestinationis ad gloriam ab electis mala propellit. Ergo prædestinatio ad gloriam non est posterior meritis absolute prævisis. P. A. I^mo. Sapientiæ Cap. IV. de justo prædestinato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. - - - Consummatus in brevi explevit tempora multa;*

multa; placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. IIdo. Matth. Cap. XXIV. ait Christus: *Nisi breviati fuiſsent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.* R. N. A. Ad *probat.* C. A. N. C. Ex primo textu neque erui potest prædestinatio ante, neque post prævisa merita; ſed tantum ſingularis Dei favor, amor, ac providentia, ne electi in peccata atque æternam miseriam ruant: quæ omnia locum habent in utroque ſyſtemate. Alter locus in ſenſu litterali agit dumtaxat de obsidione Jerosolymitana ſub Vespasiano & Tito, quæ si diutius perseveraſset, Judæi omnes in urbe conclusi, vel fame vel gladio periiſsent: at Deus propter electos, qui ex illis Judæis nascituri erant, illos calamitatis dies contraxit. Quod si etiam is locus de ſalute ſpirituali intelligatur, argui ex eo non potest, electionem ad gloriam fieri ante merita absolute prævisa; alioquin falsa foret propositio illa: *Nisi breviati fuiſsent dies illi, non fieret ſalva omnis caro.* Namque etiamsi breviati non fuiſsent dies illi, omnes tamen electi, vi decreti efficacis & antecedentis absolutam meritorum prævisionem, absolute ſalvi fierent; decretum enim Dei absolutum & efficax irritum fieri nequit. Quare citatus locus intelligi dumtaxat potest de perseverantia, ſeu constantia in fide, ita ut ſensus ſit, Deum in gratiam fidelium, qui more Scripturæ electi dicuntur, ne forte eorum fides in tanta calamitate deficeret, dies illos breviaſse. Ex quo male infertur, eos ad gloriam prædestinatos fuiſse vel ante, vel post prævisa eorum merita; quia id Deus facere potuiſset, licet illi electi non eſsent ad gloriam.

530. Dices III. Deus ex absoluta & efficaci volutate conferendi electis gloriam, gratiam ipsis liberaliter largitur. Ergo electio antecedit merita absolute prævisa, quia antecedit gratiam, ſine qua merita prævideri nequeunt. P. A. Authoritate Scripturarum. Imo. Joannis Cap. X. ait Christus: *Oves meæ vocem meam audiunt. - - - Et ego vitam æternam do eis, & non*

peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. IIdo. Act. Cap. XIII. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* IIItio. Joannis Cap. XV. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis.* IVto. Ad Ephes. Cap. I. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti.* Vto. Ad Rom. Cap. VIII. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ergo prædestinatio est causa vocationis, justificationis, & glorificationis. R. N. A. Ad Imum textum R. Si locus ille cum Augustino intelligatur de solis prædestinatis, nil aliud colligitur, quam quod illi infallibiliter sint perventuri ad vitam æternam. Hæc tamen infallibilitas non oritur ex decreto Dei antecedente prævisa merita, sed potius ex præscientia, qua Deus absolute, certo & infallibiliter prævidet, quinam sint ad gloriam perventuri. Si vero per oves cum aliis Interpretibus intelligantur fideles, hunc locus ille habebit sensum: Oves meæ non peribunt ex mea culpa; sed si aliquæ pereunt, sua culpa pereunt. Nec quisquam tam potens est, ut possit eas mihi eripere, nisi sponte a me abeant. Neque obstat, quod dicat Christus, *Ego vitam æternam do eis:* namque per vitam æternam hic intelligitur fides in Deum verum, & in Jesum Christum, juxta illud Joan. Cap. XVII. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ad II. R. Sermonem ibi esse de præordinatis ad fidem, ita ut sensus sit, eos omnes in tempore credidisse, qui ad credendum ab æterno erant præordinati, id est, gratiæ beneficio dispositi. Quod si etiam daretur, sermonem ibi esse de prædestinatis ad gloriam, sensus erit, omnes illos credidisse in tempore, quos Deus ab æterno per Scientiam visionis prævidens

videns credituros & perseveraturos, præordinavit ad vitam æternam. Ad III. R. Christum non loqui ibi de electione ad gloriam, sed de electione ad gratiam & fidem, ut vult Augustinus Tract. LXXXVI. in Joannem, & Lib. de Prædest. SSrum, Cap. XVII. & XIX, ac præcipue sermonem ibi esse de electione ad Apostolatum, ut interpretantur S. Cyrillus, S. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius: & colligi videtur ex verbis illis, *Ut eatis, & fructum afferatis.* Ad IV. R. Apostolum loqui de electione ad fidem Christi, & gratiam justificationis, quæ est communis omnibus justificatis. Prob. hoc I^mo, quia Apostolus longe probabilius ignoravit, quinam essent electi ad gloriam, cum de propria sua salute infallibiliter certus non fuerit, scribens I. ad Cor. Cap. IX. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* II. Quia non omnes, ad quos scribebat, prædestinatos esse ad gloriam existimavit. Ad V. N. C. Apostolus loco cit. non agit de absolute efficaci prædestinatione, & absoluta electione ad conformitatem cum Christo; sed solum de efficaci electione quantum est ex parte Dei, & adhuc conditionata ex parte hominis, nempe si velit hic sequi vocantem Deum. Scopus enim Apostoli est docere, quemadmodum procurante divina providentia, Christi passiones omnes & ærumnæ cooperatæ sunt in majus bonum & majorem gloriam: ita easdem cooperaturas justis, si voluerint ipsi Deo vocanti, ducenti, ac dirigenti se permittere, eidemque obsequi. Nam quos ab æterno præscivit Deus per ductum gratiæ suæ, & consensum liberæ voluntatis tales futuros, prædestinavit ad ulteriora bona, ad excellentiores honores; nempe ut conformes fiant imagini, id est, exemplari a Deo justis omnibus proposito, scilicet Christo Filio Dei, qui omnibus exemplar est sanctitatis, gratiæ & virtutum in hac vita, & gloriæ ac felicitatis in altera. Quos autem ad hanc plenam cum Christo conformitatem Deus ab æterno prædestinavit, hos opportuno tempore, loco, ac modo etiam vocavit, & per vias opportunas ad illam

deduxit. Hos etiam ſic vocatos, juſtiores & ſanctiores reddidit, eosque tot tantisque laboribus fortiter perfunctos eximie glorificavit, ſeu gloriosos effecit tum in hac tum maxime in futura vita. Ex quo colliges nihil hic præsidii invenire poſse adversarios pro adstruenda prædestinatione ad gloriam ante absolutam meritorum prævisionem.

531. Dices IV. Ad Rom. Cap. VI. dicitur: *Gratia Dei vita æterna.* Ex quo hoc instruitur argumentum. Juxta Apostolum vita æterna, ſeu prædestinatio ad gloriam est gratuita. Atqui non est gratuita ſecundum ordinem executionis; ſide enim certum est, gloriam nobis actu conferri propter merita. Ergo est gratuita ſecundum ordinem intentionis. Ergo in mente atque intentione Dei est prior meritis absolute prævisis. R. Imo. Cum Apostolus loquatur de vita æterna, prout in tempore confertur, ſiquid roboris hoc argumentum haberet, evinceret omnino vitam æternam gratis in tempore conferri, ut volunt Protestantes, non autem propter merita viribus gratiæ elicita. R. IIdo. D. M. Vita æterna, ſeu prædestinatio ad gloriam est gratuita in radice, C. M. Prædestinatio formalis ad gloriam est gratuita, N. M. Prædestinatio ad gloriam est gratuita in radice, quia gratia ſupernaturalis, ſine qua nulla existere poſsunt merita vitæ æternæ, adeoque nec ipsa prædestinatio formalis, gratis nobis conceditur ex pura misericordia, nullis præcedentibus meritis. At vero ipsa prædestinatio formalis ad gloriam non est pure gratuita, quia ſit propter merita absolute prævisa. Quamvis autem præsupposito decreto Dei, ac promiſsione illos prædestinandi ad gloriam quorum merita absolute futura præviderit, ſit onerosa, & merces juſtitiæ; potest nihilominus in aliquo ſensu dici gratuita, tum quia labor cum hac mercede collatus, quem nos gratia Dei adjuti adhibemus, prorsus exiguus ac parvi momenti censetur: tum quia Deus ex mera benignitate ac liberalitate, nulla adactus neceſsitate, decrevit eis tam amplam mercedem proponere, & ad gloriam prædestinare, quorum merita abso-

absolute futura prævidit; cum tamen omnia nostra opera bona aliunde Deo debeantur titulo creationis & ſupremi dominii, quin ea præmio ſupernaturali remunerari teneatur.

Et Conciliis petita.

532. Objic. II. Authoritas Conciliorum. Valentinum III. anno 855. in Galliis celebratum, Can. III. ait: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem. In electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroruм meritum malum præcedere juſtum Dei judicium.* Ergo juxta Patres Valentinos prædeſtinatio ad gloriam est prior prævisione meritorum. R. C. A. D. C. Ergo prædestinatio radicalis ad gloriam est ante merita absolute prævisa, C. C. Prædestinatio formalis ad gloriam, N. C. Misericordia Dei præcedit meritum bonum, non hoc ſensu, quod Deus prius eligat ad gloriam, quam merita prævideat; ſed quia priusquam eligat ad gloriam, voluntatem habet absolutam dandi gratias efficaces ex pura misericordia, atque affectu ſpecialiter benevolo.

Fruſtra nobis objicitur Pelagianiſmus.

533. Objic. III. Pelagianismus, & Semipelagianismus. Pelagiani prædestinationem ad gloriam meritis nostris reddi aſserebant, Semipelagiani ſimili modo contendebant, eos ad gloriam destinari, quos Deus gratia ſua bene usuros prævidit. Ergo ſententia nostra si non Pelagii, ſaltem Maſsiliensium errorem renovat. R. Pelagius meritis nostris prædestinationem ad gloriam ita reddi aſserebat, ut naturalia merita, absque gratiæ ſupernaturalis auxilio elicita, ſufficere putaret ad vitam æternam obtinendam. Atque hoc unum in eo reprehendit Augustinus, alioquin hanc ſententiam non reprobaturus, ut ipse testatur Lib. de Gratia & Libero arbitrio, Cap. VI. Locum hunc adduximus Num. 512. Semipelagiani non in eo errabant, quod electionem ad gloriam vellent præscientia meritorum posteriorem eſse; ſed in aliis turpiter hallucinati ſunt. Ac I^mo quidem, quod ad initium fidei liberum ſufficere arbitrium dicerent, nec ipsi opus eſse divina gratia præveniente. II^do. Quod docerent affectum

ctum bonæ voluntatis, conatum, ac desiderium solis naturæ viribus elicitum, Deo causam esse, regulam, ac motivum conferendi primam gratiam supernaturalem. III^tio. Quod fabularentur infantes prædestinari vel reprobari propter bona vel mala opera, quæ fecissent, si ad annos discretionis perveniſsent. Plura vide in III. prævia Dissertatione Historica, ubi de erroribus Semipelagianorum ex instituto egimus. Ab hac insania igitur cum toto cœlo distemus, patet, non nisi effronti temeritate sententiam nostram Pelagianismi aut Semipelagianismi accusari posse.

Prædestinatio Christi.

534. Objic. IV. Prædestinatio Christi. Præclarissimum prædestinationis nostræ exemplar est prædestinatio Christi. Atqui illa fuit gratuita. Ergo etiam nostra. R. D. M. Prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ ad gratiam C. M. Ad gloriam, subdist. Prædestinationis nostræ ad gloriam essentialem, N. M. Ad gloriam accidentalem, C. M. Et D. m. Prædestinatio Christi ad gratiam, atque etiam ad gloriam essentialem fuit gratuita, C. m. Ad gloriam accidentalem, N. m. & Conseq. Sanctissima Christi humanitas mereri non potuit prædestinationem ad gratiam, quæ est principium meriti: neque etiam unionem hypostaticam, quæ est quid longe majus atque excellentius quolibet augmento gratiæ & gloriæ solum finito, quo opus meritorium puræ creaturæ (qualis est humanitas Christi secundum se solam considerata) condigne compensatur. At neque gloriam essentialem mereri potuit; quia hæc vi unionis hypostaticæ debita ipsi erat, & a primo conceptionis instanti concessa. Atque ex hac parte prædestinatio Christi non fuit exemplar prædestinationis nostræ: fuit tamen quantum ad accidentalem gloriam; quia quemadmodum Christo ab æterno destinata fuit a Patre exaltatio nominis, gloriosa resurrectio, gloria corporis, Ecclesiæ a Christo conditæ splendor, firmitas, ac diffusio ob merita illius absolute prævisa, juxta illud Apostoli ad Hebr. Cap. II. *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Et Lucæ Cap. XXIV. *Nonne hæc oportuit*

tuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Ita & nobis præparatur in cœlis gloria, quia Deus per Scientiam visionis prævidet, per ærumnas forti & Christiano animo toleratas, aliaque pia opera, conformes nos futuros capiti nostro, Christo.

Mysterium Prædestinationis.

535. Objic. V. Mysterium prædestinationis. Prædestinatio ad gloriam est mysterium inscrutabiie, de quo Apostolus ad Rom. Cap. XI. ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Atqui si prædestinatio ad gloriam fieret propter merita absolute prævisa, non foret mysterium adeo abditum; facile enim responderi posset, idcirco v. g. Petrum esse prædestinatum, quia Deus ejus merita absolute futura prævidit. Ergo. R. C. M. N. m. Quamvis enim facile & vere responderi possit, aliquem esse prædestinatum ob merita, alium vero reprobatum ob demerita absolute prævisa; multa tamen supersunt cum prædestinatione connexa, quæ sacra teguntur caligine, atque humani ingenii aciem omnino effugiunt. Si enim quæratur, cur ex multis divinæ suæ gratiæ auxiliis, quæ huic homini Deus conferre posset, quibus ille adjutus certissime salvaretur, ea dumtaxat conferat, quibus non consentiet; alteri vero ea, quibus prævidetur consensurus: Quare e duobus justis unum ex hac vita Deus rapiat, dum justus est; alterum vero tentationibus obnoxium relinquat, quibus futurum est ut aliquando succumbat, atque æternum damnetur: Cur uni etiam non oranti det perseverantiam, alteri vero non det &c. quid aliud respondeas, quam cum Apostolo: *O altitudo divitiarum &c.*

Peculiaris Dei erga electos benevolentia.

536. Objic. VI. Peculiaris Dei erga electos benevolentia. Si electio ad gloriam fit post merita absolute prævisa, locum non amplius habebit peculiaris Dei erga electos benevolentia, quam Scripturæ ac Patres adeo commendant. Ergo. P. A. Causa moralis electionis ad gloriam essent merita absolute prævisa. Ergo quod aliquis sit prædestinatus, non est adscribendum peculiari Dei benevolentiæ, sed meritis hominis.

nis. R. N. A. Ad *prob.* D. A. Causa moralis eſsent merita absolute prævisa, ita tamen ut hæc ipsa merita præsupponant peculiarem Dei benevolentiam erga prædestinatos, C. A. Ut hanc non præsupponant, N. A. & Conseq. Merita gratiæ, quæ movent Deum ad decernendam & præparandam alicui gloriam, numquam existerent, nisi Deus ex peculiari erga illum benevolentia decerneret illi dare gratiam congruam, cui voluntatem hominis libere prævidet cooperaturam. Ergo merita gratiæ ſemper ſupponunt atque includunt peculiarem Dei prædilectionem, quæ Deum movet ad concedendas gratias congruas præ incongruis, licet ad id nullo modo teneatur.

Donum gratuitum finalis perseverantiæ.

537. Objic. VII. Donum gratuitum finalis perseverantiæ. Ipsa finalis perseverantia in gratia est in ordine intentionis omnino gratuita, atque a meritis independens. Ergo etiam prædestinatio ad gloriam in ordine intentionis est omnino gratuita. P. C. Perseverantia ideo electis conceditur, quia ſunt prædestinati. Ergo si decretum dandi finalem perseverantiam, quod ipsam prædestinationem consequitur, est omnino gratuitum, gratuitum pariter erit ipsum decretum prædestinativum ad gloriam. P. A. Non potest alia causa aſsignari, cur Deus decernat alicui donum perseverantiæ, nisi quia illum antecedenter prædestinavit ad gloriam. Ergo. *Confirm.* Deus ante prævisionem meritorum decernit electis primam gratiam efficacem, per quam convertantur. Ergo etiam ante prævisionem meritorum decernit eis gloriam. R. I^mo. Siquid argumentum hoc probaret, ſequeretur prædestinationem ad gloriam non tantum in ordine intentionis, ſed etiam executionis eſse omnino gratuitam, eoquod perseverantia finalis etiam in ordine executionis ſit gratuita. R. II^do. D. A. Ipsa finalis perseverantia est independens a meritis de condigno, C. A. A meritis de congruo, N. A. & Conseq. Electi per preces & bona opera de congruo merentur, & impetrant perseverantiæ donum, non vero de condigno; quia Deus nullibi promisit perseverantiam tamquam mercedem bonorum operum: contra ve-

ro Deus vitam æternam tamquam mercedem proposuit, meritis gratiæ obtinendam. Ad *prob.* N. A. Secus quærenti, cur uni detur finalis perseverantia, alteri vero non detur, facile reposuisset S. Augustinus, causam esse, quia unus est ad gloriam prædestinatus, non vero alter. At causam hanc se penitus ignorare fatetur S. Doctor, atque ad unum recurrit divinæ voluntatis beneplacitum, cujus nulla ratio reddi potest. Ergo perseverantia finalis non præsupponit prædestinationem ad gloriam; sed prædestinatio ad gloriam præsupponit præscientiam perseverantiæ. Ad hujus *prob.* N. A. Causa esse possunt merita gratiæ, quæ Deus prævidit futura absolute, & donum perseverantiæ de congruo impetratura. Aut si Deus quibusdam electis gratis omnino, atque independenter etiam a meritis de congruo, donet gratiam perseverantiæ, qua perducantur ad gloriam; causa hujus refundenda erit in solum beneplacitum divinum, cujus a nobis ratio nulla ulterior assignari potest, aut debet. Ad *confirm.* C. A. N. C. Etiam post illam gratiam efficacem, & suam conversionem, possunt homines peccare, & non perseverare; sicque non prædestinantur, nisi in signo rationis posteriori ad prævisionem meritorum & perseverantiæ.

Intentio finis.

588. Objic. VIII. Intentio finis. Agens liberum & intelligens prius vult finem quam media. Atqui Deus est agens liberum, & intelligens, seu infinite sapiens & providum; gloria vero est finis, & gratia est medium ad obtinendum hunc finem. Ergo Deus prius vult dare gloriam, quam velit dare gratiam. Ergo vult dare gloriam ante prævisa merita, quæ sunt a gratia. R. I^mo. Hoc argumento uti non posse Jansenianos, aut quoscunque alios, qui ultro admittunt, electionem Angelorum ad gloriam factam esse post eorum merita absolute prævisa. R. II^do. D. M. Si velit finem absolute & efficaciter per modum puri finis, C. M. Si velit finem conditionate tantum, ac per modum mercedis & præmii, N. M. Et sic dist. min. N. C. Qui domum ædificat, vel medicinam sumit ad recuperandam valetudinem, necessario prius intendit finem, commodam nimirum

mirum habitationem, aut ſanitatem; nullos alias ſumptus facturus, aut medicata potione molestiam ſibi creaturus, si prævideret, ſe mediis istis finem præfixum non consecuturum, quem tamen, quantum est in ſe, absolute & efficaciter intendit. Qui vero finem vult non absolute & efficaciter, ſed conditionate ac per modum mercedis & præmii, non prius vult finem quam media. Sic Paterfamilias non vult absolute dare mercedem operariis ante laborem; ſed conditionate tantum, si nimirum laboraverint. Porro Deus vult quidem nobis dare gloriam, ſed per modum mercedis: proindeque non vult absolute illam dare ante merita absolute prævisa.

539. Dices I. Deus vult absolute & efficaciter finem, nempe æternam gloriam. Ergo intentio finis est neceſsario prior intentione mediorum. P. A. Deus prædestinatis dat efficacia media, non autem reprobis. Ergo Deus respectu aliquorum vult absolute & efficaciter finem. P. C. Electio mediorum ad finem certo & efficaciter conducentium, ſupponit efficacem finis intentionem, qua quis movetur ad illa media efficaciter eligenda. Atqui Deus electis ſuis confert media gratiæ efficaciter ad finem, id est, gloriam æternam conducentia. Ergo Deus absolutam & efficacem habet intentionem illis dandi gloriam. R. D. A. Deus vult absolute & efficaciter finem, in ſigno priori ad Scientiam visionis, qua merita absolute futura cognoscit, N. A. In ſigno posteriori ad illam, C. A. N. C. Ad *prob.* D. A. Deus prædestinatis dat efficacia media, quæ non dat reprobis, si illa media ſpectentur in ſe, & ex parte dantis, N. A. Si ſpectentur ex parte accipientis, & cooperationis liberi arbitrii, C. A. N. C. Si media gratiæ ſpectentur in ſe & ex parte dantis, ante cooperationem liberi arbitrii, omnia ſunt efficacia in actu primo, tam ea quæ electis, quam quæ reprobis dantur; quia habent ſufficientem vim consequendi effectum, si homo iis cooperetur: immo ſæpe majora dantur reprobis, quam prædestinatis, ac proinde magis efficacia in actu primo, & magis ſufficientia. Si autem ſpectentur

ex

ex parte accipientis, & cooperationis liberi arbitrii, tunc illa ſola ſunt efficacia in actu ſecundo, quibus homo libere cooperatur; illa vero inefficacia, quibus non cooperatur. Inæqualitas ergo donorum gratiæ, quæ Deus largitur prædestinatis & reprobis, non oritur præcise ex voluntate dandi gloriam; ſed in actu primo ex libero Dei beneplacito, qui distribuit ſua dona prout vult, & in actu ſecundo ex libera actuali cooperatione hominis; quæ quidem nullas gratiæ vires tribuit, nullamque efficaciam; denominat tamen gratiam efficacem in actu ſecundo. Præterea quamvis daretur adversariis, Deum majora auxilia dare prædestinatis quam reprobis, inde tamen non ſequitur quod probandum erat, nempe voluiſse Deum ab æterno efficaciter dare gloriam ante merita absolute prævisa. Patet in ſimili exemplo. Rex, qui militibus proponit præmium, potest uni magis desiderare illud quam alteri, ac proinde potest uni dare aptiora arma quam alteri: inde tamen non ſequitur, quod efficaciter velit illi dare præmium ante prævisa merita. Ad hujus *prob.* D. M. Si illa media ad finem certo & efficaciter conducant, vi & efficacia absoluta, antecedente, atque omnino independente etiam in actu ſecundo a libera voluntatis cooperatione, Tr. M. Secus N. M. Et ſic dist. min. N. C. Quotiescunque auxilium gratiæ ad gloriam conducens est tale, cui voluntas creata potest resistere, non potest prius efficaciter intendi finis, quam voluntas prævideatur consensura. Ergo cum omnia gratiæ auxilia ſint talia, quibus creatura potest diſsentire si velit; antequam absolute efficaciter decernatur gloria, Deus prævidere debet consensum creaturæ, non per Scientiam mediam tantum; per hanc enim prævidentur etiam reprobi in aliqua hypothesi consensuri. Ergo per Scientiam visionis.

540. Dices II. Voluntas dandi majorem gratiam, ſeu talem cui prævidetur cooperatura voluntas creata, uni potius quam alteri ante merita absolute prævisa, videtur eſse ſine ratione, nisi procedat a voluntate efficaciter intendente gloriam. Ergo quemadmodum illa

gra-

gratia decernitur ante merita absolute prævisa: ita etiam gloria ante Scientiam visionis meritorum decernitur. R. N. A. Non alia hic quærenda est ratio, cur Deus hoc velit, nisi ipsa Dei voluntas & beneplacitum; ipse enim, teste Apostolo, dividit unicuique gratiam prout vult: ùtque in Evangelio legitur, uni dat decem talenta, alteri quinque, aliis pauciora. Denique si ideo vellet majorem gratiam dare uni quam alteri, quia uni efficaciter & absolute desiderat gloriam, non vero alteri; redibit eadem quæstio, ob quam rationem, & ex quo peculiari fine uni magis quam alteri gloriam absolute & efficaciter desideret.

541. Dices III. Ex intentione finis absoluta & efficaci non potest oriri electio mediorum inefficacium. Ergo neque ex intentione finis inefficaci oriri potest electio mediorum efficacium. R. C. A. N. C. & paritatem. Electio mediorum inefficacium in eo, qui finem efficaciter intendit, argueret imprudentiam & præcipitantiam, aut saltem impotentiam, si efficaciora media non habeat in sua potestate: adeoque Deum, perfectissimum agens, omnino dedeceret. At vero ex inefficaci intentione finis nihil obstat oriri electionem mediorum efficacium; maxime cum illa intentio finis ex parte volentis sincera est & efficax, ac conditionata dumtaxat ex parte creaturæ, qualis in Deo est voluntas generalis & antecedens, ut omnes homines salvi fiant.

CONTROVERSIA V.

DE CAUSA REPROBATIONIS POSITIVÆ.

CONTRA PRÆDESTINATIANOS, ZWINGLIUM, CALVINUM &c.

Quid sit Reprobatio?

542. *Reprobatio*, quæ generatim significat rei alicujus rejectionem, Theologice considerata definitur a Magistro Sententiarum Lib. I. Dist. XL. præscientia iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem. Itaque si adæquate sumatur, duo includit, nempe rejectionem a gloria, & destinationem ad supplici-

plicium æternum; inadæquate vero ſpectata dicit dumtaxat alterutrum ex duobus terminis in reprobatione adæquata comprehensis, estque vel rejectio a gloria, vel destinatio ad ſupplicium æternum. Reprobatio adæquata & totalis definitur a Theologis eſse æternum atque efficax Dei decretum privandi aliquos gratia finali, & gloria cœlesti, illosque addicendi pœnis æternis. Dicitur 1mo *Æternum Dei decretum*, ut ſignificetur reprobationem eſse in Deo actum positivum; alias enim si reprobatio eſset tantum negatio actus, innumeri Angeli & homines mere poſsibiles, quos Deus numquam creavit aut creaturus erit, poſsent dici reprobi; quia Deus numquam decrevit illis collationem gratiæ & gloriæ. II. *Efficax*, quia voluntas antecedens & conditionata puniendi, si homines mandata non custodiant, nolintque gratiæ cooperari, quam Deus habere concipitur etiam antecedenter ad Scientiam mediam, & decretum prædestinativum vel reprobativum, hoc ipso quod ſit conditionata, dici nequit reprobatio; alias etiam Angeli qui in justitia ſemel accepta permanserunt, aliique homines prædestinati dicendi forent a Deo reprobati, quia & illos pariter Deus antecedenter ad Scientiam mediam & decretum prædestinativum, voluit conditionate a gloria excludere, & pœnis æternis addicere, si nimirum a bono deficerent. Occasione hujus voluntatis antecedentis breviter hic noto. Quamvis Deus antecedenter velit homines ſalvari ſub conditione si nimirum mandata observaverint, & ſempiternis cruciatibus addici, si mandata neglexerint; bene a Catholicis ſtatui in Deo voluntatem antecedentem ac ſeriam, quantumvis conditionatam, ut omnes homines ſalvi fiant, quin in Deo pari jure ſtatuatur voluntas antecedens, ſeria & conditionata damnandi homines. Ratio est, quia Deus ſerio & ardenter, quantum in ſe est, desiderat voluntatem illam & conditionem, ſub qua vult ſalutem, ab omnibus impleri, atque ex eo capite gratias vere ſufficientes omnibus largitur: at vero minime desiderat conditionem illam ab hominibus impleri, ſub qua vult eos punire. III. *Privandi*

ali-

aliquos gratia finali, & gloria cœlesti. Quia nullus positive reprobatur, nisi propter peccatum finale, & cum morte conjunctum, in quo intelligitur exclusio a gratia finali. Sic David permissus est quidem labi in adulterium, ac B. Petrus in peccatum infidelitatis externæ; nec tamen propterea reprobati sunt, quia exclusi non fuere a gratia finali, nec proinde a gloria. IV. *Illos addicendi pœnis æternis.* Quia in hac providentia non datur medius locus inter beatitudinem supernaturalem & pœnam æternam, etiam respectu parvulorum, qui a peccato originali inexpiati ex hac vita decedunt; quamvis enim in inferno æternis ignibus non urantur, æternam tamen calamitatem suam & sentiunt, & dolent. Vide dicta Tomo IV. Artic. I. de Peccato originali, Controversia III.

Et quotuplex?

543. Reprobatio alia est negativa, de qua ex instituto agemus Controversia sequente, alia est positiva, eaque duplex, formalis nempe & radicalis. Reprobatio positiva *formalis*, est efficax Dei decretum addicendi quosdam pœnis æternis. Reprobatio positiva *radicalis*, est voluntas positiva dandi auxilia finalia, vere quidem sufficientia, quæ tamen ex malitia hominis prævidentur inefficacia. Illud hic observo, a Deo reprobis non decerni auxilia inefficacia, qua inefficacia, vel quia prævidet ea effectu suo frustranda esse, atque eo fere modo, quo prædestinatis decernit auxilia efficacia, quia prævidet fore efficacia, atque ex intentione salutis tamquam finis; hic enim modus commendat peculiarem Dei erga prædestinatos benevolentiam; prior vero everteret omnino antecedentem illam ac seriam, quamtumvis conditionatam Dei voluntatem, ut omnes homines salvi fiant. Quomodo enim Deus serio eos salvos esse cuperet, quantum est in se, quibus ex intentione pœnæ tamquam finis, confert auxilia inefficacia qua talia, quia prævidet ea effectu suo frustranda; non daturus illa, si hominem prævideret illis cooperaturum esse?

Doctrina Catholicorum.

544. Dari in Deo reprobationem positivam perituro-rum, apud omnes Catholicos æque ac Sectarios in con-

fesso

fesso est; satis enim id insinuant Scripturæ Matth. Cap. XXV. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* At vero quæ causa reprobationis positivæ, præcipue formalis, sit demeritoria, magna fervet Catholicos inter & sectarios contentio. Catholici, duce Scriptura & tota antiquitate, ajunt, neminem ex solo Dei beneplacito, atque antecedenter ad absolutam peccati prævisionem, positive reprobari, atque æternis suppliciis destinari, sive quod idem est, reprobationem positivam formalem esse in signo rationis posteriori ad demerita absolute prævisa, ita ut decretum divinum hanc habeat tendentiam: *Etsi videam, quod si Judas hanc haberet seriem auxiliorum, peccaret, & in peccato finaliter perseveraret; decerno tamen dare illi hæc auxilia: & quia ex malitia sua his auxiliis adjutus peccabit, atque in peccato finaliter perseverabit, propter hæc demerita decerno ipsi infligere pœnam æternam.*

545. At vero Zwinglius, Beza, ac Calvinus veterum Prædestinatianorum, de quibus prolixe egimus in prævia Disertatione historica IV, errorem secuti, docent, reprobationem a gloria atque æterni supplicii destinationem fieri ex mero Dei arbitrio, absque ulla culpa ex parte hominis: Deum negare reprobis omnem gratiam; quin immo impellere ac necessitare reprobos ad peccandum, eisque illudere simulando se velle illos juvare, cum tamen velit reprobos perdere. Quare hanc in rem scribit Calvinus Lib. III. Institut. Cap. XXII. Paragr. III. *Ubicunque regnat hoc Dei placitum, nulla in consideratione veniunt opera.* Et Paragr. XI. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem.* Nihilominus Calvinus, qui vice non una aperte antelapsarium se prodidit, docens aliquos a Deo prædestinari, alios reprobari ante omnem actuum creaturæ prævisionem; eoquod Deum, siquidem decernat creaturas aliquas producere, indispensabili lege teneri affirmet ad

Errores Prædestinatianorum.

osten-

ostendendam misericordiam & justitiam ſuam; ſubinde tamen in Antidoto Concilii Tridentini, & in libris contra Pighium duriorem illam & acerbiorem ſententiam paulisper temperavit, & ad partes postlapsariorum transiit, docuitque reprobationem periturorum factam eſse post prævisionem absolutam peccati originalis, quin Scientia visionis peccatorum actualium hoc decretum dirigeret: qua in re consentientem ſibi habuit Jansenium, ejusque aſseclas.

Reprobationem positivam formalem eſse in ſigno posteriori ad demerita absolute prævisa.

546. Conclusio I. Reprobatio positiva formalis est in ſigno rationis posteriori ad demerita absolute prævisa, ſeu quod idem est, fit propter demerita absolute prævisa. Dicitur I^mo. *In ſigno rationis poſteriori;* quia quemadmodum ſuperius de prædestinatione ad gloriam dictum est, Deus immediate post Scientiam ſimplicis intelligentiæ, & Scientiam mediam, decernit unico realiter & virtualiter indivisibili actu totum ordinem præsentis providentiæ quoad omnes & ſingulas partes: atque hinc omnia, quæ ſunt circa reprobum, absolvit una ſimpliciſsima determinatione; adeo ut reprobatio positiva formalis neque fiat ante, neque post demerita absolute prævisa, vera quadam anterioritate vel posterioritate, ſed tantum posterioritate logica, per æquivalentiam, ac ſecundum nostrum concipiendi modum. Nam decretum reprobationis ita æquivalet pluribus actibus, ut si isti deberent distingui & ſubordinari inter ſe, Scientia visionis demeritorum præcederet decretum pœnæ; vera enim est hæc causalis: ideo Deus ab æterno voluit v. g. Judam punire pœna ſempiterna, quia ab æterno prævidit per Scientiam visionis finale peccatum Judæ; non vero vice versa: ideo prævidit peccatum Judæ, quia voluit eum punire. Ut autem ejusmodi propositiones causales verificentur, ſufficit ſubordinatio mere logica, tenens ſe ex parte intellectus, qui distinguit in eadem indivisibili re duas formalitates ſeu tendentias, quarum unam concipit priorem alterâ. Sic v. g. verificatur hæc propositio: *Ideo Deus neceſsario ſe amat, quia ſe cognoscit.* Ubi cognitio logicè tantum prior est amore; cum amor neceſsa-

ceſsarius, & cognitio neceſsaria nullatenus inter ſe distinguantur, nisi ratione. Dicitur II. *Ad demerita*, ſive in ſigno rationis posteriori ad peccatum originale, aut ad peccata actualia non remiſsa, atque absolute prævisa, aut ad utraque ſimul. Parvulis enim qui ad baptismum non pervenerunt, decernit Deus infligere pœnas æternas ob peccatum originale numquam ipsis remiſsum, atque absolute prævisum: Infidelibus adultis tum ob peccatum originale, tum ob alia actualia; Fidelibus vero adultis, qui gratiam baptismi jam consecuti ſunt, ob peccata tantum actualia, quæ ab ipsis absolute committenda fore Deus certiſsime prævidet. Dicitur III. *Absolute futura*, ſeu *absolute prævisa*. Non enim Sola Scientia media prælucet decreto reprobativo, verum etiam Scientia visionis demeritorum. Nam si Deus eos reprobaret, quorum demerita ſub conditione per ſolam Scientiam mediam prævidit, omnes homines forent reprobi. Certum est enim, nullum hominem actu in justitia perseveraturum, si darentur illi gratiæ, quas Deus prævidet fore inefficaces. Ergo Deus eos tantum reprobat, quos per Scientiam visionis infallibiliter prævidet aut numquam justificandos, aut in accepta ſemel justitia non perseveraturos.

547. Probatur jam Conclusio ita explicata, I^mo^ Authoritate Scripturarum. In Scripturis tribuitur damnatio homini peccatori, & non Deo. Ergo peccatum est causa ſuo modo reprobationis positivæ formalis. Dicitur *ſuo modo*, quia peccatum haud dubie non est causa proprie dicta decreti reprobativi; ſecus foret etiam causa Dei, quocum identificatur illud decretum. P. A. Oseæ Cap. XIII. dicitur: *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Ezechielis Cap. XVIII. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat.* II. Petri Cap. III. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Matth. Cap. XXV. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dediſtis* *Evincitur ex Scripturis.*

mihi manducare. Ubi causa redditur, cur impiis paratus ſit ignis æternus, nimirum ob peccata.

Ex S. Auguſtino.

548. Prob. II. Authoritate Augustini, ejusque Diſcipulorum. S. Augustinus Lib. de Perfectione juſtitiæ contra Cœlestium, Cap. XIII. ſcribit: *Hoc ergo bonum, quod eſt requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum; ſed in eo genere hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum: ſuper hos enim respexit Dei præscientia, protulitque ſententiam.* In quæ verba ſcribit S. Fulgentius Lib. II. ad Monimum, Cap. XXVII. *Nempe ſatis evidenter his dictis oſtendit, quia Deus peccata hominum vidit, quibus ſententiam prædeſtinatione dictavit.* S. Augustinus Lib. III. contra Julianum, Cap. XVIII. ſcribit: *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Et Epist. CLXXXVI. alias CVI. ad Paulinum: *Pie & veraciter creditur Deus nocentes atque impios juſtificando a pœnis debitis liberare: quemquam vero immeritum, & nulli obnoxium peccato ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. Ubi ergo liberatur indignus, tanto debetur major actio gratiarum, quanto pœna juſtior debebatur: ubi autem damnatur indignus* (damnari) *nec misericordia, nec veritas obtinetur.* Lib. I. Operis imperfecti, Num. CXXX. ad eam Juliani reprehensionem: *Ecclesia veſtra dicit ſine juſtitia, ſine judicio, ſine misericordia, Deum conditorem malorum, formare quos puniat; atque ob hoc punire, quod eos ex Adam ipse formaverit,* hæc Augustinus respondet: *Non abſtinet Deus bonum formationis ſuæ etiam a ſtirpe damnata. Sed ſi tibi displicet, Deum creare quos damnet; contradic ei, ſi potes, ne creet eos, quos malos futuros, & in malignitate usque in finem perseveraturos, & ob hoc ſine dubitatione damnandos eſſe præscivit.* Et Lib. V. Operis imperfecti, Num. LXIV. *Quid igitur te adjuvat, quod eos mihi objeciſti, quos expectat Dei patientia per pœnitentiam corrigendos, & ideo ſuper eos oriri Solem ſuum facit & pluit: cum ego tibi hædos ſiniſtræ partis objecerim, quos usque in finem ſine*

pœni-

pœnitentia victuros in impietate ac sceleribus suis: ac per hoc æterno supplicio puniendos ignorare non potest præscius omnium futurorum. S. Prosper ad Capit. Object. Vincent. in Respons. ad XII. *Hi, de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.* Idem ibidem in Respons. ad XIII. *Deus etsi ex æterna scientia præcognitum habeat, quid uniuscujusque meritis retributurus sit; nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo a justitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil agit Spiritus Sanctus: nec tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit: cujus opere multos scimus, ne laberentur, retentos; nullos autem, ut laberentur, impulsos.* S. Fulgentius Lib. I. ad Monimum, Cap. XXIV. *Prædestinavit* (Deus) *illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.*

549. Prob. III. Authoritate Conciliorum, Arelatensis & Lugdunensis contra Lucidum Presbyterum, Arausicani II; cujus verba adduximus Num. 69. Moguntini ac Carisiaci contra Gothescalci errores, & Valentini III, quod Canone III. ita statuit: *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam præcedere meritum bonum; in damnatione autem perituroruni meritum malum præcedere justum Dei judicium.* *Conciliis.*

550. Prob. IV. Ratione Theologica, eaque multiplici. I^ma est. Deus consequenter etiam ad peccatum originale, atque antecedenter ad prævisionem personalium peccatorum, vult serio omnes homines salvos fieri; atque hac de causa propter merita Christi, qui pro æterna omnium hominum salute mortem suam æ- *Ac ratione Theologica.*

terno Patri obtulit, omnibus hominibus, nullo excepto, dat gratias vere ac relative ſufficientes ad ſalutem. Ergo Deus neminem ex ſolo ſuo beneplacito positive reprobat, ſed propter demerita, non conditionate tantum, ſed absolute prævisa. Antecedens ostendimus partim Tomo I. Artic. III. Controversia XIII. partim Tomo V. Artic. I. Controversia IV. & ſequentibus. Consequentia est omnino evidens; quia decretum reprobativum, independens a prævisione demeritorum, evertit omnino ſeriam illam voluntatem ſalutis omnium. II^da. Adjudicare hominem pœnæ æternæ ante demerita absolute prævisa, ſapit inclinationem ad puniendum, & habet ſpeciem aliquam crudelitatis. Ergo decretum reprobativum independens ab absoluta demeritorum prævisione, est Deo indignum. III^tia. Deus propter illam causam ab æterno vult hominem cœlo excludere, æternasque pœnas infligere, ob quam in tempore reipsa illum punit; si enim voluntas est efficax ab æterno, non variatur in tempore: & ratio faciendi est ratio volendi, ſeu quod idem est, intentio exequendi, & ipsa executio habent idem motivum. Sed Deus neminem excludit & punit reipsa in tempore niſi propter peccatum, tamquam rationem, causam, vel conditionem ſine qua non. Ergo ob id ipsum ab æterno vult hominem a cœlo excludere & punire. IV^to. Ex hac voluntate damnandi hominem ante prævisum peccatum ſequitur, hominem a Deo impelli ac prædestinari ad malum, ſive ad peccatum: quam blasphemiam, utpote quæ tollit liberum arbitrium, & Deum autorem peccati facit, execrati ſunt Patres Arelatenses; Lugdunenses, Arausicani, Moguntini, Carisiaci, ac nuper Tridentini Seſs. VI. Can. XVII. his verbis: *Si quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes; qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum; anathema ſit.*

Reprobatio positiva radicalis non ha-

551. Conclusio II. Reprobatio positiva radicalis non ſit propter demerita absolute prævisa: ſive quod idem est, cur Deus voluntatem positivam habeat dandi

di aliquibus auxilia finalia prævisa inefficacia, vere tamen adhuc sufficientia relative, & cum sincera salutis intentione conjuncta, nulla datur causa ex parte hominis reprobi; sed id omne soli Dei beneplacito, atque imperscrutabili Dei judicio tribuendum est. Prob. Concl. ratione Theologica. Ac I^mo. quidem reprobatio positiva radicalis, seu decretum conferendi gratias finales prævisas inefficaces includit hoc ipso negationem auxilii efficacis, quo evitaretur primum peccatum, secumque infert permissionem primæ culpæ. Atqui negatio primi auxilii efficacis ad vitandum primum demeritum, seu permissio primæ culpæ non est propter aliquod demeritum; alias non esset prima culpa. Ergo reprobatio positiva radicalis non est propter aliquod demeritum. II^do. Certo cunstat, Deum in decernendo auxilio seu medio salutis efficaci, a quo salus absolute pendet, non eodem modo se gerere erga homines sub iisdem vel æqualibus demeritis constitutos. Ergo reprobatio positiva radicalis non fit propter demerita absolute prævisa. Antecedens patet tum in infantibus tum in adultis. In parvulis quidem, qui ad usum rationis non pervenient, Deus videre nequit aliud demeritum absolute futurum, quam noxam originariam; & tamen aliquibus gratiam baptismi conferre decrevit, sicque eos ad gloriam prædestinavit; aliis vero non decrevit, qui proin æterna excidunt salute. Ex adultis alii præservantur a primo lapsu, alii non præservantur; etsi nec hi, nec illi posuerint antea ullum demeritum personale. Ex lapsis, & pari ruina involutis resurgunt alii, alii deseruntur. Sæpe etiam pejoribus gratia efficax confertur, quæ minus peccantibus juste denegatur. Ergo ratio hujus æternæ ordinationis, qua aliquibus præparantur auxilia inefficacia, quamvis vere ac relative sufficientia, repeti non potest a demeritis absolute, multoque minus conditionate prævisis, sed ex solo Dei beneplacito, ac secretissimo judicio, ut adeo hic quam maxime locum habeat illud Apostoli ad Rom. Cap. XI. *O altitudo divitiarum sapien-*

bet causam ex parte hominis reprobi.

ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!

Argumenta contraria refutantur.

Adversariis non patrocinatur authoritas Scripturarum.

552. Objicitur I. contra Imam Conclus. Authoritas Scripturarum. Ad Rom. Cap. IX. dicitur: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et eodem Cap. v. 17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam.* Ergo reprobatio positiva formalis fit ante demerita absolute prævisa. R. C. A. N. C. Dato etiam quod Scriptura locis citatis agat de reprobatione ab æterna gloria, ex illis tamen neutiquam inferri poſset, reprobationem fieri ante demerita absolute prævisa. Cæterùm, primum locum explicavimus paulo ante, nempe Num. 526, posteriorem vero Tomo IV. Num. 156.

Paritas.

553. Objic. II. Paritas. Potuit Deus ante omnem prævisionem demeriti excludere hominem a gloria, quia illa absolute homini non debebatur. Ergo potuit etiam ante omnem prævisionem demeriti ei positive decernere pœnas inferni. II. Deus, tamquam ſupremus Dominus, potest innocentem cruciare tormentis æternis. Ergo multo magis potest hos cruciatus decernere nocenti, antequam prævideat fore nocentem. III. Deus reprobavit Angelos, qui postmodum lapsi ſunt, absque ipsorum culpa, & innocentes parvulos ante baptismum decedentes positive reprobat, quamvis in his parvulis nulla videat demerita. Ergo a pari. R. D. A. Deus potuit id antecedenter ad ſuam promiſsionem, C. A. Consequenter ad illam, atque in hac providentia, in qua ſerio quantum est in ſe, vult ac desiderat ut omnes homines ſalvi fiant, nisi ipsi peccatis ſuis æternum puniri mereantur, N. A. & Conseq. Antecedenter ad promiſsionem factam mandata ſervantibus concedendi æternam gloriam, exclusio a gloria non habuiſset rationem pœnæ, ſed mera fuiſset favo-

ris

ris indebiti negatio. At vero in hac providentia, in qua Deus æternam gloriam pollicitus est hominibus, ſiquidem mandata ſervaverint, exclusio a gloria est pœna proprie dicta, ideoque neceſsario ſupponit culpam, ob quam homo excidere meretur jure, quod post factam promiſsionem habuit ad gloriam. Ad II. N. A. Innocentem æterno ſupplicio cruciare repugnat clementiæ, & mansuetudini divinæ. Ut enim ait S. Augustinus Lib. III. contra Julianum, Cap. XVIII. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Præterea everteretur ſeria illa, quam Deus habet, voluntas ut omnes homines ſalvi fiant. Ad III. N. A. Deus angelis rebellibus non antea decrevit æternas pœnas infligere, quam futuram eorum inobedientiam præviderit: neque parvulos ſine baptiſmo ex hac vita decedentes a cœlo excludere decrevit ante prævisionem peccati originalis.

554. Dices. Videtur etiam clementiæ ac mansuetudini divinæ contrarium, quod Deus ferat ſententiam absolutam damnationis, antequam peccatum actu exiſtat: neque minus idcirco admittitur a nobis reprobatio positiva formalis ab æterno exitens. Ergo etiam admitti potest reprobatio antecedens prævisionem absolutam demeritorum. P. A. Homo ante demerita absolute posita nondum est reus & pœna dignus. Ergo crudelitatem aliquam ſapit, quod Deus illi pœnam decernat, antequam actu legem divinam transgrediatur. P. C. Princeps crudeliter ageret decernendo pœnam ante delictum jam commiſsum. Ergo a pari. R. N. A. Deus, antequam peccatum exiſtat, ſententiam fert damnationis, executioni mandandam posteaquam peccatum extiterit: atque hinc decretum quidem antecedit culpam admiſsam; pœnæ vero inflictio eamdem ſubsequitur. Ad *probat.* D. A. Nondum est reus & pœna dignus, cognoscitur tamen infallibiliter talis eſse futurus, C. A. Aliter, N. A. & Conseq. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. Princeps ante eventum culpæ nullam habet infallibilem certitudinem delicti perpetrandi: hinc si

pœnam

pœnam decerneret ante delictum perpetratum ſingillatim alicui ſubdito infligere, pronum oſtenderet animum ad puniendum, ac crudelitatis ſpeciem præſeferret, præcipue quia id abſque rationabili causa ageret. At vero Deus per Scientiam visionis infallibiliter prævidet demerita hominis absolute futura; & nisi ſententiam damnationis ab æterno tuliſset executioni mandandam in tempore, eam numquam amplius ferre poſſet: Deus enim nulli mutationi obnoxius ob infinitam divinarum perfectionum ſuarum excellentiam, omnia jam ab æterno decrevit, quæ in tempore executioni mandat. Objectiones reliquas Calvinianorum, quibus hanc Conclusionem illi impugnare ſolent, diſſolvimus Tomo IV. Artic. II. Controversia II, in qua oſtendimus, Deum non eſſe authorem peccati.

Ratio. 555. Objic. III. contra II^dam Conclus. Ratio. Ex una parte Theologi inquirunt rationes divinorum Mysteriorum, nec ſtatim recurrunt ad illud, *Stat pro ratione voluntas:* ex altera parte decretum conferendi gratias prævisas inefficaces, independens a prævisione demeritorum, conciliari non potest cum ſeria & antecedente voluntate Dei, ut omnes homines ſalvi fiant. Ergo reprobatio positiva radicalis habet causam ex parte hominis reprobi. P. A. Quoad alterum membrum. Deus decernendo aliquibus gratias inefficaces absque eorum demerito, vult in radice & virtualiter eorum damnationem. Ergo non potest ſimul ſerio velle eorum ſalutem. P. A. Deus decernendo prædestinatis gratias efficaces, vult ſalutem in radice. Ergo etiam decernendo reprobis gratias prævisas inefficaces absque eorum demerito, vult antecedenter ad prævisionem demeritorum, eorumdem damnationem ſaltem virtualiter, & in radice. R. D. A, quoad I^mum membrum. Theologi inquirunt rationes, divinorum Mysteriorum, ſi ſilum ipsis porrigat Ecclesia, & Scriptura divina, C. A. Secus, N. A. Inæqualis partitio gratiarum mysterium est rationi impervium, quod a nullo Theologorum explicabitur: cujus alia ratio dari non poterit, quam ſolum beneplacitum divinum, ſapientia, proviſden-

dentia, cæteræque perfectiones Dei. Nos cum Doctore Gratiæ Augustino Lib. de Spiritu & littera, Cap. XXXIV. id ſolum respondemus: *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quisquam nos coarctet, --- duo ſola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et, Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio iſta displicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præsumptiores.* Alterum Anteced. membrum omnino negatur. Ad *probat.* N. A. voluntas dandi auxilia prævisa inefficacia, vere tamen ac relative ſufficientia, non est radicalis aut virtualis intentio damnationis; Deus enim intendit potius ſalutem, & præbet medium ſalutis, idque vere ac relative ſufficiens, quamvis ex malitia humanæ voluntatis reipsa nihil profuturum. Profecto æque parum vult Deus damnationem, quando largitur homini ſufficiens medium evadendi damnationem, quam parum vult in radice peccatum, quando gratiam mere ſufficientem alicui decernit, qua peccatum ex malitia hominis non evitatur. Ad hujus *probat.* C. A. N. C. Deus confert prædestinatis gratias efficaces ex affectu ſpecialiter benevolo, qua efficaces, & cum intentione ſalutis: contra vero reprobis non confert gratias inefficaces, quia ſunt inefficaces, neque ut conferant ad damnationem; ſed potius ut conferant ad ſalutem, ad quam de ſe ſufficiunt, licet ex culpa accipientis ad eam non perducant.

556. Dices Imo. Præparare medium inefficax, quamvis de ſe ſufficiens, est reipsa ſuppeditare vires ad malum, nempe ad peccatum finale. Atqui hoc conciliari non potest cum ſeria voluntate Dei, ut omnes homines ſalvi fiant. Ergo. P. M. Vires ad malum præbet, qui dare vult id quod infallibiliter præscit conjunctum iri cum eventu malo: ut qui v. g. furioso daret gladium, vel notorie prodigo pecunias. Atqui Deus ſic agit cum reprobo; decernit enim & dat auxilium, metaphysice certus de malo ejus usu & ſecutura inde miseria æterna. Ergo. R. N. M, ejusque probationem. Prævisio mali ſecuturi non facit Deum cooperari malo, quia ex ſe & voluntate antecedente Deus vult bonum,

& non

& non tenetur impedire malum, ex quo novit majus bonum elicere. Exempla ab hominibus petita nihil evincunt; homo enim obligatur lege charitatis vel justitiæ ad prævertendum vel avertendum malum prævisum, quando id potest. Est præterea Deum inter & hominem hoc notabile discrimen, quod Deus sit Gubernator & provisor universalis, ad cujus providentiam spectat in rebus particularibus ac defectibilibus permittere quosdam defectus: Homo vero, quem vel privatum officium, vel alia specialis obligatio adstringit ad promovendum bonum alterius, non potest utique malum permittere, si illud præsentit, & facile amoliri potest.

557. Dices II. Reprobatio positiva radicalis est decretum quoddam Deo liberum, directum a Scientia media repræsentante omnes ac singulas auxiliorum series, & singulorum efficaciam vel inefficaciam sub conditione secuturam. Ergo si hoc decretum removet omnes series auxiliorum efficacium, & tantum assumit pro reprobo seriem auxiliorum finaliter inefficacium, non apparet qui fieri possit, ut Deus simul bona fide & serio velit hominem cum his auxiliis bene operari, & salvari. Prob. Conseq. I^mo, quia Deus ea scientia instructus, eligens illam seriem auxiliorum effective inutilem, videtur studiose seligere media non profutura. Quomodo ergo vult serio effectum, & eventum bonum? II^do. Non vult serio finem, qui habet medium certum obtinendi finem, eoque neglecto medium adhibet certo inefficax. Ergo. R. C. A. N. C. Non obstante prævisione conditionata, & restricta illa determinatione auxiliorum, satis adhuc emicat seria & benevola Dei intentio: duas enim res intendit Deus, media sufficientia ad bonum, & ipsam salutem; hæc vero media decernit eo fine, ut opera bona eliciantur, & salus æterna acquiratur. Vult igitur, & suppeditat media sufficientia ad finem ex amore finis; nec per ipsum fiat, sed per liberum hominis arbitrium, si finis non sequatur. Atqui talis voluntas est plane seria ac benevola, cum efficaciter præparet apta media, & per hæc in finem

nem tendat, quamvis non omnimoda efficacia, ſed efficacia ſolum affectiva, non effectiva ex culpa hominis libertate ſua abutentis. Ad *probat.* I^mam. N. A. Falsum omnino est, ſeligi ſtudiose media non profutura; non enim conferuntur qua inutilia, ſed qua vere idonea de ſe, & ſufficientia. Ad *probat.* II^dam. D. A. Non vult ſerio, atque illimitate, efficaciter & absolute, qui &c. C. A. Non vult ſerio, ſed tantum limitate & conditionate, N. A. Ad ſeriam voluntatem non requiritur velle & facere omnia quæ poſsis. Illum quoque finem ſerio volumus, pro quo obtinendo tantum facimus, ut imputari nobis non poſsit tamquam directe vel indirecte voluntarium, si finis reipsa non obtineatur. Imputari autem ut voluntarium non potest, nisi intentionem vitient tres hi defectus, vel omnes vel ſinguli. I^mo. Si non adhibeatur medium ad finem ſufficiens, cum adhiberi potest. II^do. Si medium quidem adhibeatur, ſed non ut finis per illud obtineatur, vel etiam cum positiva inclinatione ut non obtineatur. III^tio. Si omittatur medium certius, quod adhiberi deberet ex obligatione. In nullo horum deficit Deus; auxilia enim quæ confert reprobo, plene ſufficiunt: dantur quoque in finem ſalutis, nihilque eorum omittitur quæ debentur. Omittitur quidem medium certius, ſed indebitum.

558. Objic. IV. Sequela. Si reprobatio positiva radicalis fieret ex mero Dei beneplacito, interitus reproborum deberet ipsi Deo adscribi. Ergo hæc ſententia non multum distat a Calviniana blasphemia. P. A. Reprobi, quibus Deus ex ſolo beneplacito gratias prævisas inefficaces decernit, neceſsario perirent. Ergo. P. A. Nemo potest ſalvari, cui Deus gratias dat inefficaces. Atqui reprobis Deus ex ſolo ſuo beneplacito dat gratias inefficaces. Ergo reprobi non poſsunt ſalvari, adeoque neceſsario pereunt. *Confirm.* A parte rei idem est, ſive Deus ex ſolo ſuo beneplacito decernat infligere pœnas æternas, ſive ex ſolo ſuo beneplacito decernat reprobis auxilia prævisa inefficacia. Ergo si reprobatio positiva formalis fit propter demerita *Aut ſequela.*

rita absolute prævisa, idem dicendum etiam erit de reprobatione positiva radicali. R. N. A. Quod enim gratia reprobis conceſsa effectum ſuum, ad quem datur, non obtineat, id unice adscribendum est malitiæ hominis qui gratia abutitur. Ad *probat.* N. vel D. A. Neceſsario perirent, neceſsitate consequente liberam ipsorum determinationem & diſsensum, qui est ratio logica cur Deus prævideat gratias reprobis conceſsas fore inefficaces, C. A. Neceſsitate antecedente & inimpedibili, N. A. & Conseq. Ad hujus *prob.* N. M. Nemo equidem ſine gratia efficaci ſalvabitur; poſset tamen homo ſola adjutus gratia inefficaci entitative ſumpta ſalvari, quia gratia inefficax est vere ac relative ſufficiens ad eliciendum consensum ſalutarem, & ſalutem obtinendam. Præterea Deus nemini dat gratias inefficaces ex natura ſua, ſed gratias vere ac relative ſufficientes, quæ tantum ex malitia voluntatis creatæ prævidenur fore inefficaces. Ad *confirm.* N. A. Si Deus ante demerita absolute prævisa decerneret alicui infligere pœnam æternam, damnatio merito adscriberetur ipsi Deo, qui tamen vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem perire: neque ullo pacto poſset ab homine æterna damnatio evitari. Contra, quamvis Deus ex ſolo ſuo beneplacito ante omnem demeritorum prævisionem decernat reprobis conferre auxilia prævisa inefficacia, damnatio tamen Deo adscribi nequit: Deus enim ex ſeria intentione ſalutis auxilia illa confert, licet affectu non tam benevolo ſicut erga electos. Quare unice adscribenda est malitiæ hominis, qui acceptam gratiam contemnit, eique cooperari ingratus negligit. Neque ex eo capite æterna damnatio est reprobis inevitabilis, quod gratias acceperint inefficaces; poſsent enim facere, ut Deus gratias illas, quas ipsis largiri dignatur, præviderit potius fore efficaces quam inefficaces.

CONTROVERSIA VI.
SCHOLASTICA.
DE CAUSIS REPROBATIONIS NEGATIVÆ.

559. *Reprobatio negativa* non eodem modo explicatur a Theologis. Non nullis est pura omiſsio prædestinationis ad gloriam & gratiam efficacem, ac veluti quædam negatio ſeu ſuspensio actus in Deo non prædestinante. Aliis est actus positivus, quo Deus non nullos prædestinando, alios non vult prædestinare, ſeu vult a gloria excludere. Porro reprobatio negativa duplex est; nempe *radicalis*, ſive omiſsio prædestinationis ad gratiam finalem congruam, & *formalis*, ſive omiſsio prædestinationis ad gloriam. Qui reprobationem negativam volunt eſse in Deo actum positivum, dicunt reprobationem radicalem eſse decretum Dei non præparandi quibusdam beneficia, quibus certiſsime liberentur, id est, non præparandi gratiam finalem congruam; formalem vero ajunt eſse decretum, quo quidem æternas pœnas Deus non decernit, positive tamen aliquos excludit a gloria. *Reprobatio negativa quid & quotuplex ſit?*

560. Dari in Deo reprobationem negativam tam radicalem quam formalem, manifestum est ex eo, quia Deus nec omnes prædestinavit ad gloriam, neque ad gratiam finalem congruam; ſecus nemo damnaretur. At quænam ſit causa reprobationis negativæ, præcipue formalis, non convenit inter ipsos Doctores Catholicos. Et ne quis nodum in ſcirpo quærat, aut litem vocabulariam nobis intentet, *Noto* extra controverſiam ponendum eſse, nullam rem creatam eſse proprie causam, vel rationem motivam voluntatis divinæ; adæquata enim ratio aliquid volendi vel nolendi non est alia in Deo, quam divina Bonitas: res tamen creatæ ſæpe ſunt aliqua conditio, ſine qua divina Bonitas non moveret Deum ad hoc vel illud determinate volendum aut nolendum. Talis conditio v. g. fuit in ſententia S. Thomæ, peccatum Adæ, quod ſi non extitiſset, Verbum Divinum naturam humanam non aſſumpſiſset. Nos ejus- *Variæ Catholicorum Doctorum ſententiæ.*

ejusmodi conditiones ſæpe vocamus causas, rationes motivas, determinationes &c. Quæ vocabula discrete ſunt intelligenda, & in ſensu depurato ab imperfectionibus, ne quid inde in Deum resiliat, quod divinas ejus perfectiones dedeceat.

561. Thomistæ aliqui, quos inter Alvarez, Bannez, Salmanticenses, aliique ſunt, docent, Deum actu positivo exclusiſse reprobos a gloria ante ullum prævisum eorum peccatum, ut eluceret divina justitia, utque universi pulchritudo magis commendaretur, quæ ex ſurgit ex diversitate electorum & reproborum: nolunt tamen, Deum ante prævisa peccata eos pœnis æternis addixiſse, in quo differunt a Calvino. Alii Thomistæ docent, Deum non positive, ſed tantum negative reprobos exclusiſse a gloria ante prævisum peccatum: atque hi ipsi inter ſe diſsident. Quidam eorum volunt, Deum ita negative reprobaſse ante ullum peccatum prævisum, etiam originale; alii vero contendunt id fieri quidem ante prævisa peccata personalia, ſed post prævisum peccatum originale. Putant enim reprobationis negativæ formalis, etiam in baptizatis, causam eſse peccatum originale. Nam quamvis illud in baptismo remiſsum fuiſse concedant; volunt nihilominus poſse illud puniri privatione ſpecialis illius benevolentiæ, qua Deus electos prædestinat: citantque in favorem ſuæ ſententiæ Augustinum, quem hac in re omnino ſuum eſse contendunt. Bellarminus & Suarius existimant, Deum ante prævisa demerita nullum exclusiſse positive a gloria, exclusiſse tamen negative. Quæ opinio neceſsario ſequitur ex alia, quam hi Theologi tuentur circa prædestinationem gratuitam ante prævisa merita gratiæ absolute futura. Eo enim ipso quo quis non est prædestinatus, censetur rejectus & reprobatus; ſive id fiat per meram actus negationem, & ut vocant per ſimplicem non prædestinationem, ſive per actum positivum; istud enim perinde est quantum ad rem ipsam, ſive exclusionem a gloria. Alii denique Theologi censent, nullam dari reprobationem negativam formalem adultorum Fidelium propter ſolum

pec-

peccatum originale, eorumque neminem ſeu positive ſeu negative a gloria excludi, nisi propter prævisa eorum personalia peccata absolute futura. Sententia hæc neceſsario connexa est cum alia circa prædestinationem factam ex prævisis meritis gratiæ absolute futuris. Quippe si nemo prædestinatur ad gloriam, nisi post prævisa ejus merita ex gratia certo & absolute futura, tanto magis nemo reprobatur, ſive excluditur a gloria, nisi post prævisa ejus demerita absolute futura.

Reprobatio negativa formalis causam habet ex parte hominis reprobi.

562. Conclusio I. Deus nullum positive, aut etiam negative excludit a gloria ante peccatum absolute prævisum: adeoque reprobatio negativa formalis, ſive exclusio a gloria, aut negatio prædestinationis ad gloriam, causam habet ex parte hominis reprobi. Prob. Imo. Deus antecedenter ad prævisionem peccati absolute futuri, quantum est in ſe, vult ſerio omnes homines ſalvos fieri. Ergo ante prævisionem peccati absolute futuri neminem vult ſive positive ſive negative excludere a gloria. P. C. Voluntas antecedens ſalvandi diceret: *Quantum ex me eſt, admitto omnes ad gloriam.* Et voluntas reprobandi, pariter antecedens, diceret: *Quantum ex me eſt, admitto aliquos, ſed non omnes.* Ergo voluntas omnes ſalvandi non potest conciliari cum aliquorum reprobatione negativa formali, facta ante absolutam prævisionem demeritorum. Prob. II. Hæc absoluta & antecedens Dei voluntas aliquem excludendi a gloria ante prævisum ullum ejus peccatum absolute futurum, imponeret tali homini neceſsitatem peccandi. Ergo. P. A. Deus de facto neminem a gloria actu excludit, nisi in peccato fuerit mortuus. Ergo ex illa absoluta antecedente voluntate reprobandi, vel excludendi aliquem a gloria, ſequeretur in tali homine neceſsitas moriendi in peccato; alioquin absoluta hæc Dei voluntas poſset ſuo effectu frustrari. Prob. III. Deus homines non prædestinat ad gloriam ante absolutam meritorum prævisionem, ut paulo ante ostendimus Controversia IV. Ergo nullum reprobat negative, nisi post absolutam peccatorum prævisionem. P. C. Si

C. Si electio prædestinatorum non fit ante merita absolute prævisa, sequitur manifeste reprobos rejici, seu non eligi, quia talia merita habituri non sunt, seu quia habituri sunt demerita. Ergo. Prob. IV. Authoritate S. Prosperi, qui in Responsione III. ad Capitula Gallorum scribit: *Quod hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Et infra: *Non enim relicti sunt a Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt, & relicti sunt; & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt: atque ob hoc, licet fuerint renati, fuerint justificati; ab eo tamen qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati.*

Peccatum originale non est causa reprobationis negativæ formalis baptizatorum.

563. Conclusio II. Peccatum tamen, ob quod Fideles qui baptismum semel susceperunt, a Deo ad gloriam non prædestinantur, non est peccatum originale in baptismo penitus remissum, sed peccata personalia. Sive, peccatum originale non est causa reprobationis negativæ formalis baptizatorum. Dicitur, *baptizatorum*, quia parvuli sine baptismo decedentes, juxta omnes Catholicos, a gloria excluduntur ob solum peccatum originale; adulti vero infideles tum ob originale, tum ob alia personalia peccata. Prob. Conclusio I^mo. Originale peccatum in baptismo penitus extinctum est atque deletum. Ergo nequit esse causa reprobationis negativæ formalis. P. A. Apostolus ad Rom. Cap. VIII. scribit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU.* Et Tridentinum Sess. V. in Decreto de peccato originali, Cap. V. ait: *In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant; sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Dea dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Ergo

juxta

juxta Scripturam, & Tridentinum, peccatum originale in baptismo penitus extinguitur. Ergo peccatum originale nequit esse in baptizatis causa reprobationis formalis negativæ. Cum enim non prædestinatio ad gloriam ita connexa sit cum prædestinatione ad pœnam, id est, cum reprobatione formali positiva, ut unum ab altero separari omnino nequeat, adeo ut qui ad gloriam prædestinatus non est, eo ipso sit prædestinatus ad pœnam; si repugnat propter peccatum originale in baptismo deletum, fidelem hominem ad pœnam prædestinari, repugnat pariter propter peccatum originale in baptismo deletum ad gloriam eum non prædestinari.

564. Prob. II. Si Deus ob solum peccatum originale, quod in baptismo infallibiliter prævidet remittendum, hominem non prædestinaret ad gloriam, sive excluderet a gloria, ageret contra sinceritatem & justitiam. Atqui hoc sine blasphemia de Deo dici nequit. Ergo. P. M. Deus salvis justitiæ legibus punire nequit culpam, postquam illam sinceriſsime & clementiſsime in baptismo condonavit, & quidem non pœna qualicunque; sed omnium severiſsima, & maxime formidanda, qualis est exclusio a gloria, seu negatio prædestinationis ad gloriam, quæ sempiternam hominis calamitatem, sempiternosque cruciatus secum affert: præcipue cum hujus generis pœnæ bonus usus omnino nullus fieri possit ab eo, qui sit tali pœna punitus. Neque magis sincere Deus ageret in adversariorum sententia: homini enim in baptismo clementiſsime omnem condonat injuriam, eum in filium adoptat, donat jus ad cœlestem hæreditatem; & nihilominus hoc ipso peccato originali offensus, quod plene se remisiſse testatur, hominem excludit a gloria.

565. Prob. III. Deus consequenter etiam ad peccatum originale prævisum, ut omnes Catholici contra nostri ævi Prædestinatianos postlapsarios admittunt, serio vult omnes homines salvos fieri. Ergo Deus, ob peccatum originale jam remiſsum, neminem excludit a gloria. P. C. Deus sincero affectu non potest velle

ſalutem eorum, quos jam antecedenter ad prævisionem demeritorum personalium, ob ſolum peccatum originale a gloria excludit. Atqui juxta adversarios, Deus ob ſolum peccatum originale aliquos baptizatos a gloria excludit, ante prævisionem demeritorum personalium. Ergo Deus non potest ſerio velle eos ſalvos fieri. Vide dicta paulo ante, nempe Num. 562.

Quamvis in aliquo vero ſensu poſsit dici causa valde remota.

566. Cæterum illud adversariis libenter damus, quod peccatum originale, etsi condonatum, in aliquo vero ſensu ſit fidelibus qui pereunt, reprobationis causa valde remota: at vero non tamquam culpa præcedens pœnam, ſed tamquam occasio præcedens eventum. Similiter quod reprobatio, ſive exclusio a gloria effectus ſit originalis peccati, etsi condonati, minime autem tamquam pœna consequens culpam, ſed tamquam eventus consequens occasionem. Etenim in pœnam peccati originalis ſublata est originalis justitia & integritas, quæ excludebat ab homine ſano & integro effrænatas cupiditates, malasque libidines: Ex ſublata originali justitia & integritate, exortæ ſunt hæreditariæ cupiditates & libidines effrænatæ: Ex effænatis autem cupiditatibus ac libidinibus, non cogentibus, nec neceſsitantibus, ſed vehementer tamen ad omnia flagitia impellentibus, cætera omnia peccata hominum, ipsis volentibus & consentientibus, quorum omnium capitaliſsimum finalis impœnitentia, proficiscuntur. Postremo ex impœnitentia finali, tamquam ex vera, propria, certa & ultima causa habetur reprobatio hominis, etsi baptizati, cui condonatum fuit peccatum originale: Reprobationem autem ſempiterna gloriæ jactura, ſempiternaque ſupplicia consequuntur, quæ reprobationis certiſsimi effectus ſunt.

Reprobatio radicalis, tam absolute.

567. Conclusio III. Reprobatio negativa radicalis, ſive omiſsio prædestinationis ad gratiam finalem congruam, non habet causam ex parte hominis reprobi, ſed dependet ex ſolo beneplacito Dei, uni decernentis, & alteri denegantis gratiam congruam. Ita fere omnes Theologi. Conclusio hæc iisdem rationibus fulcitur, quibus Controversia præcedente Conclusionem

nem IIdam ſtabilivimus. Prob. itaque ulterius Imo paritate. Sicut gratia efficax ad primum meritum, non potest eſse propter aliquod meritum præcedens: ſic etiam negatio auxilii efficacis, quo evitaretur primum peccatum, ſive demeritum, non potest eſse propter aliud peccatum præcedens. II. Authoritate S. Augustini, qui Lib. de Corrept. & Gratia, Cap. VIII. ſcribit: *Hic ſi a me quæratur, cur eis* (baptizatis reprobis) *Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua Chriſtiane viverent, dilectionem dedit: me ignorare respondeo. Non enim arroganter, ſed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apoſtolum, O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Et: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inscrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quantum itaque nobis judicia ſua manifeſtare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſse credamus.* Jam vero non ignorabat plane Augustinus peccatum originale & personale. Si itaque existimaſset propter originale peccatum, quamtumvis baptizatis Fidelibus condonatum, aut propter personalia peccata eos reprobari, atque idcirco finalem perseverantiam, efficacemque ad perseverandum finaliter gratiam eis denegari, profecto non respondiſset, ſe hujus rei causam ignorare, nec ad occulta & inscrutabilia Dei judicia confugiſset.

568. Ex his quæ hactenus dicta ſunt, facile colliges, reprobationis negativæ radicalis, non absolute tantum ſed etiam comparativè acceptæ, ſeu horum potius quam illorum hominum, nullam dari causam ex parte hominis, ſed pendere illam a beneplacito divino; tum quia Deus pro ſua libertate alios prædestinat ad primam gratiam congruam, alios non prædestinat; & non datur ratio, cur hos potius homines prædestinet ad gratiam, quam alios: tum quia primæ gratiæ congruæ privatio, quam nullum mortale peccatum præceſsit, & ex qua prævidetur ſecutura injustitia finalis, non datur ob peccatum aliquod præcedens. Originale

Quàm comparativè accepta, causam non habet ex parte hominis reprobi.

enim tam electis quam reprobis commune est; personalia autem peccata non impediunt, quo minus ſæpe Deus gratiam efficacem connexam cum perseverantia finali concedat magnis peccatoribus, quam tamen occulto ſed justo judicio quandoque denegat illis qui minus peccaverunt. Ergo ex parte hominis reprobi non datur causa, ob quam Deus hos præ aliis ad gratiam finalem congruam prædestinet.

Effectus reprobationis adæquate ſumptæ recenſentur.

569. Quæres I^mo. Quinam ſint effectus reprobationis adæquate ſumptæ, nimirum tam positivæ quam negative? R. Cum effectus reprobationis debeant eſse a Deo qui reprobat, peccatum ipsum, ut impie docuit Calvinus, non potest eſse effectus reprobationis; quia Deus non potest eſse author & causa peccati. Effectus itaque reprobationis adæquatæ ſunt I^mo permiſsio peccati, quod cum morte conjunctum est. II^do. Perseverantia in peccato, cæcitas & obduratio, non quatenus ſunt mala culpæ, & important obfirmatam in malo voluntatem, quæ certe a Deo eſse non potest; ſed quatenus includunt gratiæ uberioris privationem, & permiſsionem peccati in pœnam culpæ præcedentis, juxta illud ad Rom. Cap. I. *Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ, -- in reprobum ſensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* III^tio. Pœna tum damni, quæ in privatione Dei consistit: tum ſensus, quæ æternos cruciatus apud inferos importat.

Reprobi vere amantur a Deo amicabiliter pro illo tempore, quo ſunt juſti.

570. Quæres II. An Deus reprobos, quos jam decrevit æterno odio prosequi, vere poſsit amare amore benevolo & amicabili, dum ſunt in ſtatu gratiæ? R. Reprobos vere amari a Deo amicabiliter pro illo tempore, quo ſunt justi. Nec inde ſequitur aut mutabilitas in Deo, aut contrarietas voluntatum. Non primum: quia Deus eadem æterna & invariata volitione amat v. g. Judam pro circumstantiis, pro quibus est amabilis & gratus: & aversatur pro aliis circumstantiis, pro quibus est odio dignus, videlicet pro ſtatu peccati & impœnitentiæ, ſive ſtatus iste duret ad tempus, ſive æternùm. Sed neque contrarietas voluntatum hinc ſequitur. Nam pro tempore, quo reprobus

est

est in gratia, vult ipsi Deus ſummum bonum, atque æternam felicitatem; ſed cum imbibita conditione, si manserit in hoc ſtatu, & illo non exciderit graviter peccando: per voluntatem vero reprobandi vult ipsum ſummo bono privare, atque absolute damnare propter culpam prævisam, & impœnitentiam finalem. Hæc autem omnia facile concipiuntur absque ulla oppositione voluntatum.

Ordo Actuum divinorum in reprobatione hominum exponitur.

571. Quæres III. Qualis ſit ordo Actuum divinorum in reprobatione hominum juxta nostrum ſystema? R. Actus divinos ita a nobis ordinari. Imo. Deus per Scientiam ſimplicis intelligentiæ cognovit poſsibilem eſse ſalutem & damnationem hominum, ſiquidem creentur. II. Ex ſincera voluntate ſalvandi omnes homines decrevit Adamum creare in ſtatu innocentiæ, eumque totius generis humani caput morale constituere in ordine ad observationem vel violationem præcepti de non comedendo fructu vetito. III. Absolute prævidit peccatum Adami, & in Adamo lapsum generis humani. IV. Incarnationem Verbi absolute decrevit, ut genus humanum redimeretur, ac prædefinivit Christi merita & mortem. V. Propter merita Christi decrevit omnibus hominibus dare gratias vere ac relative ſufficientes. VI. Per Scientiam mediam prævidit has vel illas gratias, si hominibus concederentur, fore ex malitia voluntatis illorum inefficaces, quamvis de ſe ſufficerent ad ſalutem consequendam. VII. Decrevit has ipsas gratias, quamvis prævisas inefficaces, hominibus illis concedere, & non impedire peccatum. VIII. Per Scientiam visionis prævidit abusum gratiarum, & peccata absolute futura. IX. Decrevit illos excludere a gloria, atque æternas pœnas rebellibus in tempore infligere. Atque hic est Actuum divinorum ordo in nostro ſystemate circa reprobationem hominum, ſaltem quoad ſubstantiam; nolumus enim hic quæstionem illam Theologicam ingredi, an Deus omnia ſimul & ſemel decernat in eodem ſigno. Illud potius notandum est, quod alibi etiam monuimus, a parte rei omnia ista in Deo non nisi unum ac ſimpliciſsimum Actum eſse,

se, diversasque a Theologis Actuum divinorum series adornari, ut altissima Mysteria aliquo saltem modo captui nostro accommodentur.

Argumenta contraria refutantur.

Hominem ante demerita absolute prævisa reprobari, nec Scriptura asserit.

572. Objicitur I^mo. contra I. Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Proverb. Cap. XVI. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum.* Ergo Deus impium reprobavit, atque a gloria exclusit ante prævisum peccatum, ut ostenderet in illo justitiam suam. Simile quid habetur ad Rom. Cap. IX. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* II^do. Ad Rom. Cap. IX. dicitur: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* III^tio. Jacob & Esau æqualiter inclusi erant in massa perditionis, ex qua unus eductus, alter non eductus; cujus rei non alia causa ab Apostolo redditur ad Rom. Cap. IX. quam beneplacitum Dei. *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Ergo reprobatio formalis negativa non habet causam ex parte reprobi. R. C. A. N. C. Deus creavit impium ad diem malum, non ante, sed postquam præscivit eum impium futurum, ut scilicet glorificaretur ex ejus damnatione, decreta propter peccata absolute prævisa. Eadem responsio dari debet ad textum Paulinum de Pharaone. Ad II. D. A. Et Apostolus verbis illis innuit, Deum sine prævisione meritorum & demeritorum, atque ex libera sua voluntate posse aliquibus conferre gratias efficaces, illasque aliis denegare, adeoque reprobationem negativam radicalem non habere causam ex parte hominis reprobi, C. A. Deum ante prævisionem peccatorum velle hominem absolute excludere a gloria, adeoque reprobationem negativam formalem non habere causam ex parte hominis reprobi, N. A. & Conseq. Ad III. C. A. N. C. Ex eo antecedente id unum sequitur, reprobationem negativam radicalem, tam absolutam

lutam quam comparativam, id est, cur uni decernatur gratia efficax, alii non decernatur, dependere ex ſolo Dei beneplacito, quod ipsum Conclusione III. a nobis aſseritur.

573. Objic. II. Authoritas S. Thomæ, qui I. Parte, Quæst. XXIII. Artic. V. ad III^tium. ſcribit: *Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum juſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat.* Ergo ante prævisum peccatum Deus aliquos reprobavit. *Confirm.* S. Thomas loco cit. ſubjungit: *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem.* R. C. A. D. C. Ergo ante prævisum peccatum Deus aliquos reprobavit reprobatione negativa radicali, C. C. Ante peccatum absolute prævisum aliquos reprobavit reprobatione negativa formali, N. C. Ad *confirm.* C. A. N. C. Sola voluntas Dei non est ratio, cur Deus uni decernat gloriam nulla habita ratione meritorum, non vero eamdem alteri decernat; ſed tantum est ratio, cur Deus uni peccatori tribuat gratiam ſpecialem & efficacem, per quam resurgat a peccato, & gloriam mereatur, non vero alteri gratiam illam tribuat. Bonitas responsionis patet ex verbis, quæ S. Thomas loco cit. ſubjicit ex S. Augustini Tract. XXVI. in Joannem: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* Quæ verba S. Augustini manifeste intelligenda ſunt de gratia ſpeciali, ſecundum quam Deus unum trahit, ſeu efficaciter vocat, alterum vero non trahit.

Nec S. Thomas docuit.

574. Objic. III. Ratio. Gloria æterna est beneficium creaturæ omnino indebitum, utpote ſupernaturale. Ergo Deus absque cujusquam injuria potest illud pro libito ſuo cuicunque voluerit denegare. Ergo nulla datur ratio, cur Deus ante omnem demeritorum prævisionem excludere nequeat reprobos a gloria. R. D. A.

Nec ratio evincit.

D. A. Gloria æterna est beneficium indebitum creaturæ ad eam non ordinatæ, ut v. g. in ſtatu naturæ puræ, C. A. Creaturæ ad eam ordinatæ per gratiam, N. A. & Conseq. In hac providentia, ſupposita gratuita ordinatione Dei, qui fecit hominem rectum, & ad vitam æternam destinavit, debita est gloria titulo redemptionis per Christum factæ: debita est titulo misericordiæ, ac benignitatis Christi, qui paſsus est pro nobis, ut donaret nobis vitam æternam: debita est etiam titulo justitiæ, aut ſaltem fidelitatis, quia ſub titulo oneroso nobis promiſsa est, atque idcirco corona justitiæ in Scripturis ſæpe appellatur.

Qui originale volunt eſse cauſam reprobationis, nullum habent in Scripturis

575. Objic. IV. contra II^dam Conclusionem, Authoritas Scripturarum. Ad Rom. Cap. IX. de Jacob & Esau dicitur: *Cum nondum nati fuiſsent, aut aliquid boni egiſsent, aut mali - - Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: - - Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Atqui Deus odio non habuit Esau propter peccata ipsius personalia. Ergo propter peccatum originale. Ergo peccatum originale est causa reprobationis negativæ formalis. R. I^mo. præter ea, quæ Num. 526. diximus, C. M. D. m. Deus odio non habuit Esau ob peccata ipsius personalia actu exercita, C. m. Ob peccata personalia futura, & a Deo absolute prævisa, N. m. R. II^do. Omiſso ſyllogismo, D. ultimum Consequens. Ergo peccatum originale non remiſsum est causa reprobationis formalis negativæ, C. C. Originale peccatum jam remiſsum, N. C. Cum etiam in lege gratiæ multi pereant infantes, quibus applicari non potest remedium originalis culpæ, nempe baptismus, idem multo magis in lege veteri contigiſse absque ulla absurditate ſupponere poſsumus. Atque hos inter, quibus originale peccatum remiſsum non fuit, ipse Esau a S. Augustino numeratur; ſcribit enim S. Doctor Epist. CXCIV. alias CV. ad Sixtum, Cap. VIII. *Cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egiſsent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob ex illa maſsa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habuit communem causam, videt*

per

per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni. Et Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II. Num. XVIII. *Non odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. - - Quod ergo Jacob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo, non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat.* Cum igitur in Conclusione loquamur de originali jam remisso, nihil ex eo loco contra nos evincitur.

Ac S. Augustino fundamentum.

576. Objic. V. Authoritas S. Augustini. S. Augustinus causam reprobationis formalis negativæ passim rejicit in peccatum originale. Ergo. P. A. Originale peccatum causam esse ac motivum asserit, cur Deus reprobos a massa perditionis non liberet, atque illis in tempore efficaces gratias ac finalem perseverantiam non concedat. Ergo causam reprobationis formalis negativæ rejicit in peccatum originale. P. A. Lib. de Dono Persever. Cap. XIV. scribit: *Hæc est Prædestinatio Sanctorum, nihil aliud: Præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem ubi, nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii & Sidonii relicti sunt, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum.* Ergo juxta Augustinum reprobi relinquuntur in massa perditionis ob peccatum originale. R. Imo. Quamvis adversariis cum Petavio daretur, ab Augustino contrarium nobis doceri; ob rationes tamen in probatione allatas recedendum hic omnino esset cum reverentia ab Augustino. At vero S. Doctorem aperte nobis favere multis ostendit Laurentius Alticotius Summæ Augustinianæ Parte VI. Quæst. II. Artic. IX. Resp. itaque IIdo. N. A. Ad *prob.* N. A. Augustinus numquam ad originale peccatum semel jam condonatum, semper vero ad inscrutabilia judicia Dei revocat tum non donatam justis aliquibus finalem perseverantiam, tum non donatam eis efficacem gratiam ad evitanda peccata; maxime vero si quæstio sit de peccato omnium pri-

primo. Lib. de Dono Persever. Cap. IX. ſcribit: *Ex duobus piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabiliora ſunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſse certiſsimum, hunc eſse ex prædeſtinatis, illum non eſse.* Et Epist. CXLIX. alias LIX. ad Paulinum, Cap. II. *Cur autem ad eam* (prædestinationem) *alii pertineant, alii non pertineant, occulta causa eſse poteſt, injuſta eſse non poteſt. Numquid enim iniquitas apud Deum? Absit. Nam & hoc ad illam pertinet altitudinem judiciorum, quam mirans tamquam expavit Apoſtolus.* Ad hujus *probat.* C. A. D. C. Ergo juxta Augustinum reprobi relinquuntur in maſsa perditionis ob peccatum originale numquam remiſsum, C. C. Ob originale a Deo jam remiſsum, N. C. Fieri non potest, ut justum ſit illud judicium Dei, quo ille filium ſuum adoptivum excludat a gloria atque hæreditate ſua propter peccatum originale, jam dudum ipsi in baptismo ſinceriſsime condonatum. Hujus igitur generis reprobi tales ſunt propter prævisam a Deo finalem eorum impœnitentiam absolute futuram. Tyrii quidem & Sydonii, de quibus Augustinus, in maſsa perditionis justo Dei judicio relicti ſunt, tum propter peccatum originale eis non condonatum, tum propter mala merita personalia, quibus malum meritum originale cumularunt.

Neque paritas eis ſuffragatur.

577. Objic. VI. Paritas. Concupiscentia est pœna originalis peccati, quamvis jam condonati. Ergo etiam denegatio perseverantiæ finalis, & exclusio a gloria potest eſse pœna peccati originalis, etsi condonati. P. C. De utraque hac pœna peccati originalis bona aliqua excerpere poſsumus, qualia ſunt cohibere ſuperbiam, arrogantiam vitare, fugere temeritatem, nimiam animi præſidentiam coercere: item de nobis modeste, ſobrie atque demiſse ſentire; ſanctumque Dei timorem, custodem optimum innocentiæ retinere. Ergo. R. C. A. N. C. Quamvis concupiscentia ſit pœna peccati originalis, & causa omnium peccatorum, nisi ei resistatur; tamen non ad interitum & exitium, ſed

ad

ad luctam & pugnam nobis relicta est: parta autem victoria, & materia triumphi est, & occasio coronæ. Contra negatio finalis perseverantiæ secum affert certissime sempiternam hominis calamitatem, neque a Deo decerneretur ad pugnam & luctam, ut de tali supplicio meritum fieret ad coronam. Ad *probat.* N. A. Timor amittendæ perseverantiæ finalis in pœnam tum ingrati animi ad Dei beneficia, tum cæterorum vitiorum, maxime vero superbiæ, arrogantiæ, & nimiæ sui præfidentiæ, optimus est innocentiæ custos. Cum enim per Dei gratiam, quæ neminem omnino deserit, in potestate nostra sit non esse ingratos Dei beneficiis: cum similiter per eamdem gratiam in potestate nostra positum sit abstinere a vitiis, & consectari virtutes, ex tali timore amittendæ ea de causa perseverantiæ, excitatur animus ad præcavenda vitia, atque ad exercendas virtutes. Contra vero cum non sit in hominis potestate efficere, ne in peccatum originale inciderit, siquis sibi persuadeat, fortasse negandum sibi donum finalis perseverantiæ in pœnam originalis peccati, sibi jam diu condonati, in quod incidit necessario, tali timore in desperationem salutis eum detrudi necesse est. Desperata autem salute, omnes omnium virtutum nervi interciduntur, atque ad omnia flagitia vitiorum, fræna laxantur.

O. A. M. D. G.

INDEX

INDEX RERUM PRAECIPUARUM,

quæ

in Tomo V. de Gratia Christi, Justificatione, & Prædestinatione continentur.

A.

Actus salutaris principaliter est opus Dei miserentis. Num. 181.

Ab eo tamen excludi non potest cooperatio voluntatis humanæ. 182.

Adrumetini Monachi non fuerunt Prædestinatiani. 64.

Africani in Synodo Carthaginensi & Milevitana damnant Pelagii hæresin. 33.

Pelagianorum fraudes detegunt, caventque, ne illi glaucoma objiciant Zosimo. 36.

Animæ non extiterunt, antequam corpora formarentur. 496.

Annianus Celedensis quis fuerit? 40.

Arausicana II. Synodus qua occasione sit habita? 52.

Arausicana Capitula contra Semipelagianos. 53.

Approbata a Synodo Valentina. 54.

Et a Bonifacio II. 55.

Arausicani II. Capitulum XXII. explicatur. 355.

Arnaldi Anton. ingenium, studia, fortuna, & obitus. 15.

Augustinus Jansenii quid sit? 2.

Proscribitur ab Urbano VIII, & qua de causa? 3.

S. Augustinus Pelagianos impugnat. 30.

Petit Acta Dispolitanæ Synodi sibi transmitti. 32.

Scribit ad Vitalem Carthaginensem. 45.

Geminum adversus Semipelagianos scribit librum. 48.

Commendatur a S. Cœlestino in Epist. ad Episcopos Galliarum. 50.

Ante

Ante Episcopatum suum in errore versabatur, in quem impegerunt dein Semipelagiani. 250.

S. Augustinus efficaciam gratiæ nullibi repetit ex delectatione indeliberata relative victrice. 108. 109. 110.

Docuit resisti posse gratiæ interiori. 118.

S. Augustini verba illa, *indeclinabiliter & insuperabiliter agi*, quem sensum habeant? 127. 128.

Juxta S. Augustinum quid sit *adjutorium quo*, & *adjutorium sine quo non?* 131. 132.

Augustiniana illa partitio auxilii *quo*, & *sine quo non*, clavis non est, qua universa Augustini doctrina de gratia reseratur. 134.

S. Augustinus quo sensu dixerit, Adamum peccando amisisse merita? 137.

S. Augustini Libri ad Simplicianum maximæ sunt authoritatis. 170.

S. Augustinus nullibi docuit, gratiam ex natura sua infallibiliter connecti cum actu salutari. 170. & seq.

Docuit gratiam vere sufficientem dari etiam in statu naturæ lapsæ. 202.

Et quidem omnibus justis, urgente præcepto. 227.

Et peccatoribus induratis. 243.

Atque infidelibus extra Ecclesiam constitutis. 260.

S. Augustinus docuit, nec gratiam supernaturalem, nec Fidem Theologicam necessariam esse ad eliciendum actum naturaliter bonum & honestum. 343.

Quo sensu S. Augustinus asseruerit virtutes infidelium esse peccata? 350.

Augustini locus explicatur: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.* 353.

S. Augustinus nomine *charitatis* quid sæpe intelligat? 354.

S. Augustinus docuit, prædestinationem formalem ad gloriam posteriorem esse meritis absolute prævisis. 512.

Item reprobationem positivam fieri propter demerita absolute prævisa. 548.

B.

Bannesius Theses aggreditur Prudentii de Montemajor, falsasque propositiones ei imponit. 84.
Molinæ librum ad Lusitanicam Inquisitionem defert. 85.
Atque Hispanicam, conatu quamvis irrito. 86.
Bossuetus Episc. Meldensis damnat Quesnelli librum. 18.

C.

Carisiaca Capitula. 76.
Eadem siniſtre interpretantur Remigius Lugdunensis, Prudentius Trecensis, & Synodus Valentina. 77. 78. 79.
Caſsiani Joannis patria, doctrina & libri. 46.
Casus conscientiæ quid ſit? Proscribitur a Clemente XI. 10.
Catharini Ambrosii ſingularis opinio de certitudine Juſtificationis. 450.
Et de Prædestinatione. 470.
Certitudo quid & quotuplex ſit? 449.
Certitudinem infallibilem nemo habet de propria juſtitia, ſine ſpeciali Dei revelatione. 451. Neque certitudinem ſtricte moralem. 456. Sed tantum conjecturalem. 457.
Certitudinem infallibilem de ſua perseverantia finali nemo habet. 488.
Aut de ſua prædestinatione. 490.
Clemens VIII. initio ſuspectam habet Molinæ doctrinam. 91.
Molinæ librum ipse examinat. 92.
Clementis XI. Constitutio *Vineam Domini*. 11.
Ejusdem Constitutio *Unigenitus*. 19.
Recipitur ab Episcopis & Sorbona. 20. Atque a Rege. 20. 22.
Clemens XII. Societatis doctrinam de Gratia commendat. 152.
S. Cœlestinus commendat S. Augustini doctrinam. 50.
Causam Semipelagianam non ſinivit. 51.

Cœlestius quis fuerit? 39.
Carthagine accusatur a Paulino. Ephesi suffuratur Presbyteratum. 29.
Zosimo conatur imponere. 35.
Proscribitur a Zosimo, ac jussu Honorii Italia ejicitur. 37.
Congregationes de Auxiliis divinæ Gratiæ Romæ habitæ. 89.
Congregationum Acta a Pegna, Lemosio, ac Coronello descripta, nullam fidem merentur. 96.

D.

Derelictio medicinalis & desperativa quid sit? 248.
Deus quomodo salva hominis libertate possit creaturam infallibiliter convertere? 125. 126.
Deus non tantum præparare, sed omnibus etiam concedere debet gratias vere sufficientes, ut vere possit dici, eum velle salutem omnium. 229.
Deus facienti quod est in se non denegat gratiam. Quem sensum habeat hoc axioma? 264. & seq.
Diospoli gesta in causa Pelagii. 31.
Discretio in actu primo & secundo quid sit? 174.
Discretio Angelorum bonorum facta est a Deo. 176.
Discretio hominis justi ab injusto etiam juxta Molinam fit a Deo. 174. 175. & seq.

E.

Ebredunensis Synodi sententia in Episcopum Sanitiensem. 22.
Erigena Joan. Gothescalcum impugnans in graves errores prolabitur. 75.

F.

Faustus Rejensis perperam Semipelagianismi accusatur. 57. & seq.
Prædestinatianos insectatur. 67.
Jussu Synodi Arelatensis calamum in illos acuit. 71.
Fides Theologica non est necessaria ad exercendum actum naturaliter bonum & honestum. 341.

Fides quandoque ſignificat dictamen conſcientiæ. 348.
Fides promiſsionum ſpecialis quid ſit apud Protestantes? 403.
Fides in adultis requiritur ad justificationem. 405.
Fides justificans non est fiducia, qua quis credit remiſsa ſibi eſse peccata; ſed est aſsensus firmus ac certus ad ea, quæ Deus credenda proponit. 406.
Fidei justificantis objectum non est ſpecialis misericordia, ſed omnia quæ Deus revelavit. 407.
Fides justificat. 423. Non tamen ſola. 422.
Sed alii etiam actus justificationem præcedentes, nempe Timor. 424.
Spes obtinendæ veniæ. 425. Dilectio Dei. 426.
Dolor & detestatio peccati. 427.
Propositum ſervandi mandata. 428.
Atque hi actus non ſunt tantum fructus fidei, ſed cum illa influunt & cooperantur ad justificationem. 431.
Fiducia fidei quid ſit, & fiducia ſpei? 417.
Formularium Alexandri VII. quid ſit? 8.

G.

Gelasianum Decretum probabilius interpolatum est. 58.
Gothescalci initia & errores. 72.
Damnatur Moguntiæ a Rabano. 73.
Et Carisiaci ab Hincmaro. 74.
Impœnitens moritur. 82.
Græci Patres perperam ac temere accusantur Semipelagianismi. 291. & ſeq.
Gratia Christi quid ſit? 99.
Gratia gratis data, & gratum faciens. 100.
Gratia habitualis & actualis. 101.
Gratia actualis præveniens, adjuvans, ſubsequens. 102.
Gratia efficax quid ſit? 103.
Gratiæ efficacia neque ex delectatione indeliberata relative victrice repeti potest. 104.
Neque ex delectatione indeliberata moraliter determinante ad actum bonum. 107.

Gratiæ efficacia reponi nequit in motione voluntatem physice neceſsitante. 114.
Gratiæ interiori potest ab homine resisti, ac ſæpe ei resistitur. 116. & ſeq.
Gratiæ medicinalis & ſanitatis discrimen. 130.
Gratia efficax in actu primo & ſecundo quid ſit? 157.
Quid ſpecificative ac reduplicative ſumpta? 158.
Gratia intrinsecam habet virtutem efficiendi consensum. 159.
Illius tamen infallibilis connexio cum actu ſalutari est gratiæ extrinseca. 160.
Gratia efficax ex natura ſua non connectitur cum actu ſalutari. 168.
E gratia ſufficiente qua ratione fieri poſsit ab homine gratia congrua? 177.
Gratia ſufficiens quid ſit? 193.
Quid proxime ac remote ſufficiens? 194.
Gratia vere ac relative ſufficiens datur etiam in ſtatu naturæ lapsæ. 199.
Gratia ſufficiens est utilis homini. 211.
Nullam involvit implicantiam. 212.
Estque verum Dei beneficium. 217.
Gratia ſufficiens datur omnibus justis, urgente præcepto. 224.
Atque ut poſsint perseverare in ſtatu justitiæ. 230.
Eadem datur peccatoribus etiam induratis. 241.
Et aliquibus ſaltem infidelibus, hæreticis, apostatis &c. 255.
Immo omnibus, qui extra Ecclesiam ſunt constituti. 259.
Gratia ſupernaturalis est neceſsaria ad quemlibet actum ſalutarem, atque etiam ad initium fidei. 282.
Gratiæ neceſsitas non evertit liberum arbitrium. 297.
Gratia neceſsaria ad quemlibet actum ſalutarem, debet eſse intrinsece ſupernaturalis. 301. Actualis. 302.
Non tantum illustrationis, ſed etiam inspirationis. 304.
Gratia Sanctificans non est neceſsaria ad eliciendum actum bonum & ſupernaturalem. 305.

Gratia ſupernaturalis actualis non est neceſsaria ad cognoscendas veritates naturales. 308.

Aut ad apprehendendas veritates ſupernaturales. 309.

Neque ad amandum Deum ſuper omnia amore naturali, atque ad ſalutem æternam non conducente. 310.

Gratia ſupernaturalis non est neceſsaria, ut homo potentia physica poſsit observare totam legem pure naturalem. 313.

Sine gratia tamen ſpeciali ordinis ſaltem naturalis observari diu non potest potentia morali tota lex mere etiam naturalis. 316.

Immo ex Decreto Dei ad id requiritur gratia ſupernaturalis. 317.

Gratiæ actuales neceſsariæ ad ſervandam diu totam legem naturalem, non conceduntur nisi habentibus gratiam Fidei, & ſanctificantem. 324.

Gratia extraordinaria & ſpecialis neceſsaria est, ut omnia venialia diu vitentur. 326.

Sine gratia ſupernaturali potest exerceri actus naturaliter bonus & honestus. 341.

Gratia ſanctificans quid ſit? 364.

Gratia ſanctificans nequit ſimul eſse cum peccato. 370.

Non est realiter distincta ab habitu charitatis. 371.

Gratia ſanctificans non est æqualis in omnibus justis, ſed inæqualis infunditur pro inæqualitate dispositionum. 442.

H.

Hæretici formales nullum articulum credunt fide divina. 298.

S. Hieronymus calamum ſtringit in Pelagianos. 30.

Hollandica Miſsio qua occasione, & a quo corrupta fuerit? 16.

I.

Jansenii Cornelii Iprensis Episcopi patria, vita, & obitus. 1.

Num

Num ſincere librum ſuum judicio Ecclesiæ ſubmiſerit, merito dubitari potest. 2.
Ejus libri ab Urbano VIII. damnantur. 3.
Quinque famosæ propositiones ex ejus libris excerptæ. 4.
Romæ maxima diligentia examinantur. 5.
Ab Innocentio X. ſolemni decreto damnantur. 6.
In quonam ſensu damnatæ fuerint? 8.
Jansenius divisionem auxilii *quo*, & *ſine quo non*, ubique perperam obtrudit. 133.
Jansenii errores circa efficaciam gratiæ. 103. 113.
Circa ſufficientiam gratiæ. 196. 223. 254.
Circa neceſsitatem gratiæ. 339.
Jansenianorum cavillationes post damnatas ab Innocentio X. famosas quinque Jansenii propositiones. 7.
Subscribere coguntur Formulario. 8.
Janseniana Formularii interpretatio. 9.
Famoſam casus conscientiæ reſolutionem cudunt. 10.
Appellant a Bulla *Unigenitus* ad futurum Concilium. 21.
Eorum fraudes, mendacia, ſimulatio, ac ſtudia. 24.
Janseniani multa in ſuo ſystemate circa efficaciam gratiæ explicare nequeunt, quin ſibi contradicant. 106.
Jansenianorum fallacia ac doli in occultanda ſua doctrina. 198. (238.
Indurati quinam dicantur, & quotuplex ſit induratio?
Infideles negative ac positive quinam ſint? 253.
Innocentius XII. Constitutiones Alexandri VII. numquam retractavit. 9.
Ejusdem responsum ad Lovanienses. 151.
Joannes Jerosolymitanus Pelagio favet. 30.
A S. Innocentio I. reprehenditur. 32.
Juliani Eclanensis errores, fata, exilium, mors. 41.
Semipelagianismi ſemina jacit. 44.
Ejus doctrina circa virtutes Infidelium. 349.
Justificatio quid ſit? 363.
In justificatione vere tolluntur ac delentur peccata. 366.

Juſtificationis causæ quænam ſint juxta Catholicos? 377.
Justificationis nostræ causa formalis non est justitia Dei eſsentialis. 378.
Neo ſola remiſsio peccatorum. 379.
Nec justitia Christi nobis imputata. 380.
Sed justitia inhærens. 331.
Eaque habitualis & permanens. 335.
Justificatio est gratuita, quamvis peccator illam per actus ſuos mereatur de congruo. 438.
Justitia inhærens nullam infert injuriam justitiæ Christi. 401.
Justitia ex lege, & justitia fidei quid ſint apud Apostolum? 433.

L.

Lex factorum, & lex fidei quid ſignificent juxta B. Paulum? 433.
Liber vitæ quid ſit, & an poſsit mutari? 482.
Lovaniensis Facultatis Theologicæ censura, qua Leſsium perstrinxit, nullius est ponderis. 187.
Lucidus Presbyter ſæculo V. vere fuit Prædestinatianus; errorem tamen deposuit. 67.
Perperam accusatur Semipelagianismi. 71.

M.

Marius Mercator qua occasione Commonitorium ſcripserit? 41.
Maſsilienses. Vide *Semipelagiani.*
Molinæ liber absolvitur a ſenatu Inquisitionis Lusitanicæ. 85.
Molinæ doctrinam plurimi ſtatim in Hispaniis ratam habuere. 86.
Molinæ liber de Concordia a Romanis Consultoribus examinatur. 87.
Deproperata ac tumultuaria censura ab illis perſtringitur. 88.
Molinæ doctrina decreto Pauli V. indemnata perſtitit. 95.

N.

Noallius Card. damnare recusat librum Observationum Quesnelli. 19.
Bullam *Unigenitus* acceptare renuit, vetatque ne a ſuis recipiatur. 20. Appellationi adhæret. 21.
Excommunicatur a Clemente XI. 22.
Pœnitentiam agit, & Ecclesiæ reconciliatur. 23.

O.

Ordo Actuum divinorum in ſyſtemate Molinæ circa actus bonos. 165. Et malos. 166.

Ordo divinorum Actuum in eorum ſyſtemate, qui prædeſtinationem ad gloriam volunt eſse priorem meritis absolute prævisis. 507.
Et eorum, qui illam volunt eſse poſteriorem. 510.
Ordo Actuum divinorum in reprobatione hominum. 571.
Origenis opinio de præexiſtentia animarum rejicitur. 496.
Orosius Pelagium accusat Jerosolymis. 30.
Pelagii damnationem urget in Africa. 33.

P.

Peccata omnia venialia diu a juſtis vitari nequeunt potentia morali, citra ſpeciale privilegium & gratiam extraordinariam. 326
Peccatum originale non eſt causa reprobationis negativæ formalis baptizatorum. 563.
Poteſt tamen dici causa valde remota. 566.
Pelagii doctrina. 25.
A veteribus hæreticis præformata. 26.
Pelagii fraudes, & amicitiarum illuſtrium captatio. 27.
Ejus ſimulata probitas. 28.
Accusatur Diospoli, & errore facti absolvitur. 31.
Ejus jactantia. 32.
Damnatur in Africa, & Romæ a S. Innocentio. 33.
Obrepere conatur Pontifici. 34.
Damnatur a Zosimo. 37.
Pelagiani fallacem ſeveritatem præseferebant. 28.
Eorum impia facinora in Paleſtina. 32.
Damnantur a Zosimo, & toto Imperio proscribuntur ab Honorio. 37.
Apellant a Pontifice ad Concilium Oecumenicum. 38.
Ejiciuntur CPoli a Theodosio. 41.
Conſtanter negarunt neceſsitatem gratiæ interioris, qua voluntas juvatur ad actus ſupernaturales. 140.
Cur Auguſtinum, & Catholicos Manichæismi accusarint? 141.
Quid per adjutorium *poſsibilitatis* intellexerint? 142.
Perronii Card. judicium de doctrina Molinæ & Bannesii. 90.
Perseverantia finalis in præsenti ſtatu eſt ſpeciale Dei donum, quod locum non habuiſset in ſtatu innocentiæ. 128.
Perseverantia finalis complete ſumpta in ſtatu naturæ lapsæ quo ſensu ſit donum Dei gratuitum, nullatenus meritorium? 136.
Perseverantiæ donum quid ſit? 486.
B. Petrus quando Chriſtum abnegavit, gratiam habuit vere ſufficientem, ſaltem remotam, ſive gratiam orationis. 235.
Portus regii Moniales unde peſtem hauserint? 13. 15.

Præde-

Prædeſtinati author quis fuerit? 65.
Non fuit Semipelagianus. 66.
Prædeſtinatiani temporibus Auguſtini & Prosperi nondum exorti erant. 64.
Dabantur tamen Sæculo V. & VI. 67. 68. 69.
Prædeſtinatio quid ſit? 465.
Auguſtiniana prædeſtinationis definitio explicatur. 466.
Prædeſtinatio pertinet ad intellectum & voluntatem Dei. 469.
Prædeſtinatio quotuplex ſit? 468.
Prædeſtinatio aliquorum ad gratiam & gloriam datur in Deo. 472.
Eſt certa & immutabilis. 473.
Prædeſtinationis completæ & adæquatæ effectus. 474.
Prædeſtinatio adultorum ad gloriam ordinarie alligata eſt certis mediis. 475.
Prædeſtinati pauciores ſunt reprobis. 476.
Prædeſtinatio non tollit libertatem. 478. 479. & ſeq.
Prædeſtinationis ſuæ nemo habet certitudinem infallibilem, abſque ſpeciali Dei revelatione. 490.
Prædeſtinationis ad gratiam & gloriam causa non ſunt opera bona, quæ animæ fecerunt, antequam ad corpora detruderentur. 496.
Præedeſtinatio ad primam gratiam eſt omnino gratuita, & independens a bonis operibus conditionate & absolute prævisis. 497.
Prædeſtinatio formalis ad gloriam eſt poſterior Scientia media. 515.
Prædeſtinatio formalis ad gloriam fit propter merita gratiæ absolute prævisa. 517.
Sententia hæc nihil habet commune cum Pelagianis, aut Semipelagianis. 533.
Prædeſtinatio Chriſti quo ſenſu ſit exemplar noſtræ prædeſtinationis? 504.
Prædeſtinatianorum noſtri temporis doctrina. 545.
Prædeterminatio Bannesiana in examen vocata eſt ſub Paulo V. 94.
Prædeterminatio moralis non explicat infallibilem gratiæ efficaciam. 107. 156.
S. Prosper Aquitanicus Auguſtini ſtudioſiſsimus insurgit in Semipelagianos. 47. 49.
Romam ſe confert ad S. Cœleſtinum. 50.
Semipelagianos pro hæreticis nondum habuit. 51.
Prosperi Chronicon interpolatum fuit. 65.
Proteſtantium doctrina de condonatione extrinseca peccatorum. 365.

De

De formali causa justificationis nostræ. 376.
De fide justificante. 403. 420.
De æqualitate gratiæ sanctificantis. 441.
De certitudine justificationis. 450.
De certitudine perseverantiæ ac prædestinationis. 487.
Protestantes molliores a justificatione non excludunt alios actus a fide distinctos. 420.
Protestantes obscurare conantur Catholicam de Justificatione sententiam. 421.

Q.

Quesnelli Paschasii ingenium, ac molitiones in Galliis & Belgio. 16.
Cor Arnaldi ad Portum regium transmittit. 15.
Bruxellis captus, suorum opera libertati restituitur. Damnatur ab Archiepiscopo Mechliniensi. 17.
Editionem Serrianæ historiæ procurat. 97.
Ejus liber Observationum damnatur in Galliis. 18.
Romæ examinatur, & proscribitur. 19.
Apellationi immoritur. 21.
Legitime damnatus est, quamvis sæpe Augustini verbis utatur. 356.
Ejus errores circa efficaciam gratiæ. 114.
Sufficientiam. 270.
Ac necessitatem. 345.

R.

Reprobatio quid sit? 542. Ac quotuplex? 543.
Reprobatio positiva formalis est in signo posteriori ad demerita absolute prævisa. 546.
Reprobatio positiva radicalis non habet causam ex parte hominis reprobi. 551.
Reprobatio negativa quid & quotuplex sit? 559.
Reprobatio negativa formalis causam habet ex parte hominis reprobi. 562.
Reprobationis negativæ formalis baptizatorum causa non est peccatum originale. 563.
Reprobatio negativa radicalis, tam absolute quam comparative accepta, causam non habet ex parte hominis reprobi. 567. 568.
Reprobationis adæquate sumptæ effectus. 569.
Reprobi vere amantur a Deo amicabiliter pro illo tempore, pro quo sunt justi. 570.

S.

S. Salesii Franc. Epistola ad Lessium, in qua suam de prædestinatione ad gloriam post merita absolute prævisa sententiam exponit. 509.

Sancy-

Sancyrani Abb. Joannis Vergerii, flagitia & doctrina. 12.
Ejus fata, captivitas, & obitus. 13.
Impie sensit de Ecclesia. 14.
Scientia simplicis intelligentiæ ac visionis quid sit? 161.
Scientia conditionalium datur in Deo. 163.
Scientia media quid sit? 164.
Nihil habet commune cum Semipelagianis. 167.
Quoad substantiam ab Augustino fuit tradita. 170. 172.
Semipelagianorum errores. 42. Et sequelæ. 43.
Semipelagiani cur Massilienses dicti? 46.
S. Augustini doctrinam carpunt. 49.
Reprehenduntur a S. Cœlestino. 50.
Epistolam S. Cœlestini male interpretantur. 51.
Proscripti sunt a Synodo Arausicana. 52. & seq.
Prædestinatianismum Catholicis perperam affingebant. 64.
Necessitatem gratiæ ad initium fidei numquam admiserunt. 143. 144.
An necessitatem gratiæ admiserint nec ne, est quæstio facti connexi cum jure, in qua decidenda Ecclesia est infallibilis. 145.
Censebant initium fidei & salutis non esse opus bonum. 142.
Serry Hiac. seu Augustini Le Blanc Historia nullam fidem meretur. 97.
Sixtus V. censuram Lovaniensium, qua Lessium perstrinxerant, reprobavit. 187.
Sorbona acceptavit Bullam *Unigenitus*, eamque registro intulit. 20.
Appellat a constitututione *Unigenitus* ad Concilium. 21.
Deserta appellatione redit ad obsequium Pontificis. 23.

T.

Thomistarum doctrina circa efficaciam gratiæ. 153.
Rejicitur. 154.
Thomistarum quorumdam sententia circa reprobationem negativam. 561.

V.

Valentina Synodus III. Capitula Carisiaca perperam intellecta damnat. 79.
Vitalis Carthaginensis Semipelagiani doctrina. 45.

W.

Wite Ægydii Janseniani Presbyteri insana ac inaudita temeritas. 11.

Z.

Zosimus errore facti in personas Pelagii & Cœlestii propendet. 35. Comperta fraude eos proscribit. 37.

O. A. M. D. G.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W TORUNIU

Biblioteka Główna UMK
300020637771

493914

Biblioteka
Główna
UMK Toruń
493914